& opportunè? Quoniam inutilis erit importunitas, si extra tempus. Audi Ouidium.

Temporibus medicina valet: data tempore prosunt.

Ergo non debet semper fieri statim, sed quando iudicabitur vtilis.

Et data non apto tempore vina nocent.

Ergo vt importunitas tuæ correptionis prosit, prædeterminetur non zelo indiscretè festino, sed ab ipsamet rerum & temporum opportunitate.

TEXTVS Ex Reg Cap. 2.

Verba Pauli assumit Benedictus & suis Religiosis indicit.

1680

AEqualis sit omnibus ab eo (*nempe Abbate*) charitas: vna præbeatur omnibus secundùm merita disciplina. In doctrinâ namque suâ Abbas Apostolicam debet illam semper formam seruare, in qua dicit, *a Argue, obsecra, increpa.* Id est, indisciplinatos & inquietos debet duriùs arguere; obedientes autem & mites & patientes, vt in melius proficiant, obsecrare: negligentes autem & contemnentes, vt increpet & corripiat, admonemus. Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox vt cœperint oriri, radicitùs ea, vt præualet, amputet: memor periculi Heli Sacerdotis de Silo. Et honestiores quidem atque intelligibiles animos primâ, vel secundâ admonitione verbis corripiat: improbos *b* autem & duros corde, ac superbos, vel inobedientes, verberum, vel corporis castigatione in ipso initio peccati coërceat, sciens scriptum; *Stultus verbis non corrigitur.* Et iterum, *Percute filium tuum virgâ, & liberabis animam eius à morte.*

Quid arguere, obsecrare, & increpare, sit?

An, & quæ crimina in ipso initio sint corrigenda?

Cõsideratur illa vox, *vt præualet*, non enim semper & omnia potest superior corrigere; nec semper, nec omnes corripere: quia *vana sine viribus ira.* Interdũ sunt rei fauore potentiorum protecti, & debent alis priuari priùs, quàm corripiantur.

Cur aliqua S. Pauli verba omiserit S. Benedictus?

a *Omisit illa propria Apostoli verba*, Prædica verbum, insta opportunè importunè, *quia Prædicationem & opportunam instantiam facere possumus, sed non debemus.*

An in Monasterio possit aliquis ignorare res graues?

Prædicare *est instruere: & in omni Monasterio* (*imò in omni bene gubernatâ Republicâ*) *nullus graues exorbitantias ex ignorantiâ perpetrare præsumitur. Non est ibi possibilis ignorantia inuincibilis; quia publicè omnes legem Dei & Ecclesiæ docentur: non est aut esse potest ibi, ignorantia crassa, affectata, aut supina; quia ita quotidie instituuntur, etiam in rebus leuibus, vt graues, etsi velint, ignorare non valeant. Cæterùm, si alicubi per accidens ignorantia inueniatur, tunc procul dubio prædicatio & instructio omnem correptionem debet præcedere.*

Profectò exponit Pauli verba Benedictus, sed eius expositio indiget etiam expositione. Si corripiendus indisciplinatus sit, arguatur durè, hoc est, in primâ admonitione tractari debet acriùs & acerbiùs. Patientes, & mites mitiùs sunt sustinendi, & non solùm blandè debent argui, sed & blandè obseruari. Qui autem semel & iterum admoniti non respuerint, sine negligentes siue contemnentes vt sint, increpari debent.

Expositio, quàm S. Pater ponit, indiget alterâ expositione.

b *Cessat correctionis secretæ & fraternæ obligatio, quando deficit spes vtilitatis, cum scimus verba nostra non esse profutura, iuxta ea quæ edissero disputationis subsequentis articulo 1. conclusione 5.*

An & quãdo cesset præceptum correctionis fraternæ?

TEXTVS. Ex Cap. 43.

Etiam negligentias publicas fraternè corrigendas esse.

An negligentiæ publicæ, etiam fraternè debeant corripi?

OMnes accedant ad mensam: qui per negligentiam aut vitium non occurrit, vsque ad secundam vicem propter id corripiatur (*nempe secretè, & fraternè*) si non emendauerit, non permittatur ad mensæ communis participationem.

Vitium hîc sumitur pro actu: quia in cõmuni acceptione vocabuli, sine habitu reperiri non solet.

Quomodo Illustrissimus & Reuerendiss. D. Angelus Manrique, cũ erat Abbas, modo & negligẽtias leues primâ vice suos Religiosos corripiebat?

Negligentias secretas secretò corrigere tenemur ex necessitate; publicas ex vrbanitate. Inciuilis esset ille Antistes, qui negligentias etiam publicas, statim proclamaret. Prodest arguere secretò & obsecrare: qui secretò admonetur quando publicè corrigi potuit, si ingenuus sit, corrigitur efficacissimè.

Profectò viri insignes, etiam in rebus paruis magni sunt. Ergo meminisse proderit Angeli Manrique, quem nunquam satis potero dilaudare. Sarmanticæ horâ post mediam noctem quintâ studiosi vocabantur ad preces; durabant mediâ horâ: sequebatur oratio mentalis aliâ mediâ: posteà à sex â ad octauam singuli in suis cellis studebant priuatim: deinde lectiones publicæ audiebantur, & Si quis, vt inuenibus solet contingere, correptus somno, harebat in lecto, & horâ debitâ non comparebat in choro, vt oraret cum cæteris, sic à sancto & prudente sene corripiebatur. In

refectorio communi, coram omnibus mittebat ad illum aliquem discum ex mensâ Abbatiali; sequebatur omnium aliorum studiosorum subrisus; & recipientis pudor. Videbatur illo munusculo suum amorem erga reum senex prudens testari; obsecrare, vt posteà diligentiùs procederet, ne duriora experiri deberet. Siquis autem suauissimâ hac correctione non emendabatur, si secundò delinqueret condemnabatur disciplinâ. Hac dixerim, vt notent superiores, in rebus leuibus raras aliquas negligentias, esse potiùs naturæ debilis, quàm malæ voluntatis defectus; & nihilominus esse corrigendas, ne illas augeat impunitas: at correctionem ipsam in similibus culpis suauissimam esse debere.

TEXTVS Cap. 21.

Priorem & Decanos fraternè corrigendos esse.

1681 Quomodo Decani & Prior sint corrigendi?

QVod si quis ex eis (*nempe Decanis*) aliquâ fortè inflatus superbiâ repertus fuerit reprehensibilis, correptus semel & iterum atque tertiò si emendare noluerit, deiiciatur, & alter in loco eius, qui dignus est, succedat. Et de Præposito eadem constituimus.

Deiici hîc est officio priuari.

1682 Prædicare est instruere.

Præter generalem illam admonitionem præparatoriam, quam Apostolus Prædicationem & instantiam opportunam nominat, [hac enim præcedere debet, quoties peccatum ex ignorantiâ (inuincibili aut vincibili) processisse creditur; nam Prædicationis nomine Apostolus institutionem opportunam, aut etiam importunam intelligit: Decanus, si peccet, ter fraternè est corripiendus; debet enim primò priuatim argui; secundò obsecrari coram vno aut altero teste; tertiò increpari seu denuntiari Antistiti: & si denuntiatus emendare noluerit, officio priuari; non addit pœnam positiuam, quia ipsa depositio sufficiens pœnitentia est.

Aliud est se non emendare, & aliud se emendare nolle.

Et hîc obiter nota magno S. Benedictum consilio posuisse illam vocem noluerit: *aliud enim est* se non emendare, *& aliud toto cœlo diuersum* se nolle emendare: *illud prius ex humanâ fragilitate nascitur, hoc ex disciplinæ regularis, aut etiam ex Abbatialis dignitatis contemptu.*

1683 Politico-Monasticum Monitum.

NOtate Domini Abbates, & maturè hæc ponderate. Prior, Supprior, Decani, aut quicumque alius Communitatem authoritate delegatâ regit, in Capitulo, etiam si exorbitet, corrigendus non est, sed excusandus. Iustus non peccat quamdiù semen Dei manet in illo. Vicarij Antistitum non peccant, quamuis authoritate delegatâ fungantur: si errauerint, censendi sunt bono animo, sed minùs cauto processisse, etiam quibuscumque proclamantibus. Si Prioris aut Supprioris vita correctione indigeat, & eius exorbitantiæ sint tales, vt celari non possint, non est in Capitulo corrigendus, ne authoritas dimanans ab Abbate vapulet: secretè est admonendus; & si non conuerterit mores, ministerio priuandus, nec vlteriore puniendus pœnitentia extra iuris solemnitatem. Non debent scire subditi Præpositum reum esse, quod expendit optimè Augustinus *in c. 5. suæ Regul. vide n.* 1849.

An Prior, in Capitulo Publico sit corrigendus?

Si Prior reus actus, conuincatur de crimine, puniendus iuridicè non est nisi priùs depositus, hoc postulante officio, ne dicatur Præpositus excipi, puniri, condemnari. Periclitatur Ordinis disciplina, quoties subditi sciunt Prælatos reprehensibiles esse. Vel Præpositi crimina non innotescant subditis, vel priùs deponatur quàm innotescant; nequando in Superiore aliquid videant, quod non expediat imitari. Si Prior corrigatur in Capitulo, & in officio conseruetur, imminent damna plurima Communitati. Dabo præcipua. Præpositi negligentias non solùm imitabuntur subditi, sed insolenter propugnabunt. Prior non audebit corrigere illas, de quibus ipse accusatur. Contemnetur Præposituræ authoritas, & corruet disciplina Monastica.

An debeat priùs deponi, quam puniri?

Superiori, quem subditi sciunt reprehensibilem esse, nunquam bene obediunt.

TEXTVS Ex Cap. 32.

Fraternè corripi debent qui peccant in curâ rerum temporalium.

1684

SI quis autem sordidè aut negligenter res Monasterij tractauerit, corripiatur: si non emendauerit, disciplinæ subiaceat.

Corripiatur, hoc est fraternè admoneatur, correptio enim quæ in Capitulo fit, Regularis disciplina est. Ergo cùm antequam proclametur in Capitulo dicatur esse corripiendus, priuatim debet corrigi iuxta regulas fraternæ charitatis.

Semel, an pluries? Tres admonitiones Christus exprimit, quibus præmittit opportunam prædicationem Apostolus, cui subscribit noster Legislator. Vtrùm dum negligentiæ morales non sunt, sed pœnales, ex naturâ rei admonitio fraterna in aliis Religionibus non requiritur, Benedictina etiam tunc intermitti non potest; Cap. enim 48. *quod iam expendo, iubet his*

bis admoneri eum qui in claustri Lectione fuerit acediosus, cùm certum sit illam Lectionem omittere nec esse leue dedecus, peccatum veniale, maximè quia si asseras Lectionem claustri esse moraliter obligatoriam (oppositum ostendi n. 1365.) posset ille negligens Lectionem illam priuatim postea resumere, & sic non peccare venialiter.

TEXTVS Ex Cap. 48.

Ignaui fraternè debent corrigi.

1685 An, qui lectioni regulari non vacant, fraternè corripiendi sint?

ANnte omnia autem deputetur vnus, aut duo Seniores, qui circumeant Monasterium horis, quibus Fratres vacant Lectioni; & videant, ne fortè inueniatur Frater accidiosus, qui vacet otio aut fabulis, & non est intentus Lectioni; & non solùm sibi inutilis est, sed etiam alios extollit. Hic talis, si (quod absit) repertus fuerit, corripiatur semel & secundò: si non emendauerit, correptioni regulari subiaceat, & taliter vt cæteri metum habeant.

Alios extollere, est hîc, alios turbare, impedire, & distrahere.

An, qui in leges merè pœnales delinquunt, sint fraternè admonendi?

Etiam ipsissima negligentia regulares, quæ ne veniales quidem sunt, proclamari non debent in Capitulo omissâ fraternâ correptione. Pœnitentiarum finis morum conuersio est: ergo vbi admonitio sufficit, non sunt rigores fulminandi. Ille igitur, contra legem merè pœnalem operatur, ne condemnetur legis pœnâ nisi fraternè saltem bis admonitus in easdem aut similes negligentias inciderit.

An possint non præmissâ correctione fraternâ condemnari?

TEXTVS Ex Cap. 62.

Sacerdos debet fraternè sæpe corripi antequam denuntietur.

1686 Sacerdotium neminẽ eximit ad obseruantiâ regulari.

QVi tamen Regulam à Decanis, vel *a* Præpositis constitutam sciat se seruare. Quod si aliter præsumpserit, non Sacerdos, sed rebellis iudicetur. Et sæpe admonitus si non correxerit, etiam Episcopus adhibeatur in testimonium; quod si nec sic emendauerit, clarescentibus culpis proiiciatur de Monasterio; si tamen talis fuerit eius contumacia, vt subdi aut obedire Regulæ nolit.

Aliud est nõ obseruare Regulam, & aliud præsumere non illam non obseruare.

An textus restituendus sit?

a Fortè ex scriptorum incuria sic legitur, cùm deberet, Regulam à Decanis, vel Præposito constitutam sciat se debere seruare.

Quoties Presbyteri sint corrigendi?

Sacerdotem vult D. Benedictus pluries admoneri priuatim, nempe semel sine arbitris, iterum coram vno aut altero Confratre, tandem coram Ordinario proclamari. Qui si nec mores conuerterit, sed in peccatis suis permanserit, expellendus est, ne scandalizet.

Ordinarius qui? Olim erat diœcesanus Episcopus; sed iam obtento exemptionis diplomate, subdimur vni & soli Abbati, qui Ordinarius vocatur. Impræsentiarùm igitur, vt Communitas dimittat Religiosum, non tenetur Episcopum consulere, sed suum Abbatem: de quo inferiùs.

Quis olim fuerit, quis hodie sit in Monasterio Ordinarius?

TEXTVS. Ex Cap. 65.

Prior fraternè debet admoneri.

1687 Quoties Prior sit corrigendus?

PRæpositus, si repertus fuerit vitiosus aut elatione deceptus superbiæ, aut contemptor sanctæ Regulæ fuerit comprobatus; admoneatur verbis vsque quater, & si non emendauerit, adhibeatur ei correctio disciplinæ regularis. Quòd si ne sic correxit, tunc deiiciatur de ordine præposituræ, & alius, qui dignus est, in loco eius subrogetur. Quòd & si posteà in congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de Monasterio expellatur. Cogitet tamen Abbas se de omnibus iudiciis suis Deo redditurum rationem, ne fortè inuidiæ aut zeli flammâ vrat animam suam.

Duo Regulæ Capita, quæ opposita viderentur, cõciliantur.

Videtur hoc Caput vigesimo primo contradicere; ibi asseritur ter corrigendus Prior ante priuationem, hic quinquies. An sui oblitus Benedictus censendus hæc scripsisse? minimè; quia in illo loco non inclusit prædicationem, nec instantiam, quas si tribus correptionibus addideris quinque habebis admonitiones. Videtur tamen durum illud, quod addit, nempe regulariter debere Priorem corrigi antequam deponatur: verùm Correctio disciplinæ regularis, hoc loco vocatur correctio regularis secreta; ac si diceret. [Admoneatur verbis vsque quater; nem-

An Prior regulariter corripi debeat, ante quam deponatur?

pe

pe 1. prædicetur ei veritas, si fortè ignorantia potiùs, quàm malitiâ peccauisse credatur. 2. fiant instantiæ opportunæ, sed in communi, 3. arguatur solus, 4. obsecretur coram arbitris: & si non emendauerit, corrigatur regulariter, secretò tamen. Quòd si neque sic se emendauerit, deponatur.] *Vide quæ diximus in expositione Capitis 21.n.1683.*

Dices, omnia ista Regulæ testimonia paternam correptionem, non fraternam probare. Et tibi ego inferiùs in Syntagmate post finem libri respondebo.

DISPVTATIO CXXXVI.

De correctione fraterna

1688 An quis cedere possit iure correctionis fraternæ?

OMitto sanctissimam Patrũ Iesuitarum Religionem, in qua iuri secreti cedit̃ur, & ex Virorum doctissimorum opinione denuntiari possunt crimina non præmissa correctione Fraterna: agens autem de illis, quæ non habent decretum, quod contrarium statuat, assero, *neminem posse sine præuiâ correctione Fraternâ peccatum occultum confratris denuntiare suo Superiori tanquam Patri.* Ita noster Lorca *2.2.sect.3 disp.47.n.9.* Rodriguez *de ordine iudiciario. c.9.n.5.* Thomas à Iesu, *lib.de Visit.tract.1.c.9.num.1.& 6.* Ioannes de la Crux *in direct. consc. part.1. præc.5. artic.2. dub.5.concl.1.* Becanus *in 2.2. cap.21. dub.4.* Miranda *de ordine iudiciario tom.1.q.11. art.4.* Diana *part.3. tr.2. Ref.37.* Sayrus *in claui Regia lib.11.cap.5.n.10.& sequentibus.* Tannerus *in 2.2. disp.2.q.5. dub.5. n.106.* & apud eum D.Thomas, Adrianus, Syluester, Sotus, Bannez, Nauarrus, Valentia, Humbertus, Hugo Victorinus.

Iure quidem correctionis passiuæ cedere possumus, iure actiuæ correctionis non possumus.

Cur debeat fraterna correctio præmitti?

Probatur, quia *Matthæi 18.* præcipitur, vt secreta correctio præmittatur antequam Fratris crimen Superiori ceu Patri denuntietur. Cuius præcepti æquitas est demonstrabilis, quoniam frustrà per plura fiunt, quæ possent per pauciora; ergo, si Frater sine denuntiatione potest resipiscere, denuntiandus non est, sed fraternè admonendus, & ad meliorem frugem reuocandus. Hæc ratio fundamentalis est; quam adducit me ipso & hoc loco citato Bassæus Florum suorum *pag 227.*

ARTICVLVS I.

An apud DD. Benedictinos probabiliter correctio fraterna omitti possit.

1689 Turriani opinio.

ASserit Turrianus *in 2.2.tom.1.disput.89. dub.4.* vbi citat Bonauenturam, Angelum, Rosellam, & Areualum; nec solùm admittit posse secreta crimina deferri Superiori vt Patri omissâ fraternâ correctione, sed & addit (hoc intolerabile est) Prælatum posse, si necessarium sit, de illo peccato cum suis Consiliariis tractare. Ego verò censeo hanc opinionem esse euidenter falsam, & sine nota politicæ ignominiæ à nemine defendi posse. Qui honorem suum magni facit, & pacem conuentus desiderat, legat Spathatium *in praxi de modo corrigendi Regul. tract.6. cap.3. num 3.* Dianam *parte 3. tractat.2.resolut.69.§. Nota secundò:* quibus accinit sequens

An Superior de secreto subditi crimine possit cum aliis agere?

CONCLVSIO

1690

Fraterna correctio præmitti debet omni denuntiationi apud DD. Benedictinos; nec contrarium probabiliter defendi potest. Demonstratur. Ideò Iesuitæ possũt omittere fraternæ correctionis ordinẽ, quia cedunt iure Secreti, & nemini voléti fit iniuria; atqui Benedictini non cedunt huic iuri: ergo. Minorem probo. Ideò dicuntur Patres Iesuitæ cedere, quia ingrediuntur Ordinem, in quo sciunt seruari statutum indicens denuntiationes immediatas, & omissionem fraternæ correptionis: atqui non datur tale statutum apud Benedictinos: ergo Benedictini iuri de seruando secreto non cedunt.

Patres Iesuitæ iure correctionis cedunt: at Benedictini nõ cedunt.

Minorem probo. Dantur sanctiones de seruando ordine fraternæ correctionis, non solùm confratres, sed & Superiores obligantes: ergo fraterna correctio lege, non modò non interdicitur, sed & indicitur. Antecedentis veritas ostenditur, cùm ex aliis locis, tùm præcipuè ex illis, quæ ante hanc disputationem sum commentatus: nempe ex Capitibus 21. 32.48.62.65. clariùs c.21. &c.

Imò habemus de hac correctione regulares leges.

1691

His testimoniis conuincitur, D.Benedictum non solùm voluisse seruari correctionis fraternæ ordinem in rigore, quo à Christo Domino fuit institutus, sed & multò seuerius, quàm à Christianis reliquis obseruatur. Constat liquidò, quia cùm Christus iusserit proximum semel secretò corripi, semel coram vno vel altero, & tertiò deferri: indicit D.Benedictus, vt Decani admoneantur ter, Prior quater, Sacerdos sæpiùs; hoc est, non permittit eos denuntiari quandiu creduntur sufficere meræ admonitiones.

Strictiùs quàm cæteri Christiani obligantur.

ARTICVLVS II.

Necessaria aliquot resolutiones.

PRIMA.

1692

NVllus Confrater tenetur sub veniali illum fraternè corripere, qui commiserit peccata venialia. Hæc conclusio est contra aliquos, qui putant peccare mortaliter eos, qui non corripiunt fraternè leuiter peccantes; & contra alios, qui eos saltem arguunt de veniali. Ita Azorius *part.2. libr.12. capit.14 quæst.4.* & apud eum Syluester & Angelus.

An venialia peccata fraternè corrigenda sint?

Probatur. Quia correctio fraterna quà præcepta à Christo, non respicit peccata venialia, nec ea respicit quà præcepta à iure naturali: ergo leuia non respicit. *Probatur* Christum non iubere de leuibus fraternam correptionem Dixerat Matthæi 18. 14. *Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis*

An Christus præceperit fraternè alĩquem corrigi ob peccata venialia.

lis est, vt pereat vnus de pusillis istis; & statim tulit legem de correptione. Ergo legis finis est, ne peccator pereat; atqui peccans venialiter, nec perit, nec est in proximo pereundi periculo: ergo non iussit Christus corripi fraternè peccantem venialiter. *Probatur*, etiam nullum Confratrem teneri iure naturæ corripere quempiam de venialibus. Iure naturæ tenemur succurrere grauiter laborantibus: sed qui est in peccato veniali non laborat grauiter: ergo non tenemur illi succurrere præbendo consilium & adiungendo correctionem. Minorem probo, quoniam, qui est in gratia, non est in graui animæ necessitate. A fortiori dicendum neminem teneri corripere confratrem non peccantem vel leuiter, puta operantem contra leges merè pœnales.

Hæc nõ priuant gratiâ.

SECVNDA.

1693 Quãdo Prælatus peccet non corrigendo subditos? An, & quando permittere sit cooperari?

Peccat mortaliter Antistes, qui permittit peccata grauia qualiacumque. Hanc omnes admittunt, & ideò non est opus probare. Interim indiget explicatione. Aliud non punire, non corrigere, & aliud permittere est. Porrò, peccat, qui peccatum committit; & peccat etiam, qui cooperatur peccanti: cooperatur realiter, qui realiter & positiuè adiuuat: cooperatur virtualiter, qui impedire potest, & peccatum committi permittit. Et in hoc casu, qui potest, & tamen ex officio non debet, peccabit contra charitatem: qui potest, & ex officio debet (talis Prælatus est) contra Iustitiam. Relinquere peccata impunita, si nihil aliud accedat, non est peccatum. Si ad bonum publicum conducunt peccata etiam atrocia obliuioni mandare, aut condonare, necessitati cedere, laudabile est. Hac doctrinâ lex de amnistiâ succollatur: quæ interdum necessaria censetur: quando enim prouincia integra in suum Regem rebellat, si resipiscat, crimen singulis condonatur. At verò quando impunitas auget crimina, & criminosos animat, tunc ipsa ad peccati commissionem concurrit, & ideò excusari non potest.

De impunitate.

De amnistia.

An peccato cooperetur impunitas?

TERTIA.

1694 De peccatis venialibus. An illa permittere possit Superior?

Peccat venialiter Superior, qui permittit leuia, quæ sunt contra vota & Monasticas obligationes. Ita Bannez *in* 2.2. *quæst.* 33. *art.* 1. *dub.* 2. Azorius *part.* 2. *lib.* 12. *cap.* 14. *quæst.* 4. Rodriguez *de ordine iudiciario cap.* 9. *num.* 7. Vbi notandum est Superiorem in tali casu non peccare contra generale præceptũ Charitatis, sed contra specialem obligationem sui officij; debet enim leuia corripere paternè, non fraternè. Superiores peccare, si negligentes sint in impediendis venialibus, & corrigendis iis qui illa committunt, omnes asserunt, & obligatio Abbatialis demonstrat: cæterùm, venialiter illos peccare & non mortaliter, probatur ratione efficaciſſima. Sub maiori obligatione tenetur quis habere curam animæ suæ, quàm aliarum; tum, quia Charitas incipit à seipsâ; tum etiam, quia efficaciùs se potest quis promouere ad virtutem, quàm alios: atqui nemo tenetur sub culpâ graui vitare culpas veniales proprias, ergo nec alienas. Huic rationi satisfaciendum est, vel non asserendum, peccare Superiores mortaliter, dum non corripiunt leuia peccata.

Peccat cõtra Iustitiam, si permittat.

An mortaliter?

Vtraque conclusio est expressa in Regulæ D. Benedicti sententia. secundo: *Negligentes & contemnentes vt increpet & corripiat admonemus.* Debet igitur prudens Prælatus non solùm increpare & corripere contemnentes, hoc est, eos, qui ex contemptu violant sanctiones regulares, & rei sunt peccati mortalis; sed etiam negligentes; illos inquam, qui ex fragilitate Regulæ non obediunt, & ideò aut ne venialiter quidem peccant, aut plurimùm venialiter. Vtrosque ergo debet increpare, & corripere: secreta correctio est increpatio; quia publica, regularis punitio est.

Quid sit correptio, & increpatio?

QVARTA.

1695 De peccatis venialibus, quæ non sũt contra Regulam.

Superior non corripiens subditum peccantem leuiter in materia non tangente Regulam nec Monasticas obligationes, nec peccat venialiter. Patet; quia non in omnibus Abbas est Superior Monacho, sed solùm in rebus Monasticis: ideóque in omnibus aliis est quasi Monachi confrater. Dabo exemplum. In Regulâ non indicitur Monachis audire Missam: ergo licèt Missæ auditio grauiter obliget, non tamen ex indicto Regulæ, sed ex præcepto Ecclesiæ. Ergo priuata Missæ auditio non est actio regularis. His positis dico non peccare venialiter Præsidem, qui non corripit Fratrem sæpiùs peccantem venialiter contra legem de audienda Missa.

Præterea hæ duæ conclusiones locum obtinent, quando ex peccatis illis venialibus non timentur grauia peccata aut damna euidenter & certò sequutura; nam si hæc immineant, periculum est ponderandum.

1696 Dubiũ subortens.

Petis, *Cur Prælatus teneatur sub mortali corripere peccata grauia, quæ non sunt contra Regulam, non teneatur tamen sub leui corripere eadem peccata, si leuia?* Respondeo Abbatem teneri non permittere vt mortalia peccata committantur, & corripere propter commissa, non solùm quà Patrem, sed etiam quà Confratrem. Dico igitur primò, omnia peccata mortalia esse contra Regulam: quia hæc est custos charitatis, quam mortalia quæcumque destruunt & expellunt. Dico secundò, etsi diceretur non omnia mortalia esse contra Regulam, adhuc illa corrigere deberet Prælatus sub mortali. Nam stando huic modo secundo dicendi, Abbas quà Pater illa peccata respicit quæ contra Regulam, & hæc ratione officij: quà Confrater mortalia vniuersa, & hæc ratione præcepti Charitatis: debet ergo non permittere peccata contra Regulam duplici titulo; officij nempe & Charitatis, cætera solùm ex Charitate: cumque hæc in materia leui non obliget, vt ostendit *concl.* 3. sequitur Prælatum non teneri corripere subditum propter eiusmodi peccata.

An omnia peccata mortalia contra B. Benedicti sint Regulã?

QVINTA.

1697

Qui certò scit reprehensionem non esse profuturam, non tenetur aliquem fraternè corripere. Ratio est satis clara; quia nemo tenetur frustrà, & sine fructu laborare. Præterea, deficiente fine adæquato legis, cessat lex; hic autem supponitur finis deficere, qui est profectus spiritualis. Duæ causæ esse possunt,

An cessante fin eadæquato legis, cesset lex?

ob quas correctio fraterna non proficiat: altera ex parte correcturi, & altera ex parte corrigendi se tenet. Sanè ex parte correcturi: nam, qui scandalosè viuit, & eisdem aut maioribus criminibus est maculatus, non est aptus, vt proximum carpere possit. Quid, si corrigat? inutiliter faciet; nam, qui corrigitur, ridebit, & reponet statim, *El Diablo predica: el mundo se quiere acabar.* Ergo, vt vtiliter quis proximum corrigat, esse debet inculpabilis conuersationis. Correctio autem, consideratâ illius, qui corrigendus esset, qualitate, bifariàm potest non proficere; primò, si peccator pertinax & incorrigibilis sit; secundò, si se iam conuerterit. In primo casu correptio esset inutilis, in secundò non necessaria, in neutro obligatoria. Est expressa sententia Diui Benedicti in secundo Regulæ sub medium; ibi hæc prudentissima verba: *Honestiores quidem atque intelligibiles animos prima vel secundâ admonitione verbis corripiat; improbos autem & duros corde, ac superbos vel inobedientes, verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum; Stultus verbis non corrigitur.* Censuit ergo Vir sanctus incorrigibiles & pertinaces non esse verbis corripiendos, quoties ex correptione non speratur vtilitas. Lege totum Capitulum, quia omnia quæ ibi dicuntur, conclusionem confirmant. Adsonat Augustinus, (reperitur cap. *Si quis* de pœnitent. *dist.*7.) *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem.*

S. Benedicti mens.

Hanc conclusionem citat, suoque nomine confirmat Bassæus pag.222. *e.*

Quæ alicui communicantur in secreto, Superiori reuelare non potest.

Patet igitur ex dictis eum, qui sincerè iudicat fraternam suam correctionem non esse profuturam, debere ad Superiorem immediatè confugere, modo culpa ipsi non fuerit in consultatione manifesta; in tali enim casu secretum obligat, etiam in Religionibus vbi ceditur iure secreti. Ostendi id multis instantiis posset, ponam vnicam. Regula 9. Summarij Constitutionum cap.4. exam. §.8. Societatis Iesu. *Ad maiorem in spiritu profectum, & præcipuè ad maiorem submissionem & humilitatem propriam, contentus esse quisque debet, vt omnes errores & defectus ipsius, & res quæcumque, quæ notatæ in eo & obseruatæ fuerint, Superioribus per quemuis, qui extra confessionem eas acceperit manifestentur,* & tamen sexta Generalis Congregatio definit verba illa, *per quemuis extra confessionem eas acceperit*, de iis rebus intelligi, quas alius per se obseruauerit aut notauerit; non de iis, quas consulendi gratiâ sub secreto ad eum retulerit. Ita Alphonsus Rodriguez *in Exercitiis perfectionis tract.*8. *cap.*8.

Nec illa potest, quæ in confessione percepit.

SEXTA.

1698 Quid agendum sit in materiâ probabili. Modus iste Probabilitatis potest terminos diuersos afficere; singuli considerantur.

Probabilitas correctionem fraternam subiicit arbitrio correcturi. Vt Conclusionem bene intelligas, annotato, Probabilitatem posse afficere, aut actionem ipsam, aut commissionem, aut correctionem: puta, si vel Petrus fecerit actionem, de cuius ingenuitate disputatur ob diuersas Theologorum sententias, quorum alij dicunt esse grauiter peccaminosam, alij non esse: vel, si certum sit illam actionem esse grauiter malam, vtrùm verò illam Petrus fecerit, probabiliter dubitetur: vel si certum sit illam actionem esse mortale peccatum, & certum sit fuisse à Petro commissam, & probabile correctionem necessariam non esse. Porrò, qui facit, quod probabiliter censetur peccatum, sequitur opinionem probabilem, & illam sequendo non peccat: [& hoc est certum: nam peccare eum, qui sequitur opinionem probabilem, improbabile est.] & ille, quem non peccare certum est, corripi fraternè non potest. Præterea, qui probabiliter iudicat crimen fuisse commissum, prudenter corripiet delinquentem, & prudenter etiam correptionem omittet. Non aliter, qui probabiliter iudicat correptionem futuram esse inutilem, aut iam non esse necessariam (puta si reus probabiliter censeatur pertinax, aut credatur probabiliter iam resipuisse) poterit facere quod voluerit, quia pro vtraque parte sunt rationes: quæ si in alterutra deficiant, probabilitatem vtrobique deficere necessarium est.

SEPTIMA.

1619 Quid agendum in dubio sit?

Qui dubitat, an Petrus grauiter peccauerit, non tenetur eum fraternè corripere. Ratio est; quia in dubiis nihil alterandum; beatus enim qui possidet, & in dubiis nemo, ne priuatim quidem, debet condemnari. Hanc conclusionem admittit Diana *part.*4. *tract.*3. *resol.*72. Excipe hos casus. Primo, si peccatum sit in damnum Reipublicæ; quia in dubiis potioris pars potior est, & respublica est potior homine quocumque priuato. Secundò, si immineret proximi mors; tunc enim fortè ea correptione non à culpa solùm sed à morte æterna liberaretur. Sed hic vltimus casus suas patitur difficultates.

Caue, ne dubium confundas cum probabilitate.

Maior est difficultas, cùm dubium non tangit actum, sed profectum; puta, si quis sciat Petrum peccasse: dubitet tamen, an se conuerterit; aut si sciat non esse conuersum, dubitet, an sit exacerbandus ob admonitionem & peiora facturus. *Respondeo* correptionem non debere fieri, nisi ob lucrum spirituale; ideò quousque id certò speretur, nemo tenetur corripere proximum (probabilitas, vt diximus *concl.*6. obligationem non inducit) nemo igitur tenetur in dubio. Ita Villalobos *in summa tom.*2. *tract.*4. *diff.*3. *num.*4. Tannerus 2.2. *disp.*2. *q.*5. *dub.*4. *num.*86. & Diana *part.*3. *tract.*5. *resol.*93.

Quæstio incidens.

Deficiente finis certitudine deficit obligatio.

OCTAVA.

1700 An possis omittere correctionem fraternam proximi, sub spe, quod ille se emendabit, aut ab alio corrigetur.

Nemo tenetur proximum fraternè corrigere, si speret probabiliter eum aut à se ipso, aut ab alio vtiliter corrigendum. Quia correctio est eleemosyna; nemo verò eleemosynam dare tenetur, si probabiliter sciat pauperis necessitatem ab alio, tempore opportuno, subleuandam. Eodem modo in proposito philosophandum est: si ille, qui cecidit, sit vir timoratus (tales præsumuntur Religiosi) & probabiliter censeatur citò conuertendus, nullâ etiam præmissâ correctione, illum non teneris corrigere. Quæ consideratio tollet scrupulos plurium zelo indiscreto laborantiũ.

Lectus

Lectus ab eruditissimo P. Bassæo placui, quia hanc ipse conclusionem defendit in suis Floribus *pag.222. g.* me citato.

ARTICVLVS. III.

Possitne Religiosus examinare Confratrum vitas, & inquirere peccata occulta, vt corrigat fraternè.

1701 MAteria est, in qua plurimos video hallucinari, multos scrupulis torqueri, iis satisfacient hæ Resolutiones.

PRIMA.

Prælatus inuigilare gregi suo ex officio tenetur.

Abbas, & quicumque habens iurisdictionem ordinariam, debet inuigilare suo gregi, & inquirere quid faciant subditi, zelo corrigendi paternè. Consultò *paternè* dixi, quia iudico hanc obligationem nasci ab officio, non à generali præcepto Charitatis. Ratio est, quia si hoc Prælati non facerent, disciplina corrueret, & exorbitarent multi, si scirent Antistites suos non esse circumspectos.

Debet itaque Præsul inquirere, an subditi obligationibus respondeant: obligationibus inquam, non solùm grauibus (*num.*1693.) sed etiam leuibus (*num.*1694.) imò & pœnalibus. Tenetur pœnaliter, si habeat à suis Superioribus merè pœnales leges, moraliter autem, si sit illi moraliter præceptum, vt corripiat, arguat, & puniat transgredientes leges merè pœnales: sed de hoc *articulo sequenti.*

S. Benedicti sententia.

Hæc conclusio est expressa D. Benedicti Regulæ suæ secundo, vbi lego: *Memor sit semper Abbas, quia doctrinæ suæ, vel discipulorum obedientiæ, virarumque rerum in tremendo Dei iudicio faciẽda erit discussio. Sciatque Abbas culpæ Pastoris incumbere, quidquid in ouibus Paterfamilias vtilitatis minus potuerit inuenire. Tantum iterum liber erit, si inquieto vel inobedienti gregi Pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuersa fuerit cura exhibita.*

Consonat S. Thomas.

Benedicto subscribit D. Thomas 2.2. *q.*33. *art.*6. *ad* 4. vbi notanda hæc verba: *Qui habet curam spiritualem alicuius, debet eum quærere* (hoc est, *de eo inquirere*) *ad hoc vt eum corrigat.* Et in cap. *Quamuis causa. De regulis iuris*, dicitur, *Non est Pastoris, si lupus rapiat oues, & ipse nesciat.*

1702 Inquirere de vita subditi, virtus est; ergo in medio consistit. Peccant remissi, peccant rigidi: satisfaciunt prudentes. Dabo nostri Lorcæ verba: *Quamuis hæc sit obligatio Prælatorum, prudentiæ moderamine temperanda est, ne sit nimia solicitudo, & intempestiua inquisitio; vnde proueniat, vt Prælatus ipse tanquam inquietus & suspicios us odio habeatur, & detractores foueat: excessus enim solicitudinis in hac parte non solùm inutilis, sed & molestus & odibilis subditis esse solet.* Suspicios us Prælatus non timeri non potest, & si se timendum reddat; quî satisfaciet Regulæ *cap.*64. dicenti; *Oderit vitia, diligat Fratres?*——*Studeat plùs amari quàm timeri. Non sit turbulentus & anxius; non sit nimius & obstinatus; non sit zelotypus & nimis suspicios us; quia nunquam requiesceret?* Hæc S. Benedicti verba, imò & mea illorum expositio placuit Bassæo in Floribus *pag.*221. *d.* editionis secundæ, vbi mihi subscribit.

Quantâ circumspectione & prudẽtia debeat Abbas actionibus Religiosorum inuigilare?

Obiicis verba ex libri Prouerb. capit.24. *Ne quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius.* Hæc verba noster Lorca *n.*10. *disp. iam citata.* bene explicat de priuato Religioso; hic enim non tenetur examinare suorum Confratrum vitas, vt inferiùs dicemus. Meliùs tamen exponetur in genere de inuidis & detractoribus; ac si diceretur, *Quære in domo tua impietatem, non autem in domo iusti: quia in ea impietas non reperitur.* Expono aliter, & fortè rigidiùs. *Quærere* apud probatissimos authores idem est quod *Adquirere:* testor Plautum in Curt. *Qui homo maturè quæsiuit pecuniam.* Hinc lux textui expendendo. *Ne adquiras impietatem in domo iusti.* Quoniam, si iniquum esse in domo peccatorum, scelestum est; peccare in domo iusti, crimen est intolerabile, quod detestantur Scripturæ vniuersæ. ¶ Quamcumque expositionem sequaris, exponitur authoritas Sapientis obiecta.

1703 Exponitur sacrum Prouerbium.

Quæro, solet poni pro *Adquiro.*

Instas secundò melliflui Doctoris verbis, qui *libri de interiori domo cap.*43. sic ait. *Tandiu quisque peccata ignorat, quandiu curiosè aliena considerat. Qui semetipsum aspicit, non quærit quid in aliis reprehendat; sed in se ipso quid lugeat.*

1704 Melliflui Doctoris sententia.

Homo duplex: realis, moralis.

Sed, vt Bernardi verba intelligas, sciendum est dari duos homines, politicum, & realem. Hic est quicumque vir priuatus, ille Communitas. Homo igitur realis & physicus suas operationes perpendat & iudicet, externas & alienas intermittat. Politicus similiter suas actiones discat, suas examinet; non verò alienas. Homo politicus & mysticus Monasterium est, cuius caput est Abbas, membra quotquot sunt in Communitate religiosa. Hic ergo homo mysticus caput habeat, quod reliquis membris prouideat; non quærat nec iudicet aliarum Communitatum vitas, sed propriam duntaxat: propria autem est, quæ vniuscuiusque.

Vtrique indicitur, *Nosce te ipsum.*

SECVNDA.

1705 Communitatis Administri etiam debent inuigilare.

Prior, Supprior, Decani, debent inuigilare & inquirere de moribus Religiosorum, prudenter tamen, & circumspectè. Probatur, quia ipsis Abbas delegat suam authoritatem, ipsis committit solicitudinem & curas. D. Benedictus Cap.48. *Deputentur vnus aut duo Seniores, qui circumeant Monasterium horis, quibus vacant fratres Lectioni; & videant ne fortè inueniatur frater accidiosus, qui vacat otio, aut fabulis, & non est intentus Lectioni.*

TERTIA.

1706 Quid de priuato Religioso dicendum sit?

Nullus simplex Religiosus potest inquirere peccata occulta confratris, vt illa fraternè corrigat, imò teste Lorca *loco supracitato numer.*10. vitiosa esset huiusmodi inquisitio. Ita D. Augustinus *serm.*16. *de verbis Domini*, quem citat & sequitur. Doctor Angelicus 2.2. *quæst.*33. *art.*7. *ad* 5. quibus subscribunt ferè omnes Doctores; expressiùs tamen Coninch *de actib. supern. disp.*28. *dub.*15. *n.*71.

Authores pro communi sententia.

Ledesma *in summ. tom.2. tract.4. cap.4. concluſ.11.* Petrus Fayus *de pœnit. in add. ad 3. part. quæſt.11. art.1. diſp. vnica ad vlt. arg.* Spatarius *in pract. criminali canon. tractat.4. cap.2. num.1.* Turrianus *in 2.2. tom.1. diſp.89. dub.5.* Laymanus *in Theolog.moral. lib.2.tr.3. cap.7. num.2.* Miranda *de ordin. iudic. tom.1. q.9. art.3. concl.3.* Diana *part.3. tract.2. reſ.42. §. Sed licèt.* Malderus *in 2.2. quæſt.33. art.3. aſſert.2.* Reginaldus *tom.1. lib 4. c.25. n.336.* Tannerus *in 2.2. diſp.2. quæſt.5. dub.4. num.79.* Villalobos *in ſumm. tom.2. tract.4. diffic.6. n.3.* Bannez *in 2.2. quæſt.33. art.3. dub.3.* Baſſæus *pag.221. e* vbi etiam me citat.

DISPVTATIO CXXXV.

Quomodo fraterna correctio debeat fieri ſecundùm expoſitionem D. Pauli.

1707 Apoſtolus Chriſti legẽ exponit.

TVLIT Chriſtus *Matth* 18. legem de fraterna correctione, indicens, ne peccator proclametur, niſi priùs bis admoneatur. Sine teſtibus vult priùs admoneri, poſtea coram teſtibus; tandem, ſi permaneat contumax, deferri ad Superiorem. Apoſtolus Gentium conſultus à Timotheo (2. *Epiſtolæ c.4.*) deſiderat peccatores multoties admoneri, quem ſequitur Benedictus *cap.2.* ſuæ Regulæ, vbi ne Abbatem quidem eximit ab obligatione admittendi conſilium datum à D. Paulo: *In doctrina namque ſua* ait *Abbas* (& à fortiori quicumque priuatus Religioſus) *Apoſtolicam debet illam ſemper formam ſeruare, quâ dicit; Argue, obſecra, increpa.* Nota illud *debet.*

Abbati S. Benedictus, vt Apoſtolum ſequatur, indicit.

1708

Correctio ex charitate debet naſci, & duplex eſt Paterna & Fraterna. Paternè Antiſtes ſubditos admonet; fraternè vnuſquiſque confratres. Verè correctio ſuauiter & opportunè debet fieri; eſſet enim inutilis, ſi aſpera; & fortè, ſi extra tempus, nociua. Fruſtrà cum proximi ignominiâ fiunt, quæ poſſent cum commendatione. Ad Paulum nos remittit pius Pater; nauemus operam Paulo, cuius ſalutaris acroaſis complectitur has periodos, *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa, in omni patientiâ, & doctrinâ.* Quæ verba egent expoſitione.

PRÆDICA, INSTA OPPORTVNE.

1709 Correctionẽ præcedere debet inſtructio.

Hæc verba ad inſtructionem pertinent, quando nimirum veritatis ignorantia præſumitur: nam ignorantes fruſtrà corriperentur, niſi priùs docerentur & inſtruerentur.

Quàm ſint neceſſariæ conciones?

Primus igitur Catholicæ correptionis catholicus eſt, hoc eſt, vniuerſalis, quando in ſuggeſtu, in cathedrâ carpimus vitia, & non proclamamus peccatorem. Eſt ſuauis inſtitutio, qualem deſiderabat Apoſtolus, cùm ad Galatas 4. ſcribens ait, *Inſtruite in ſpiritu lenitatis:* deuota enim concio, aptiſſima correctio eſt. Multi Prædicatorem audiunt, & quiſque ſibi appropriat, quæ ſua intereſſe iudicat, nemo rubore ſuffunditur, nemo ignominiâ maculatur.

1710 Etiam viri pij concionantur in ſermone priuato.

Concioni non ſolæ cathedræ ſunt deſtinatæ; concionatur in colloquio familiari, in regulari recreatione, qui opportunè aut virtutem aliquam commendat, aut vitium deteſtatur, quo inficitur proximus. Non debent eſſe diſcurſus quæſiti, ſed nati. Si tibi ſit quiſpiam confrater fragilis, claude ei latus in colloquio communi, præſentibus aliis de bello & Eccleſiæ afflictionibus ſermonem inſtitue; noua diſce, doce: martyres hodie ſub Chriſtianorum tyrannide pati, illacrymare; reſumentes, replicantes attende. INSTA hæc omnia alto Dei iudicio dirigi in expiationem ſcelerum, quibus mortales inquinantur. Nos in cauſa eſſe, cùm tam diſſolutè delinquimus. Deum bellorum ſtrepitu ſæpè vti, vt admoneat vnum vel alterum grauem peccatorem. Verè rigores Diuinos prouocant peccata occulta, quorum vltio (non enim ſubiacent humanæ correptioni & notitiæ) pertinet ad ſolum Deum. Immundis timeo, inquies; qui, ſi admoniti à Deo, non reſipiſcant, luent acerbiſſimas pœnas. Clamamus ad Cœlum, & non audimur, quia clamantes ipſi à culpis noſtris proclamamur, &c.

Inſtandi ſuauiſſimus modus.

De peccatis occultis.

1711 An correctio ſecreta ſoleat eſſe efficacior, quàm publica.

Huiuſmodi conuerſatio eſt vtilis, Deo laudi, confirmationi iuſto, & peccatori correctioni. Correctioni inquam, ſed familiari, amicæ & opportunæ; quæ ſæpè eſt efficacior correctione aſperâ & acerbâ. Huc Paulus reſpicit, cum indicit correctionis inſtantias opportunas.

INSTA IMPORTVNE.

1712 Quid inſtare importunè ſit?

Qui prædicatione opportuna admonitus adhuc remanet incorrigibilis, importunè admoneatur, non tamen ſtatim carpendo, & increpando, opus eſt inſtare, hoc eſt iterum prædicare; & ſi repetita prædicatio non profuerit, non expedit deſiſtere; oportet enim primò arguere, deinde obſecrare, tandem corrigere, carpere, vituperare.

ARGVE.

Quando fratrem eſſe inſtructum ſufficienter conſtiterit, & non ex ignorantiâ ſed ex malitiâ peccare, non eſt cur vlteriùs doceatur: ergo iam tunc ad correctionem venire neceſſarium eſt.

1713 Quid ſit arguere?

Prima correctio, fraterna inſtantia eſt importuna, & conſiſtit in argumentatione, quæ debet fieri ſine arbitris, dicente Domino, *Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Multa diſputando dicuntur, quibus aliàs non pateret aditus ad intellectum. Argue & diſputa cum peccatore per modum ſtudioſi examinis, vt cognoſcat quantum peccatum ſit quod commiſit, & vt confiteatur ſuos exceſſus antequam velit confiteri. Arte peccant nonnulli, arte etiam animæ lucrandæ ſunt Deo. Optimus eſt correptionis modus caſum moralem proponere, vt corripiendi mens paſſionis expers liberiùs & prudentiùs diſcurrat. Condemnamus enim actiones in aliis, quas in nobis commendabiles eſſe crederemus; ergo, vt peccator

Arte peccant non pauci.

Prodeſt caſu præmittere, & actiones in alio examinare. Et cur?

peccator clariùs peccati turpitudinem videat, crimen ſecundùm ſe debet proponi, aut ſaltem in perſonâ diuerſa. Habemus exempla illuſtriſſima in Diuinis literis, quæ hîc expendere non parum proderit ad propoſitum.

1714 Sic Regem Dauidem Nathan,

Nathan 2.*Reg.* 12.1. proponenti caſum in genere reſpondit Dauid: *Viuit Dominus quoniam filius mortis eſt vir qui fecit hoc*: ſed ſubſumit Propheta, *Tu es ille vir*: & intulit, *Ergo hæc dicit Dominus Deus Iſrael, &c.* Ecce Prophetę fraterne corrigendis ſolertiam, acumen, ſuauitatem. Non iuuat improperia profundere; charitatis ſcopus eſt, vt reſipiſcat proximus: ſi hoc ſine confuſione poſſit fieri, non eſt opus aſperitate. Armata etiam hoc ſuauiſſimo correctionis modo Thecuitis mulier 2.*Reg.* 14. 5. arguit Regem iratum, imò ſedauit & conuicit.

ſic & Thecuitis corrigit.

Præſtat arguere cum peccatore, quam ipſum peccatorem arguere.

Qui igitur ſcit ſuum confratrem cum pertinaciâ deliquiſſe, Paulo & Benedicto conſulibus debet cum peccatore arguere potiùs, quàm arguat peccatorem.

OBSECRA.

1715

Ad ſecundam correctionem veniamus, quæ coram arbitris viris probis & ſecretis tenacibus facienda eſt, dicente Chriſto; *Si autem te* (nempe arguentem) *non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.* Coram teſtibus pertinaciam proximi reprehende, vrbanè tamen & benignè. Ciuiliter reprehendit, qui obſecrat; rigidè imperat, qui fieri poſtulat, quæ indicere potuiſſet. Peccaminoſæ actiones omitti deberent propter Deum; ſed carpendi non ſunt, qui omittunt propter homines, dummodo omittant. Ergo, qui arguiſti fruſtrà, obſecra coram arbitris; tum authoritatem & amicitiæ iura impende, vt ſaltem te ſuadente aut petente ſe corrigat, qui ſui obliuiſcebatur.

An carpendi qui propter hominem à peccato deſiſtunt.

1716 An bis debeat coram aliis proximus corripi: ſemel coram vno, & iterũ coram duobus teſtibus?

Petis, *An ſit opus priùs adhibere vnum teſtem, quàm duos?* Sotus *memb.* 2. *q.* 4. *in fine concl.* 6. & Flores *de correction. difficult.* 6. aſſerunt debere priùs teſtem vnum adhiberi, & poſtea duos; negant Abulenſis *in Matth. cap.* 18. *quæſt.* 102. & Nauarrus *cap. Inter, verb. corol.* 46. *n.* 575. Vtramque partem probabilem cenſet Thomas Sanchez *conſil. tom.* 2. *li.* 6. *cap.* 2. *dub.* 7. ſed vltimam probabiliorem. Ego ſanè verba Chriſti conſiderans aſſero debere ſemel proximum corripi ſine arbitro aut teſte; & ſi remaneat pertinax, denuntiari non poſſe, niſi iterum coram vno vel duobus corrigatur. At verò in Chriſti verbis Soti ſententiam non video. Illa verba, *adhibe tecum adhuc vnum vel duos*, non ſignificant; te debere proximũ corripere coram vno, & poſteà coram duobus teſtibus: ſed debere proximum corripere coram vno vel pluribus teſtibus. Violentia igitur infertur ſacro Textui, cùm dicitur, *vel* eſſe idem ac *& poſteà*: nam *vel* diſiunctiua particula eſt.

1717 Hi teſtes debent ex illis eſſe, qui crimen ſciunt.

Sed hi teſtes, (vnus, aut duo) qui in teſtes adducuntur, quales? an ex iis, qui aliàs cognoſcunt crimen fratris: Alios, me conſule, ne accerſito; quoniam, ſi crimen abſolutè ſecretum ſit & tibi vbi notum, te exponeres ſummo periculo fratrem coram teſtibus corrigens. Mones illum coram grauibus viris, vt reſipiſcat à crimine, cui inhæret cum contumaciâ malitioſâ. Eiſdem ille, ſitis mihi teſtes, inquiet, quòd à N. calumniatore notor; ſum innocens; ergo iuridicè contra ipſum agam, & ſe non eſſe calumniatorem (ſi potuerit) oſtendet. Die ſequenti conuentus coram iudice, calumniator ageris, dantur teſtes, & pœna condemnaris.

An poſſint teſtes aduocati, qui crimen neſciãt?

Verè, ſi accerſiri liceret teſtes, qui crimen neſcirent, pateret aditus calumniatoribus: haberent maleuoli infamandi methodum, & correctionis fraternæ titulo innocentium famam, aliàs integram, labefactarent: falſa teſtimonia imponerent, cùm liberet; & mendacia ſua veſtirent ſpecie fraternæ charitatis. Ne igitur ſimilia ſequantur inconuenientia, hi ſolummodò adhibeantur in teſtes, qui nouerint crimen & patratorem.

1718 An poſſint aduocari plures?

Inquiris, *poſſintnè plures teſtes accerſiri?* Abulenſi *in cap.* 18. *Matth. quæſt.* 103. videtur quod non. Reſpondeo tamen neminem teneri plures teſtes adhibere, ſufficit enim vnus vel alter. Addo nulla lege numerum teſtium limitari, quia cùm hi debeant aliàs peccatum noſſe, nil inde ſequitur contra proximi honorem.

INCREPA.

1719 Quid increpare ſit?

Si quem arguendo & priuatim admoueris, & ne obſecrando quidem flexeris, tertiò corrigito, admonito Prælato quà Patre: dicente Chriſto Domino; *Si non audierit eos* (nempe arbitros) *dic Eccleſiæ.* Eum coram Prælato increpa, priuatim tamen. Eius pertinaciam notam facias Antiſtiti, ſed in omni patientiâ & doctrinâ. Non proficit, qui impatienter corrigit, non prodeſt, qui imprudenter caſtigat. Hîc verbum *increpa* habet vim vocis Hebrææ *Hiphil*, & ſignificat facere vt alter faciat, vt ſenſus ſit, *Increpa*: hoc eſt, vt increpetur & corrigatur à Superioribus efficias.

Quid importet vox *Hiphil?*

IGITVR.

Reſolutio.

Quiſquis fraterno amore afficeris, contumacem ſemel & iterum in communi reprehende: poſteà Chriſto & Apoſtolo ducibus ter priuatim corripe; nempe arguendo ſine arbitris, obſecrando coram teſtibus, increpando apud Antiſtitem quà Patrem. Conſonat D. Benedictus tum alibi, tum præcipuè Capite 65. vbi quinque admonitiones depoſitioni ab officio præmittit. Conſonant Viri docti & pij, qui de hac materiâ aliquid ſpeculatiuè aut practicè euulgarunt. Proderit virtutis & doctrinæ ſtudioſis legere ſtatutum latum à Ciſtercienſibus Germanis Cæſareæ anno 1626. vbi breuiter & dilucidè graues difficultates reſoluuntur. *Quia triplici modo*, inquiunt, *in punitionibus criminum procedi poteſt, nempe per denunciationem, inquiſitionem, & accuſationem, hortamur omnes Superiores, & Viſitatores, vt horum ſubſtantialia ita obſeruari curent, ne alicui occaſio præbeatur agendi, vel contra charitatem, vel contra iuſtitiam; maximè verò præcipimus Viſitatoribus, vt illi per Inquiſitionem ſpecialem non procedant, niſi eam præceſſerit infamia publica,*

Conſideretur hæc Ciſtercienſium Germanorũ Deciſio: nam omnia, quæ hucuſque diximus, magnâ claritate ad ſynopſim reducit.

aut eius loco indicia æquipollentia, vel semiplena probatio, neque etiam circa infamatum de vno crimine inquisitionem instituant de alio. Illis verò, qui in Visitationibus aliorum delicta nuntiare volunt, mandamus, vt ad denuntiationem ante factam fraternam correctionem, procedere non præsumant, nisi nulla ex fraternâ correctione esset spes emendationis; aut ex eâ quis iusto sibi timeret de malo graui inferendo, vel nisi in delicto graui periculum esset in morâ, vt si vergeret in graue nocumentum corporale, vel spirituale proximi, aut perniciem totius Communitatis; aut demum, nisi punitio delicti esset ob scandalum necessaria. Meminisse etiam debent denuntiantes, ad denuntiationem iudicialem (quæ quando est de re graui, in scriptis redigenda est) nunquam esse veniendum, nisi præmissa denuntiatione Euangelica, quâ res defertur ad Prælatum, non ad Iudicem, sed vt Patrem, qui delinquentem paternè admoneat, eidemque possit prodesse, non obesse. In quibus omnibus nullum est verbum quod non sit sanctissimum, prudentissimum, & necessariissimum, tu relege, & singula aduertentiâ speciali considera.

An in Monasteriorum Visitatione agi de culpis possit, quæ fraternè correctæ non sint?

An ad Abbatem priùs quâ patrem, quàm ad eũdem quà iudicem veniẽdum sit?

DISPVTATIO CXXXVII.

De Paterna Correctione.

Quî debeat Abbas procedere admonitus de secreto peccato impœnitentis Religiosi.

1721 Quomodo debeat Abbas Iudicem agere?

ANtistes quà Pater secretas discit culpas, non quà Iudex; quia si quà iudex admoneatur, publicè debet procedere, & iuxta allegata & probata iudicium ferre. Certior factus Antistes secreti criminis, æquo animo & prudenti procedat: manifestantur illi lapsus subditi, non vt torqueatur, sed vt corrigat. Verba illa, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, ostendunt Ecclesiam seu Antistitem debere corrigere: sed quomodo?

1722 An omni denuntiatori credendum?

Prælatus, cui crimen occultum denunciatur, debet bene inspicere Denunciatoris qualitatem; cui, licèt probus habeatur, ne statim assensum præbeat, sed rem altè examinet, quia sæpè *viridi latet anguis in herba.* Sæpè contingit delatorem esse inuidum, delatum innocentem. Optimè hoc percallebat D. Thomas Salemitanus Abbas, multorum Monasteriorum Visitator, qui longâ doctus experientiâ etiam nos docet non esse fidendum omni denunciatori. Anno 1618. Speciosam vallem inuisit, & quia fortè Superiorum cura videbatur nimia, nam, & dari solet nimia sanctitas, illos hortatus est his verbis. *Præsides non sint indiscreti. . . . erga informantes, duri, immisericordes, increduli, non calumnioſi, suspicioſi, aut omni delatorum spiritui credentes, sed iudicium misericordia sic temperent, & hanc illo, vt prauorum conatus impediant per aspera, & obedientes ac dociles ad maiora semper virtutum per placida prouocẽt incrementa.*

Prudens Salemitani Visitatoris Monitum.

Si Denunciatoris rationes rem probabilem reddant, ne festinet. In Capitulo, *Prædicet* siue concionem habeat die solitâ, vel si malit in conuersatione familiari vitium denuntiatum execretur, virtutem contrariam commendet, & laudet in communi: fortè Abbati, quem edisserentem omnes audiunt, reus obtemperabit. Si frustrà prædicasse se videat, *Instet* iterum sed *opportunè*, & *importunè*: importunitas efficaciam induit, opportunitas mitigat importunitatem. Si subditus pertinax permanserit, vocetur ab Abbate alia ex causa (ne sit suspicioni alicui locus) & interrogetur paternè de veritate criminis. Denuntiatus potest trifariam respondere, nempe *primò* asserens se nil feciſſe, *secundò* se peccasse, esse tamen paratum se corrigere, & mores exorbitantes reformare; *tertiò* se peccasse quidem, nolle tamen conuerti.

Quid facetè Abbas debeat, si videatur vera denunciatio?

Quomodo possit subditus respondere?

Igitur ab hoc vltimo incipiam, si quis pertinax, & incorrigibilis sit in peccato mortali secreto, debet Prælatus ad iudicium procedere, si certò sciat crimen probari posse; debet cessare, si certò sciat nihil posse iuridicè conuinci. Hæc assertio conciliat Caietanum, & Viguerium, quorum ille 2.2. *quæst.* 33. *art. octauo sub finem* in tali casu cessandum esse docet, iste *lib. instit. cap.* 12. §. 2. *versic. nona.* ad iudicium procedendum statuit. Caietano adsonat Nauarrus *cap. Inter verba. corol.* 59. *num.* 618. Sotus *de secreto memb.* 2. *quæst.* 4. *concluſ.* 8.

1723 Quid agendum, si subditus contumax & insolens sit?

Si reus se peccasse fateatur, *Arguat* illum Antistes: si conuersionem morum suorum proponat, pertinax censeri non potest, nec puniri, quousque vel accusatus causâ cadat, vel reincidentiâ frequenti se incorrigibilem esse demonstret. Si suis peccatis secretò adhæserit, iterum secretò admoneatur. *Obsecretur coram vno aut altero teste*, si dentur: & si nec obsecratus resipuerit, *Increpetur* viâ inquisitionis Canonicæ, si dentur testes sufficientes; aliàs, ne sit solicitus Prælatus, quia suæ obligationi satisfecit, sed commendet ouem miseram Deo Archimandritæ Optimo, deprecans, vt impœnitentis aperiat oculos, & efficacibus auxiliis prouehat voluntatem.

1724 Quid, si misericordiam petat, & emẽdationem proponat?

Tandem, si denunciatus neget arguenti Antistiti se talia peccata commisisse, & hæc aliàs non innotescant, nec puniri nec corrigi poterit, præcipuè si sit vir famæ integræ, & inculpabilis conuersationis. Prælatus debet esse prudens, nec statim denunciata credere, fortè faciliùs est denunciatorem calumniatorem esse, quàm denunciatum peccatorem. Sumus in miserrimo sæculo, quod inuidis multis exuberat. Sunt æmuli, qui prætextu denunciationis Euangelicæ viros probos infamant. Denuntiatus ergo audiri debet; &, si negatiuus permaneat, nequidem admoneri potest; quia alias videretur Antistes denunciatori credere potiùs, quàm denunciato.

1725 Quid, si crimen negat?

Si ad iudicium deueniendum sit, proceditur per viam inquisitionis, quam alibi expono.

Dum hæc scribo, in memoriam veniunt multæ denunciationes maleuolæ coram me, coram aliis Abbatibus amicis meis, à maleuolis institutæ.

ABBAS Quà ARBITER, seu Monasticus Iudex.

1726 Quis sit in Monasterio Arbiter?

SIc ille vocatur, qui extra solemnitatem iuris potest ex æquitate iudicare. Arbitrij authoritas soli Abbati competit ex officio, ex delegatione autem Præposito, Suppriori, olim etiam Decanis. Arbitrij prærogatiua Iudicialis est, sed quodammodo exlex: non enim subest iuri scripto, sed æquitati rationabili. Arbiter Græcè διαιτητὴς dicitur, cuius officium est decernere, non prout ius dictat, sed prout ipsemet æquum existimat. Quid sit arbitrum esse?

TEXTVS. Cap. 46.

Vt non præsumat quisquam alium cædere.

1727 Pueri corrigi à senioribus possunt, sed benignè: pueri dicuntur, qui nondum ingressi sunt quintũdecimum annum.

VT vitetur in Monasterio omnis præsumptionis occasio, ordinamus atque constituimus, vt nulli liceat quemquam Fratrum suorum excommunicare, aut cædere, nisi cui potestas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus *a* arguantur, vt cæteri metum habeant. Infantibus verò vsque ad quintum decimum annum ætatis, disciplinæ diligentia sit, & custodia adhibeatur ab omnibus: sed & hoc cum omni mensurâ, & ratione: nam in fortiori *b* ætate, qui præsumpserit aliquatenus *c* sine præcepto Abbatis, vel in ipsis Infantibus sine discretione exarserit, Disciplinæ Regulæ subiaceat. quia scriptum est: *Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris.* An hîc, anni incepti, an completi intelligendi sunt? Poterit vnusquisque illam interpretationem admittere, quam iudicet fauorabiliorẽ.

1728 Fortior ætas, quæ?

a *Nempe præmissâ fraterna, imò, & paternâ correptione.*

b Fortior ætas, *vt colligitur ex contextu, à sexto decimo anno incipit: ideò Tridentinum interdixit vota solemnia pueris, qui nondum compleuerint annos sedecim, quia in tali ætate non videntur habere debitam arbitrij fortitudinem, vt sciant quid, & qualiter debeant profiteri.*

Præceptum quid? An pugnæ, aut etiam rixæ inter amicos, si alter percutiat alterum, statim carpendæ sint, vt peccata mortalia Canonis excommunicatione infecta?

c Sine præcepto, *hoc est sine licentia: modus loquendi valde communis Benedicto.*

Qui confratrem læserit etiam ad effusionem sanguinis, non statim censendus est contrauenisse Canoni, Si quis suadente Diabolo, *neque esse excommunicatus: ratio est, quia hæc sanctio afficit actionem aliàs mortaliter peccaminosam. Multi sunt casus, in quibus similia ex leuitate aut inaduertentia possunt fieri, & per consequens esse actus aut indifferentes, aut veniales, siqui ioci gratia, siqui causa experiendi vires aut dexteritatem ex leuitate armis confligerent, & præter intentionem se lauderent; actionem illam de indecentia, de immodestia arguerem, non tamen de peccato mortali.*

Amicus sæpè amici actionibus prædominatur, imò, & regulas indicit, quas impunè non transeat. Talia peccata castigare amor est, odium non est; ergo castigationes similes licèt grauem molestiam inferant, vel leue damnum, dummodò prudentis iudicio non contrarientur amicitiæ, inter iocos recensendæ sunt, timendusque in eis potiùs inordinatus amor, quàm furor. Fortè latet inordinatus Amor, vbi odium se ob oculos exsecrit. N.B.

Hæc necessariò dicta sunto ad tollendos imprudentium scrupulos, qui leuiter condemnant de culpa graui leuitates. Actiones huiusce modi nonnunquam bonæ sunt, nempe cùm ad bonum priuatum vel publicum ordinantur; quibus si præscribatur finis malus, malæ etiam erunt: secundùm se considerata indifferentes sæpius, veniales aliquando, si leues sint, & leuiter prudentiæ terminos excedant; hos enim, stante iocantiũ amicitia, grauiter excedere nõ possunt. Resolutio.

TEXTVS. Cap. 69.

Vt in Monasterio non præsumat alter alterum defendere.

1729 Lex hæc, & valdè prudens, & valdè necessaria est.

PRæcauendum est, ne quâuis occasione præsumat alius alium defendere Monachum in Monasterio, aut quasi tueri, etiamsi quâlibet consanguinitatis propinquitate iungantur, nec quolibet modo id à Monachis præsumatur: quia exinde grauissima occasio scandalorum oriri potest. Quod siquis hæc transgressus fuerit, acriùs coërceatur. Hoc Caput apud Monachos rigidè obseruari solet: sed apud Moniales quis mulierũ actionibus modum imponat? sedatiore illæ animo, se verberibus, quàm amicas suas verbis corripi tolerant: magna indigent Superiores prudẽtiâ, vt fœminas pacificè regant.

Quando aliquis accusatur iuridicè, vnicuique licet innocentem suo testimonio protegere.

Confratrum actiones à nemine defendi debent; quia, si vnicuique liceret alterum propugnare, periclitaretur disciplina. Ergo in Capitulo, dum aliquis corrigitur extra solemnitatem Iuris, nemo audeat impositas culpas excusare, aut negare.

Cùm agitur de rebus moralibus, quæ honorem tangunt, vnicuique licet se defendere, sed iuxta Iuris regulas; vnicuique ingenuo præbere testimonium pro altero, sed de hoc, cùm de Antistite quà Iudice.

DISPV

DISPVTATIO CXXXVII.

An Abbas nullâ præmissâ solemnitate Iuris possit quempiam punire publicè.

1730 Quibus peccatis honos perdatur, aut minuatur.

PECCATVM duplex, veniale, & mortale. Id in nullo bene disciplinato Monasterio committi potest sine infamiâ; illud sæpe sine infamiâ committitur: nam omnia illa leuia, quæ Deum solum respiciunt, cùm soli peccanti nociua sint, non inferunt aliqualem infamiam. Ex peccatis leuibus contra proximum, vt leuis inobedientia, iræ illi motus, quos vocant per se primos, honorem nedum leuiter lædunt, cùm sint transcendentales negligentiæ, quæ vniuersos peruadunt. In materiâ venereâ actio leuis leuiter poterit honori officere. Cæterùm apud cordatos conuicti de leui mendacio, & furto leui nullius vnquam fuerunt authoritatis; hæc enim peccata venialia, si ignominiam positiuè non ingerant, saltem opinionem apud prudentes labefactant.

De furto & mendacio.

1731 An sit infamia habere monialem deuotam?

Hæc, quæ dixi, consonant iudicio vniuersorum: addam aliqua, quæ non dependent ex naturâ rerum, sed ex variâ gentium apprehensione. Cœci nesciunt, quid sit habere Monialem deuotam in Hispaniâ: interim hoc permittitur aut toleratur; & deuotam habere nec leuem ignominiam parit. Æternùm miser esset in eadem regione, qui appareret semiebrius: & tamen esse semiebrium, & forsitan ebrium, non est ignominiosum in Germania. In materia fidei, qui vel leuiter in Hispania delinqueret, suspectus esset, ab indigenis notaretur grauiter, fortè, & incommoda summa perferret: in aliis autem regionibus liberior intellectus, & labium: hæreticas propositiones dicunt hi leporis causa, illi ignorantiam simulantes, & infames non sunt: quoniam in regionibus multis neque ipsimet hæretici iudicantur infames.

An esse ebrium?

An esse hæreticum?

Ergo ad hoc vt discernatur, an actio aliqua sit grauiter aut leuiter ignominiosa, considerandæ sunt personæ, prouinciæ, & gentes. His positis sit.

CONCLVSIO I.

1732 Ob negligentias, quæ ne quidem leuè ignominiam inferunt, poterunt Præsides qualitercumque Monachum proclamare.

Potest Abbas (& in ipsius absentia, qui præsidet Capitulo) proclamare, condemnare, punire quemcumque sine solemnitate Iuris, quoties materia nec leuiter est ignominiosa. Patet: quia sic conseruatur disciplina Monastica, & nullum damnum emergit. Ita Perez *lib.8. ordin. titul.4. fol.130. pag.1.* Angelus *verb. Inquisitio. num.2.* Syluester, *verb. Inquisitio. 1. q.3. dist.2.* Armilla *verbo Inquisitio num.12.* Corduba *super Sotum de secreto tegendo membr.2. q.4. conclus.7.* Thomas Sancius *Consiliorum lib.6. cap.8. dub.1. num.1.* & alij.

At & tunc præcedere debeat fraterna correctio?

Inquiris: *Vtrùm similibus correctionibus debeat præmitti fraterna correctio?* Si agamus de aliis Regionibus, respondeo negatiuè, subscribens D.Thom. *2.2. quæst.33. art.7. ad 4.* Abulensi *cap.18. in Matth. quæst.97. ad 8.* Soto *de secreto membr.2. quæst.4.* & Sancio *vbi supra.* Si verò de Ordine nostro Benedictino, respondeo affirmatiuè: quia Regula vbique fraternam correctionem postulat, imò, & correctiones; sed de hoc disputatione sequenti.

CONCLVSIO II.

1733 De proclamatione actionum secretarum leuium.

Qui in Capitulo proclamauerit actionem secretam, sed leuiter infamatoriam, peccat venialiter, siue Prælatus sit, siue non. Patet: quia contra ius nocet proximo in quantitate leui. Hanc veritatem tradiderunt & obseruari iusserunt Cistercienses Antistites Congregationis Germanicæ, qui anno 1595. hanc legem ediderunt. *In Capitulo* (conuentuali) *emendandi corrigendique sunt defectus, & quæ ad spirituale fratrum regimen pertinent, cum secreti custodia cum tractanda.* Ergo secreta euulgare non licet.

CONCLVSIO III.

1734 De proclamatione actionum secretarum, quæ grauem ignominiam inferunt.

Proclamare actionem grauiter ignominiosam, sed secretam, est peccatum mortale. quia in his, quæ tangunt vel leuiter honorem proximi, nemini licet iustitiæ limites excedere, nec Benedictini honori renunciarunt, sed reseruarunt potiùs cæteris renunciantes. Ergo, siue Antistes, siue Confrater sis, nil agas contra proximi honorem sine iuris solemnitatibus. Contingit leuia peccata inferre ignominiam notabilem; talia sunt mendacium, & furtum etiam in materia leui, quoniam prudentum iudicio contemptibiles sunt fures, latrones, & mendaces. Hinc *Assere primò* aliquem posse peccare mortaliter, qui leuiter mentitur (esto simile iudicium de furto) non quòd mendacium leue sit peccatum graue, sed, quòd ex eo sequatur vel graue damnum proximo, vel mentienti grauis ignominia; vnde aliud est asserere leue mendacium esse peccatum graue, aliud solere eos grauiter peccare, qui leuiter mentiuntur: licèt enim primum sit apertè falsum, secundum est constanter verum. Quid leuius, quàm tripudiare, si tripudium consideretur secundum se? cæterùm nonnè peccaret grauiter Episcopus, si tripudiaret in choro; peccaret equidem, non quia tripudiaret, sed quia tripudiando omnem suum honorem deperderet, se enim exponeret ludibrio, & contemptui, censeretur-que phreneticus, & scandalosus. Quid leuius saltu? Sed peccaret mortaliter, qui ex turri exsiliret: non quòd saltaret, sed quòd saliendo vitam perderet. Sic similiter censeo Virum ingenuum (talem se vnusquisque iudicat) cùm conuincitur de formali mendacio, notabilem honorem perdere: nemo enim auderet credere aut fidere homini in mendaciis deprehenso. *Hinc assere secundo* peccare mortaliter Præsidem, qui in Capitulo, omissa solemnitate iuris, Virum grauem & in authoritate positum argueret leuis mendacij, secreti tamen; quia argui de mendacio ita ignominiosum est, vt apud Hispanos nobiles purgari non soleat sine duello. Huc respexi numer.52. huc velim respiciant Antistites correcturi culpas veniales.

An furto aut mendacio leui grauiter honos lædatur.

In actione leui reperiri possunt & solent grauis considerationis circumstantiæ.

An arguere aliquem de mendacio, sit mortale?

Antistes,

1735 Quid ſtando iuri naturæ.

Antiſtes, qui voluerit ſatisfacere iuri naturæ, poterit proclamare in Capitulo omnia peccata leuia, ex quibus nec leuis ignominia ſequatur. Hoc dico de Prælatis aliarum Religionum; Regula enim Benedictina regidior eſt, & nullum peccatum, nedum veniale publicè proclamari permittit, ſi ſecretum id fuerit, & notum ſoli correcturo.

Quid autem ſtando Regulæ dicendum ſit:

Abbas igitur, qui leuem culpam moralem, ſecretam tamen, & ne leuiter quidem infamatoriam proclamat, & punit in Capitulo, non peccat venialiter nec mortaliter contra ſecretum naturale: quia certum eſt omnes habere veniales culpas, & ſupponitur ſubditus nihil in proclamatione perdidiſſe. Operatur tamen ille Prælatus contra Regulæ Caput 46. quæ cùm ſit lex merè pœnalis, non obligat in foro interiori. Cæterùm, ſi Abbas Abbatis Pater, verb. grat. Dominus Ciſtercienſis Domino Firmitatenſi, iuberet in virtute ſanctæ Obedientiæ, ne peccata venialia publicè corrigeret, ſed priuatim, teneretur obedire; &, ſi contrarium faceret, peccaret venialiter; quia contraueniret legitimo, & regulari præcepto in re leui.

CONCLVSIO IV.

1736 Quænam culpæ in Capitulo corrigi debeant?

Defectus corrigendi in communi Capitulo ſunt bi. I. Omnes actiones, quæ opponuntur Regulæ, quam eſſe legem merè pœnalem, & ante præceptum Superioris Ordinarij non obligare ad culpam, oſtendi diſputatione 7. & confirmaui in commentario Capitis 46. II. Ex moralibus veniales illi, qui fuerint publici. III. Ex ſecretis, qui nec leuiter ſunt infamatorij.

1737 An expediat iuniores à ſenioribus proclamari?

Seniores proclamare ſolent iuniores, ſed diſcretione ſumma opus eſt, vt hoc vtiliter fiat. Primò, vt in Capitulo Senioris proclamatio proficiat, debet clarè, & manifeſtè naſci ex zelo prudenti, ſequi correctionem fraternam, fieri à viro famæ integræ, qui in eodem Capitulo non fuerit à Præſide aut alio quopiam proclamatus: ille enim, qui defectus proprios non curans, aliorum inſudat correctioni, bifariàm excipiendus eſt, cùm quia ſui obliuiſcitur, tum quia reformationi ſuorum morum, quam pollicitus eſt, alienam quam non promiſit, anteponit.

An præſtet proclamationes à ſolis Præſidibus fieri?

Suaderem proclamationes fieri à ſolo Præſide, non à Confratribus: ſæpiùs enim, quæ à Confratribus fiunt, occaſionem iurgiis, & maximis difficultatibus præbent: vix enim, & rarò reus exiſtimat illas ex vindicta aut aliqua maleuolentia non oriri. Sufficeret admonere Præſidem extra Capitulum, hoc potiùs ordine correctionis fraternæ poſtulante.

An nimis frequentes ſint vtiles?

Gignunt rixas & diſcordias proclamationis indiſcretæ. Si frequentes ſint, opinio, & ſplendor publicus obtenebreſcit, quoniam notante Lipſio *Epiſt. 20. Cent. 5. miſc.* Amicitia eſt Sol animi: illa exule, corpus ciuile languet, & caligine offunditur; illa reduce, lumen bonæ famæ recuperat, & exerit radios boni exempli.

CONCLVSIO V.

1738 An pœnitentiæ Regulares aliquam infamiam aut ignominiã inferant?

Pœnitentiæ Ordinis inferunt meram incommoditatem, ſed ignominiam nullam. Patet, quia aut ordinariæ ſunt, & leues: aut graues, & extraordinariæ. Leues, & ordinariæ cùm culpam nedum leuem arguant (ſæpè enim imponuntur præuaricantibus regulares ſanctiones, quæ merè pœnales ſunt, ſæpe non præuaricantibus mortificationis gratiã) proclamatum nec leuiter infamare poſſunt. Si extraordinariæ ſint, non imponentur niſi ob crimina iuridicè probata, & qui has ſubierit, infamiam contrahet, non quòd ſubierit, ſed, quòd crimina commiſerit, quæ eas merentur. Vnde, ſi alicui ob leuem negligentiam grauis imponeretur pœna, Iudex de imprudentia quidem, ſed reus ne de leui infamia arguere tur; Tolerantia indigeret, Cicerone enim *Epiſtol 80. a.* conſule, *æquo animo ferenda eſt fortuna, præſertim modo à culpa abſit.*

Imponi poſſunt ſine culpâ; ſed tunc non *pœna*, ſed *pœnalitates* vocantur.

Hic obiter carpo Religioſos, qui pœnitentias regulares ægro animo ferunt, hic Præſides remiſſos, & timidos; diſciplina Monaſtica periclitatur, ſi vel regulares pœnitentiæ intermittantur, vel frequententur & cenſeantur, vel leuiter dedecorare. Inſoleſcerent omnes, ſi pœnæ monaſticæ obſoleſcerent; infames eſſent omnes, ſi diſciplina ſeueriore dominante, pœnæ communes famam labefactarent.

Sunt neceſſariæ hæ pœnitentiæ.

Diſtinxi inter pœnas communes, & extraordinarias. Petis quænam prioris generis cenſendæ ſint. Reſpondeo, verbales correptiones, diſciplinas, excommunicationes regulares (quales hæ ſint expono *num.* 1742.) proſtrationes, & ſimiles quaſcumque alias (præter incarcerationem, & continua dictum plurium ſupplicia) ordinarias, & leues apud Benedictinos iudicari. Supplicium continuum & habituale non dicitur, quod dies octo, vel decem non excedit.

Quænam pœnitentiæ communes, & quænam extraordinariæ dicantur?

CONCLVSIO VI.

1739 An Monachi liceat appellare?

A Pœnitentiis regularibus illatis ſine iuris ſolemnitates pro culpis ne leuiter quidem infamatoriis, non datur appellatio. Patet, quia appellatio eſt exceptio contra iuridicam ſententiam, & regulares pœnitentiæ non ſunt forenſes, ſed ſolùm arbitrariæ. Laudo Definitiones Generales Ciſtercienſium, vbi legitur, *Pœna conſpiratorum ſubiaceant omnes illi, qui in quotidianis Capitulis Præſidentium obſtinato animo iudicium Patrum Abbatum voluerint expectare* Hoc eſt, cenſeantur eſſe conſpiratores, qui in quotidianis Capitulis præſumpſerint appellare à Suppriore ad Priorem, ab hoc ad Abbatem, aut ab Abbate ad Abbatis Patrem immediatum. Conſonant Prouinciales Germanicæ Congregationis, inter quas, confirmat noſtram reſolutionem hæc. *Si quis iniunctam ſibi pœnitentiã ſuperbè recuſauerit, aut ſine Præſidis licẽtia loqui auſus fuerit, in carcerem mittatur, niſi ante exitum Capituli reſipiſcat, iniunctamq; ſibi pœnitentiam acceptet, & Præſidi ſatisfaciat. Non licet Religioſo pro quacumque correctione capitulari appellare à ſententia proprij Abbatis,*

Quando non liceat?

aut Præsidis ad Superiorem, vel etiam ad Nos, sed eiusmodi præsumptio, & insolentia ad aliorum exemplum, & terrorem seuerè puniatur. Si quispiam tamen priuandus sit voce actiua, & passiua, vel ad perpetuos carceres condemnandus, permittatur ei ad superiorem cum omni tamen modestia, & humilitate appellare; & interim carceratus maneat, donec eius causa decisa fuerit.

Quando liceat?

CONCLVSIO VII.

1740 An, quæ in Capitulo tractantur, obligent ad secretum?

Illa, quæ aguntur in Capitulo (siue corrigantur, siue consulantur Religiosi) remanent sub sigillo secreti naturalis. Probatur.

Primò. Ideò correctiones Regulares possunt fieri, quia ne leuiter quidem lædunt opinionem; atqui læderent, si sæcularibus, & externis narrarentur, aut obiicerentur à confratribus extra Capitulum: ergo extra id de sententiis in eo latis loqui non possumus. Quod si aliqui de huiusmodi rebus agant, criminis læsæ communis vitæ rei sunt; & vt conspiratores debent puniri. Vnde si hi tolerentur, sequitur peccare Præsides quoties in Capitulo aliquem corrigunt extra iuris solemnitatem. Idcirco florentissimæ Congregationes pœnis grauissimis excipiunt eos, qui Capituli conuentualis secreta ausi fuerint vulgare.

Consiliarij secretum obseruare tenentur.

Secundò. Consiliarij, & Communitatis Deputati debent seruare secretum (imò, & apud Cistercienses ad id se obligant præstito iuramento. Constat ex Generalibus Definitionibus, quas *Nouellas* nominant, §. *De official. institut. & iurament. præst.*) Ergo à fortiori tenentur ad secretum omnes Religiosi. Probatur, quia leuia tractantur cum Consiliariis, grauia cum omnibus. Ergo, si leuia secretum postulant, quis asseret grauia ad secretum non obligare? Imò ideò exigitur à Consiliariis iuramentum, quia ex naturâ rei leuiter tenerentur seruare sigillum secreti naturalis, & præstito iuramento obligabuntur grauiùs, quod non exigitur à singulis, quoniam grauia, & secreta ante omne iuramentum obligant ad secretum. Omnia autem, quæ aguntur in Capitulo, regulariter sunt grauia: licèt enim ipsa ex se leuia sint; nihilominùs, quòd in Capitulo tractentur est Monasticè graue; ergo Monasticè grauiter peccat, qui similia non tacuerit. *Monasticè* consultò dixi, quia mortaliter tunc peccat, cùm secretum quis detegit, grauiter conducens ad authoritatem publicam vel priuatam.

Ergo & tota Cõmunitas.

Cur Consiliarij ad secretum iuramento obligentur?

Potest esse res in vno genere leuis, & in alio grauis.

Contra eos, qui exprobrando crimina iam correcta obiecerint, datur Lex apud Cistercienses Definitionum General. *distinct. 7. c. 7.* quam subiiciendam iudico, vt discant omnes qualiter illa, quæ in Capitulo conuentuali aguntur, seruari debeant sub sigillo secreti. *Quacumque persona Ordinis nostri maliciosè detraxerit, vel super excessum iam emendatum exprobrando alteri Monacho, vel conuerso impetierit; Si Monachus super hoc conuictus fuerit, tribus diebus vapulet in Capitulo, & per mensem vltimus omnium habeatur: si verò Conuersus, sex diebus continuis ad terram comedat, pane, & aqua, & vno pulmento contentus, & tribus diebus disciplinetur in Capitulo Conuersorum. Qui verò contra Superiorem suum prædicto modo peccauerit, grauiùs puniatur, secundum quod in gradum peccauerit altiorem. Moniales verò, vel Conuersa in casu simili pœnitentiam sustineant Monachorum.*

Quomodo corrigi debeant Monachi, qui alicui correctas in capitulo culpas exprobrauerint?

Quomodo Moniales ob idem crimẽ.

TEXTVS. Cap. 46.

De his qui in aliquibus rebus leuibus delinquunt.

1741 An Monachus teneatur se prodere, quando contra Regulam peccauit?

SI quis, dum in labore quouis, in coquinâ, in cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliquâ, dum laborat, vel in quocumque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quidpiam, aut perdiderit, vel aliud quid excesserit vbi vbi, & non veniens continuò ante Abbatem, vel Congregationem, ipse vltrò satisfecerit, & prodiderit delictum suum; dum *a* per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi. Si Animæ *b* verò peccati causa latens fuerit, tantùm Abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciat: qui sciant curare sua, & aliena vulnera, non detegere aut publicare.

Seruatur etiamnũ ac curatè ista lex: qui enim aliquid fregit, coram Superiore prostratus veniam impetrat.

An quando peccauit cõtra legẽ Dei aut Ecclesiæ?

a *Admittit denuntiationem, & correctionis fraternæ non meminit, quia in negligentiis, quæ pœnas respiciunt, & non mores, nemo tenetur seruare correctionis Euangelicæ regulas, licèt tutiùs, & amicabiliùs possit.*

Cur hîc S. Pater nõ meminerit correctionis fraternæ?

b *Disputationis VII. Articulus III. hanc Epigraphen habuit*, Notitiæ penitioris gratia suppono omnia & singula, quæ sunt in Regula ex Legislatoris mente habere vim præcepti moralis, & vtrùm ad ea in conscientiæ foro obligemur examino. *Verùm notitiæ penitioris gratia supponi dicitur, quod verum non est. Culpas, excessus leues admittit noster Legislator in coquinâ, in cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in artium praxi, in manuum labore, &c. asserit tamen hos excessus non esse morales, eos enim Animæ peccatis opponens demonstrat Animæ peccata non esse. Hic subsumo. Quicumque delinquens leuiter, non peccat venialiter, non est operatus contra moralem, legem, sed contra merè pœnalem; atqui teste D. Benedicto ne venialiter quidem pecant, qui leuiter in regularibus delinquunt, ergo vel ipso teste Regula est lex merè pœnalis.*

An S. Benedicti Regula ad peccatum obliget.

EXCOM

EXCOMMVNICATIO MONASTICA.

1742 An excommunicatio maior & minor, quæ in Regulâ inuenitur, fuerit Ecclesiastica, an tantum Monastica?

DE hac Excommunicatione multa circumferuntur à Viris doctis, sed non omnia æquè doctè tractata. Si examinemus Historias, debemus dicere, Excommunicationem huiusmodi moralem non esse, imò non posse probabiliter moralem asseri. Quod, vt intelligas, nota id, de quo nemo ambigit, nempe, non dari potestatem fulminandi excommunicationes Ecclesiasticas, quæ non dimanet ab Ecclesia, Atqui quando has Excommunicationum leges ferebat Benedictus, nullam habebat authoritatem Ecclesiasticam dimanantem ex clauibus: ergo diras Ecclesiasticas fulminare non potuit. Minorem persuadeo. Quando scripsit hanc Regulam Vir sanctus, nondum erexerat Monasterium Cassinense, quoniam imprudenter procederet, si militem exlegem conscriberet militaturum vni Deo: sed antequã haberet Monasterium, non habebat aliquã authoritatem, ergo non potuit leges Ecclesiasticæ Excõmunicationis ferre. Hanc authoritatẽ cũ fuit Abbas non habuit, quia fuit merus Pater familias & Caput Ordinis nondũ ab Ecclesia approbati. Benedictinorum votum erat publicum, non solemne; non enim emittebatur approbantis Ecclesiæ authoritate. Habebat igitur in suos iurisdictionem Ecclesiasticam, qualem tu in amicum qui tibi voueret obedientiam; hoc est, nullam. Patent hæc omnia ex approbatione Regulæ facta à Gregorio Magno Summo Pontifice Benedictino Religioso, qui post felicissimum D. Benedicti obitum, eius vitam calamo accurato descripsit, & postea anno Pontificatus sui IV. duodecim Monasteria quæ ipse Benedictus construxit, & Regulam, quam eis præscripsit, Apostolica authoritate confirmauit. Hæc Confirmatio Regulæ est primus fauor Apostolicus concessus Benedictino Ordidini, & fundamentum reliquorum: ergo D. Benedicti tempore non habuit Ordo concessum Priuilegium ligandi Ecclesiasticâ Excommunicatione.

An Regulam scripserit S. Pater, antequam Monasterium fundaret?

An D. Benedictus habuerit authoritatem ex Ecclesiæ clauibus?

An vota tunc fuerint solemnia?

S. Gregorius Papa Regulã Benedictinã confirmat.

Excommunicatio igitur Monastica moralis non est, sed censura merè pœnalis, incommoditatem corpoream inferens, & hominem interiorem non tangens.

Principalis Conclusio.

De Excommunicatione Ecclesiastica nonnulla inferiùs *n.* 1747.

TEXTVS Ex Cap. 23.

De excommunicatione culparum.

1743 An improbi sint excommunicandi?

ADmonitus semel & secundò à *b* Senioribus, si non emendauerit, obiurgetur publicè *c* coram omnibus: si verò neque sic correxerit, si intelligit qualis *d* pœna sit, Excommunicationi subiaceat; sin autem improbus est, vindictæ *f* corporali subdatur.

a *De fraterna correptione disputaui superiùs* à n. 1676. ad 1728.

Seniores, qui?

b *Seniores qui? Præsides: nempe Abbas, Prior seu Præpositus, Supprior, Decani & si quibus aliis authoritas regendi delegatur.*

c *De modo corrigendi in Capitulo tracto* num. 1730.

An, & cur excõmuniatio moralis sit magna pœna.

d *Magna pœna est proscribi, licèt hoc sit ad breue tempus.*

Homo animal sociabile est, & si Cœnobita quis fuerit, non iam sociabilis, sed socius est. Ergo pœna magna est societate priuari, & confratrum communicatione.

e *Improbus, imprudens, communionem & familiaritatem suorum parui faciens.*

An, & cur excommunicatio pœnæ corporali contraponatur?

f *Vindicta coporalis, est sensibilis pœna, puta Abstinentia, Verberum, &c. Pœna corporea hic non opponitur spirituali morali; sed incorporea; quia Excommunicatio, sicut & apud seculares Exilium, pœna corporea non dicitur, sed ciuilis, politica & physicè incorporea. Physicè, inquam, quia etsi Animum generosum torqueat, non ligat Animam.*

Obiectio.

Vt melius hoc intelligatur, proderit insinuatam obiectionem ad terminos Logicos reducere. Sic inquit. [Qui non excommunicantur, & tamen improbi sunt, puniri pœna corporali iubentur. Ergo hæc excommunicatio non est pœna corporalis, sed spiritualis. Ergo animam ligat, non corpus. Ergo hæc Regularis excommunicatio, est Ecclesiastica.] *Et ego concesso antecedente, distinguo primum consequens, concedo enim hanc Monasticam excommunicationem non esse purè corporalem: & nomen* SPIRITVS *distinguo, quia aliâs sumitur pro* Animo, *aliàs pro* Anima. *Aio igitur excommunicationem regularem, animam non concernere: affligere tamen corpus & animum. Corpus propter ieiunia, incarcerationem, disciplinas, &c. animum propter separationem à consortio confratrum, quos amamus; hæc enim animum generosum transuerberat. Vnde Ouidius,*

Responsio.

Spiritualia dicũtur, quæ concernunt animam, & etiam, quæ concernunt animum.

Cùm subit illius tristissima noctis imago.
Labitur ex oculis tunc quoque gutta meis.

Nostræ sententiæ confirmatio.

Vnde ad secundam consequentiam nego hanc excommunicationem ligare animas: & ad tertiam nego illam Ecclesiasticam esse.

Resolutionem meam ex ipso contextu confirmo. Sic arguo. Ecclesia improbos & pertinaces excommunicat, Regula non excommunicari improbos & pertinaces præcipit. Ergo excommunicatio Regularis non est excommunicatio Ecclesiastica.

TEXTVS ex cap. 24.

In Maiorem, & Minorem diuiditur Excommunicatio.

1744 Excommunicatio Monastica est duplex.

SEcundùm modum culpæ, & Excommunicationis, vel *a* disciplinæ debet extendi mensura: qui culparum modus *b* in Abbatis pendeat iudicio.

Ecce non eadem Excommunicationis lex: imponi debet Maior his, qui grauiùs præcepta Regulæ quæ merè pœnalia sunt, temerant: Minor, illis qui leuiùs.

Cur vocetur *disciplina?*

a Excommunicatio, *vel* Disciplina *dicitur eadem pœna, quoniam Excommunicatio, Monastica disciplina siue proscriptio est.*

In ponitur pro *ab.*

b In Abbatis pendeat iudicio, *hoc est, ab Abbatis iudicio pendeat.*

Hinc constat iterum Excommunicationem esse censuram merè pœnalem; quia moralium quantitas non ab Abbatis arbitrio pendet, sed à materiæ quantite. Excommunicatio Ecclesiastica maior non imponitur, quibus Abbas voluerit; necessariò enim præsupponit materiam peccati mortalis, quæ à rei naturâ pendet, non ab illius arbitrio, vt ostendi disput. 4. *per totam.*

Excommunicatio Ecclesiastica peccatum supponit.

TEXTVS Ex Cap. 44.

De Excommunicatione Minori.

Primò causas, ob quas minor excõmunicatio à S. Benedicto fulminatur, considero: & infero illam non esse Ecclesiasticam, nec conscientiam concernere: nam Ecclesiastica imponitur propter peccata, Monastica propter negligentias, quæ peccata non sint.

QVi verò pro leuioribus culpis excommunicantur tantùm à mensa, in Oratorio satisfaciant vsque ad iussionem Abbatis: & hoc semper faciant, vsque dum benedicat & dicat, sufficit.

Secundò effectus minoris excõmunicationis à S. Benedicto fulminatæ considero, & colligo, non esse Ecclesiasticam: nam si vnius & alterius effectus componamus, esse toto cœlo diuersos reperimus.

TEXTVS Ex Cap. 24.

Qualis debeat esse modus Minoris Excommunicationis.

SI quis tamen frater in leuioribus culpis inueniatur, à mensæ participatione priuetur: priuati autem à mensæ consortio ista erit ratio, vt in Oratorio Psalmum, aut Antiphonam non imponat, neque Lectionem recitet vsque ad satisfactionem; refectionem autem cibi post fratrum refectionem solus accipiat; vt si (verbi gratia) fratres reficiunt sextâ horâ, ille frater nonâ. Si fratres nonâ, ille vesperâ, vsque dum satisfactione congruâ veniam consequatur.

Quid sit excommunicatio minor regularis?

Excommunicatio minor Monastica, est sententia inhibens negligenti Religioso impositionem Antiphonæ aut Psalmi, recitationem Lectionis, ac Responsorij, & comestionem cum aliis. Excommunicatus à mensa dicitur qui, vel in pauimento aut humili scamno in refectorio horâ communi comedit, aut certè in separatâ mensa iuxta Monasterij ritus: item ille (& huius potiùs meminit Legislator) qui seorsim comedit aut in secundo conuentu; aut solus post omnes Religiosos cibos in quantitate, & qualitate ab Antistite determinandâ.

Excommunicationis maioris lex exponitur à Patre sancto Cap. 25. & 44.

An, qui non separatur à confratribus possit dici excommunicatus?

Ille qui horâ communi in suo loco comedit, licèt priuatus cibo aut vino, non debet dici excommunicatus; quia excommunicatio personas respicit, non cibos; non enim excommunicatus est, qui ab aliis non fuerit segregatus. Vide Cap. 30. *Interim, sicut.*

Excommunicatus dicitur, qui in choro non potest cantare sicut alij: sic etiam excommunicatus dici possit, qui in Refectorio non posset comedere sicut alij.

Hinc patet multos modos habere minorem excommunicationem: nam

Minoris huius Excommunicationis modi varij.

Excommunicatus à choro, dicitur, qui in chorum non potest intrare.

Excommunicatus in choro, qui chorum quidem ingreditur, & tamen aut non permittitur cantare cum aliis, aut imponere Antiphonam aut Psalmum sicut alij.

Excommunicatus à refectorio, qui est à refectorio interdictus: qui in refectorium intrare non potest. Et hæc excommunicatio; vel est absoluta, ita vt nullâ horâ illuc ingredi queat, vel respectiua, ita vt non possit ingredi, quando conuentus comedit.

Excommunicatus à mensâ, non in mensâ, sed in terrâ vescitur cibis regularibus.

Excommunicatus quoad cibos, cui non dantur cibi communes; sed vel nulli, vel non omnes subministrantur.

TEXTVS

TEXTVS Cap. 33.

Excommunicantur minori Excommunicatione qui ad mensam tardè aduenerint.

Excommunicari nihil aliud est, quam à consortio confratrum separari.

AD mensam qui per negligentiam suam, aut vitium non occurrerit vsque ad secundam vicem, propter id *a* corripiatur; si denuò non emendauerit, non permittatur ad mensæ communis participationem, sed sequestratus à consortio omnium reficiat solus.

Ex hoc textu habitū vnico actu generari persuadeo.

An fraternè corripi debeant, qui ad refectorium tardè occurrunt?

a Corripi iubet semel, & iterum, nempè fraternè, quia licèt hæc negligentia non possit publica non esse, non omnes tamen sciunt esse culpabilem, & ideò non debet publicè increpari, aut proclamari, quousque bis secretò admoneatur; si, non obstante correptione Euangelica, in negligentia prædicta perseueret, subiaceat censuræ minoris excommunicationis Monasticæ, nempè proscribatur à mensâ ordinariâ quousque satisfeciſſe videatur.

Quid sit excommunicari monasticè?

TEXTVS Cap. 51.

Subiacent etiam Excommunicationi minori, qui sine licentia comedunt in amicorum domibus.

Monachi extra monasterium nec comedere nec bibere possunt.

FRatres, qui pro quouis responso proficiscuntur, & eâ die sperant reuerti ad Monasterium, non præsumant foris manducare, etiamsi omninò rogentur: nisi fortè eis ab Abbate suo *a* præcipiatur. Quod si aliter fecerint, *b* excommunicentur.

Etiam in aliis Ordinibus hæc lex religiosè obseruatur.

a Præcipere *hîc non sonat præceptum imponere, sed licentiam concedere, seu dispensare.*

Comedere extra Monasterium Religiosi non possunt.

b *Extra Monasterium comedere aut bibere sine licentiâ leuis negligentia est & expiatur Excommunicatione minori: si tamen hoc contra moralem Antistitis legem fiat poterit esse inobedientia grauis, & digna maiori Excommunicatione.*

Non datur grauis culpa, vbi materia est leuis.

Vt peccatum sit mortiferum requiritur grauis materia, quanta igitur hic, vt quispiam dicatur deliquisse mortaliter?

Multa mala oriuntur ex conuiuiis.

Magna inconuenientia oriuntur ex commessationibus, & epulis. Non libenter videbat suos in conuiuiis noster Legislator. Timebat ipsis, non quidem excessum in cibo aut potu, quia ingenui nunquam talem committunt; sed ruinas graues, quæ comitari solent conuersationem liberiorem. Omnia in mensa liberiùs solent dici, curiosiùs cogitari. Si crederemus solos cibos respexisse Benedictum, dicere deberemus peccaturum fore grauiter, qui contra Abbatis præceptum comederet materiam, quæ alias ieiunium Ecclesiasticum frangeret. Cùm autem constet ex cap. 67. *D. Benedictum cauere suis subditis colloquia scandalosa, imò, & periculo exposita conuersationes interdicere; cumque ex* cap. 39. *& 40. constet non probari ab eo mensam auaram, miseram, & inclementem, facile inferre poterimus hanc sanctionem non respicere cibos vt finem, sed pericula, quibus cibi conditi ministrantur. Videat igitur Monachus prudens, vtrùm se exponat alicui periculo in conuiuio; si huic se exposuerit, temerabit hanc legem, & reus erit pœnæ non culpæ, si non egerit contra præceptum morale sui Abbatis: quod si non solùm Regulæ, sed Antistiti inobediens sit, non peccabit grauiter contra Obedientiam, donec se exponat proximo periculo peccandi grauiter extrinsecùs in genere, quod cauet D. Benedictus.*

Quid præcipuè suis Religiosis cauerit S. Pater, cum conuiuia interdixit?

Semper est cōsiderandus finis legis.

TEXTVS ex cap. 43.

Excommunicantur etiam minori Excommunicatione, qui ad chorum tardè occurrerint.

Has pœnas subeunt, etiā illi, qui sine culpâ suâ tardiùs ad chorum veniunt.

SI quis ad Nocturnas vigilias post *Gloriam* Psalmi 94. —— occurrerit, non stet in ordine suo in choro, sed vltimus omnium stet: aut in loco, quem talibus negligentibus seorsim constituerit Abbas, vt *a* videatur ab ipso, vel ab omnibus, vsque dum completo opere Dei publicâ satisfactione pœniteat. —— Diurnis autem horis; qui ad opus Dei post Versum & *Gloriam* primi Psalmi —— occurrerit, lege, qua superiùs diximus, in vltimo stet loco: nec

Cui condonatur pœna, quam erat subire paratus, Deo & hominibus satisfacit reus ex hoc.

præsumat sociari choro psallentium vsque ad satisfactionem, nisi fortè Abbas licentiam dederit permissione sua: ita tamen, vt satisfaciat reus ex hoc.

De circumspectione Prælati.

a Vt videatur ab ipso, vel ab omnibus. *Commendatur Abbati circumspectio, inuigilare debet, & omnia aduertere: omnia benè adnotare. Si omnes cæcutiant, dum negligentiæ committuntur, nihil perditur, imò expedit cæcutiant omnes, modò Abbas videat. Quid si is cæcum agat? cæcè subditos reget, & præcipites aget. Ergo Abbatis circumspectio sit tanta, vt præeat omnium circumspectioni.*

An, qui cum licentiâ tardiùs ad chorum venerint, huic excommunicationi subiaceant?

b Licentiam *Bifariam intelligunt; tardè ad chorum venientes, excommunicandos esse (minori nempè censura) docent aliqui, nisi fortè ex licentia, & permissione Abbatis id faciant: addunt, eos, qui pulsant cymbala non esse huic pœnæ subiiciendos, nec veniam debere petere, eò quòd debuerint sub horæ initium signum facere, nec potuerint tempestiuè occurrere.*

Alij volunt eos (& hoc est in vsu) satisfacere cùm serò veniunt, etiam si licentiam habuerint à Prælato; ac propterea debere manere in loco separato (apud nos ad gradum Presbyterij) vsque ad illius horæ finem, nisi fortè Abbas (aut Præses) licentiam dederit vt adsocientur aliis.

TEXTVS Cap. 44.

De Excommunicatione maiori.

Effectus maioris Excommunicationis Monasticæ.

QVi pro grauioribus culpis ab Oratorio, & à Mensa simul excommunicatur, horâ, quâ Opus Dei in oratorio celebratur, ante fores oratorij prostratus iaceat, nihil dicens: nisi tantum posito in terrâ capite stratus pronus omnium de Oratorio exeuntium pedibus. Et hoc tandiu faciat, vsque dum Abbas iudicauerit satisfactum esse. Qui dum iussus ab Abbate venerit, prouoluat se ante pedes ipsius Abbatis, deinde omnium vestigiis, vt orent pro eo. Et tunc si iusserit Abbas, recipiatur in choro vel ordine, quo Abbas decreuerit: ita planè vt Psalmum, aut lectionem, vel aliud quid non præsumat in Oratorio imponere, nisi iterum Abbas iubeat. Et omnibus horis, dum completur Opus Dei, proiiciat se in terrâ in loco in quo stat, & sic satisfaciat, vsque dum ei iterum iubeat Abbas, vt quiescat iam ab hac satisfactione.

Cùm in excommunicationem per superbiam incidant, ab excommunicatione nó nisi per humilitatem homines liberantur.

TEXTVS Cap. 25.

De grauioribus culpis.

Excommunicatio maior videtur esse, duplex excommunicatio.

IS autem frater, qui *a* grauioris culpæ noxa tenetur, suspendatur à mensa simul & ab oratorio: nullus ei fratum in vllo iungatur consortio, neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi iniunctum, persistens in pœnitentiæ luctu, sciens illam terribilem Apostoli sententiam dicentis; *Traditum huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.* Cibi autem refectionem solus percipiat mensurâ, vel horâ, quâ prouiderit ei Abbas competere: nec à quoquam benedicatur transeunte, neque cibus, qui ei datur.

Hæc excommunicatio carnem affligit, vt purificet animam.

Etiam cõtra leges merè pœnales dãtur grauiores, & minus graues culpæ.

Grauiores culpæ, de quibus Benedictus, intelligendæ sunt comparatiuè ad leues, de quibus cap. 26. Magnum, & minus, in eodem genere esse debet; atqui leues culpas vocat Pater sanctus; non leuiter peccaminosas, sed illas, quæ respiciunt pœnam, & non mores (ostendi in commentario Cap. 46.) ergo & ab eo graues culpæ vocantur, quæ morales non sunt, sed grauem pœnam merentur. Confirmatur hæc analogia nominum ex ipsomet textu. Eum, qui commiserit graues culpas, nempè contra Regulam, dicit esse traditum Sathanæ in interitum carnis, non in interitum spiritus, sed potius in spiritûs confirmationem, vt is saluus fiat in die Domini. Culpæ igitur graues, quæ solius carnis interitum pariunt & spiritum confirmant, morales esse nequeunt quia graues culpæ morales spiritum interimunt: Sed debent esse graues pœnaliter, quia in huiusce modi reperio quod & me demonstrare puto tam clarè vt nemini contradicere liceat. Vide ea, quæ dixi num. 97. pag. 42. vbi ostendi præcepta pœnalia esse conditionata, & subditum cum merito posse alterutram partem eligere, nempè vel rem præceptam exequi, vel pœnam subire.

Leges pœnales, sunt quædam leges morales conditionatæ. An violari possint cum merito.

An Sanctiones Regulæ obligent in conscientiâ?

OBIECTIO.

1746

An Monastica Excommunicatio differat ab Ecclesiasticâ?

DIces, hãc esse Excommunicationem maiorem Ecclesiasticam: & vt id probes, ob oculos ponis vtramq;, & nullam interesse differẽtiã persuadere conaris. Sic inquis. Attẽdo. Excom

Quid sit Excommunicatio Ecclesiastica?

Excommunicatio Ecclesiastica maior *est censura, quâ homo baptizatus segregatur à communione & consortio fidelium.* Sic docemur à Iure *in cap. Quærenti. de verborum significat.* Est terribilior & formidabilior pœna, quam habet Ecclesia: teste Augustino (relato *in cap. Corripiuntur. 24. quæst. 2. & in cap. Nihil. 11. quæst. 3.*) & Cælestino Papa (*in cap. Cum non ab homines, de iudiciis*) In Maiorem Minoremque Excommunicatio diuiditur: illarum differentia in hoc est, quò Maior priuet totaliter participatione Sacramentorum, Ecclesiæ suffragiis, & consortio & communicatione fidelium: Minor autem priuet participatione Sacramentorum, & voce passiuâ ad beneficia. Vnde ad Maiorem Minor, vt incluſum ad includens, vt pars ad totum comparatur. Quid autem sit esse à fidelium consortio separatum, hic Versus explicat.

Quotuplex?

Quomodo maior & minor differant inter se?

Os, orare, vale, communio, mensa, negatur.

Excommunicationis maioris characteres.

Per verbũ *Os*, omnia signa amicitiæ & benevolentiæ, qualia sunt loqui personaliter, aut per internuncium, aut per epistolam, &c. interdicit Ius *in cap. Excommunicantes, cum seqq. 11. quæst. 3.* At hoc ipsum interdicit Regula. cap. 25. *Nullus ei fratrum in vllo iungatur colloquio: solus sit*, &c.

De colloquio.

Per verbum *Orare* interdicunt sacri Canones (*in dict. c. Excommun. 15. quæst. 3. cum seqq*) orare cum excommunicato, aut in orationibus publicis, aut in *Memento* Missæ orare pro illo: nam solâ die Veneris sancta Ecclesia orat publicè pro excommunicatis. Et hoc ipsum reperimus in Regula, cap. 25. *suspendatur ab Oratorio.* & cap. *Horâ, quâ Opus Dei in Oratorio celebratur, ante fores Oratorij prostratus iaceat*, &c. Ecce non permittitur orare cum cæteris.

De oratione.

Per verbum *Vale* interdicit Ius (*locis supr. relatis, & præcipuè cap. Excommunicantes 24. quæst. 1. desumptis ex Ioanne cap. 1.*) omnem salutationem: sed hoc ipsum statuit S. Benedictus dicens, cap. 25. *Nec à quoquam benedicatur transeunte.* Et hîc vox *benedicatur*, æquialet voci *salutetur*, quoniam quando sibi occurrunt Religiosi, Iunior dicit, *Benedicite*, & Senior respondet, *Dominus benedicat*, & hic est modus salutandi, qui à Regulâ sanctâ præscribitur.

De salutatione.

Quomodo se salutent Monachi?

Per verbum *Communio* intelligitur consortium & cooperatio. Audi S. Benedictum cap. 25. dicentem. *Nullus ei fratrum in vllo iungatur consortio, neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi iniunctum*, &c.

De cõsortio.

Tandem per verbum *Mensa* notatur conuictus. At S. Pater excommunicatos à mensa communi proscribit. Cap. 25. hæc lego. *Cibi autem refectionem solus percipiat, mensurâ vel horâ, quâ prouiderit ei Abbas competere: nec à quoquam benedicatur cibus, qui ei datur.*

De cõuictu.

Olim octo erant causæ ob quas minor incurrebatur excommunicatio, vt refert Innocentius *cap. 1. de sentent. excom.* & Syluester. *verb. Excomm. 4. num. 2.* at hodie, qui cum excommunicato maiori excommunicatione communicat in casibus à Iure prohibitis minorem excommunicationem incurrit. Sed idem iubet, S. Benedictus cap. 26. quod dabitur *num. 1745.*

Cur minor Excommunicatio fulminetur?

His positis argumentaris sic. Omnia, quæ in Excommunicatione Ecclesiasticâ, etiam in Monasticâ reperiuntur: ergo Excommunicatio quam Regula fulminat, est Ecclesiastica, vel assignetur discrimen.

Argumentũ pro cõtrariâ sententiâ.

His tamen non obstantibus in nostrâ persto Resolutione; & Excommunicationem hanc non esse Ecclesiasticam dico: & discrimen euidenter ostendo.

Resolvtio.

Primò, & principaliter iubeo ad Sacramenta conuerti oculos, nam Ecommunicatio Ecclesiastica illorum participatione priuat: Monastica verò non priuat: &, qui hoc vltimum neget, det in Regulâ locum, vbi hæc priuatio statuatur, aut locum vnde necessariò inferatur.

Excommunicatio Monastica perceptione Sacramentorũ non priuat.

Secundò, pro Excommunicatis maiori Excommunicatione præter feriam sextam maioris hebdomadæ, non funduntur orationes publicæ; nec vllus Sacerdos vt Ecclesiæ minister in *Memento* illos commendat Deo; at ex præscripto Regulæ cap. 44. excommunicatus monasticè publicè postulat à Communitate vt oret pro eo. (ibi: *Qui dum iussus ab Abbate venerit, prouoluat se ante pedes ipsius Abbatis, deinde omnium vestigiis, vt orent pro eo.*) Ergo omnes Monachi poterant Orare pro excommunicato: frustrà enim iuberetur orationes petere, si illum suis Orationibus Monachi adiuuare non possent. Confirmat hoc ipsum Caput 28. in quo iubetur Communitati præces fundere pro excommunicato incorrigibili (ibi: *Si viderit nihil suam prævalere industriam, adhibeat etiam, quod maius est, suam & omnium fratrum pro eo orationem, vt. Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmũ fratrem.*) & c. 27. (*Oretur pro eo ab omnibus.*)

Nec Ecclesiæ nec fratrum suffragiis.

Ordo Benedictinus orat pro excommunicatis monasticè.

Tertiò, Excommunicatio Ecclesiastica supponit peccatum mortale: at Monastica etiam sine veniali incurritur: quia illæ graues culpæ, ob quas imponitur, non sunt graues theologicè, & in foro conscientiæ; sed monasticè, hoc est, pœnaliter. Vide *n. 1744. §. Graviores.*

Eadem excommunicatio monastica peccatum in Deum nõ supponit.

Quartò, Ecclesiasticum fulmen exploditur contra contumacem, vt exorbitare non pergat: Monasticum erga pœnitentem, vt culpam expiet. Ergo sunt tototo cœlo diuersa. Prima antecedentis pars non indiget probatione, secundam suadeo. Excommunicatus & à fratrum consortio segregatus ex Regulæ *cap. 25.* præscripto *solus sit ad opus sibi iniunctum, persistens in pœnitentiæ luctu.* &c.

Neque contumaciã requirit.

Stat igitur Ecclesiasticam & Monasticam excommunicationem in multis accidentibus conuenire at in substantiâ ipsâ differre.

Argumentum quod §. *His positis.* confor-mabas, non vrget, respondeo enim negando antecedens: non enim omnia, quæ sunt in Excommunicatione maiori Ecclesiastica in Monasticâ reperiuntur, sed accidentalia tantummodo: se habent enim vt homo & simius; sunt similes in multis accidentibus, differunt tamen in essentia & substantiâ.

Argumentũ contrariæ partis enerauatur.

TEXTVS Cap. 26.

De his, qui sine iussione Abbatis iungunt se Excommunicato.

1745 De his, qui eum excommunicato participant. *Iussio*, quid?

SI quis frater præsumpserit *a* sine iussione Abbatis fratri excommunicato quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis *b* vindictam.

Nota illud *præsumpserit.*

a Iussio *idem quod licentia, vt suprà aliquoties. Ecce Regularis excommunicationis vires, implicat etiam, & ligat omnes cum excommunicato conuersantes.*

Vindicta, quid? An possimus ad excommunicatum scribere?

b Vindicta, *hoc est, censura, sententia*, &c.

INterrogant Theologi, *An non solùm interdicamur loqui cum excommunicatis, sed etiam ad eos nuncios & epistolas mittere?* Sententia communis est seuera & stricta. Interim Filliucius *tom. 1. tract. 3. num. 84.* Henriquez *lib. 13. c. 7. n. 3. liter. O.* & alij, docent, primò, nos non posse scribere literas excommunicato: sed eius literis respondere nos posse, si sint ante excommunicationem scriptæ. At hæc licentia non placet Bonacinæ *de Cens. dis. 2. quæst. 2. punct. 6. §. 2. n. 4.* Auilæ *2. part. c 6. dis. 9. dub 6.* Acacio *tom. 1. verb. Descomunion. ref. 234. pag. 461. n. 4.*

An eum resalutare?

Interrogant etiam, *An possimus illum resalutare?* Communis sententia est negatiua; interim aliqui apud Machadum *tom. 1. lib. 1. part. 3. tr. 3. docum. 16.* affirmatiuam tenent, quam probabilem iudicat Acacius *loc. cit.* quia negatiuam vocat probabiliorem. ibi. *Lo mas prouable es, que no le pueden resaludar.*

S. Benedicti sententia.

Has autem quæstiones resoluit S. Benedictus. Primam hoc *c. 26.* quoniam definit Excommunicato non posse cæteros non solùm loqui, sed neque mandatum (nuncium, aut epistolam) dirigere. Secundam cap. 25. quod dedimus *n. 1744. §. Is autem.* vbi dicitur, *Nec à quoquam benedicatur transeunte.* nam *benedicere* iuxta Ordinis nostri mores, *resalutare* est, quoniam salutatio, vt dicebamus, est *Benedicite:* & resalutatio: *Dominus benedicat.* Ergo, si iubet S. Pater, vt non benedicatur: iubet vtique, vt non resalutetur.

Est communi seuerior.

Et hîc obiter nota, intra suos terminos rigidiorem esse Excommunicationem Monasticam Ecclesiasticâ: Monachi enim, qui cum excommunicato maiori excommunicatione communicant, *similem sortiuntur excommunicationis vindictam* (c. 26.) hoc est, etiam maiori excommunicatione innodantur: at, cùm agimus de Excommunicatione Ecclesiasticâ, qui cum maiori excommunicatione ligato communicant, non maiorem, sed minorem excommunicationem incurrunt.

Causæ, ob quas cum excommunicato agere liceat?

AN-ne omnes, qui cum excommunicato communicant, nouâ excommunicatione innodantur?

Respondeo negatiuè: multi enim sunt casus, in quibus agere cum illo possis; aliqui, in quibus debeas. Illos Theologi hoc carmine solent comprehendere.

Vtile, lex, humile, res, ignorata, necesse.

Et doctè exponit Acacius *tom. 1. resol. 234. num. 7.* vnde prudentissimè S. Benedictus (cap. 26.) non condemnat illos, *qui se iunxerint excommunicato*; sed illos, *qui præsumpserint se iungere:* qui enim ex legitimâ causâ aliquid facit, non præsumit.

TEXTVS cap. 27.

Qualiter Solicitus sit Abbas circa excommunicatos.

1746 *Omnis solicitudo*, significat, nihil omninò posse omittere Abbatem, quod facere possit. Non est opus Medico benevalétibus, sed malè habentibus.

OMni solicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes fratres, *quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.* Et ideò vti debet omni modo, vt sapiens medicus; immittere quasi occultos consolatores *a* Senipetas, id est, *Seniores sapientes fratres*, qui quasi secretè consolentur fratrem conflictantem, & prouocent eum ad humilitatis satisfactionem, & consolentur eum, ne abundantiori tristitiâ absorbeatur. Sed sicut ait Apostolus: *Confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus.* Magnoperè enim debet solicitudinem gerere Abbas, & omni sagacitate, & industriâ curare, ne aliquam de ouibus sibi creditis perdat. Nouerit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem; & metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus; *Quod crassum videbatis, assumebatis; & quod debile erat, proiiciebatis:* & pastoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, abiit vnam ouem, quæ perierat, quærere; cuius infirmitati in tantum compassus est, vt eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem.

Notent quæso Abbates illa verba, *Non super sanas tyrannidem.* nõ enim possunt subditis iubere quod volũt, sed quod expedit.

a Seni

Senipeta, quid sit?

a Senipeta, *vox videtur inuenta â D. Benedicto, & composita ex Senio et peto quasi Senium petens. Sed quis talis? Respondet Hispanus.* El que va para viejo: *nempè ad senectutem appropinquans*: petere *enim Latinè appropinquare est.*

Quid verbũ *Peto* hîc significet.

Exponitur Parabola de Pastore, qui reliquit nonaginta nouem oues in deserto, vt vnicam, quæ erat perdita, quæreret.

SÆpè hæc occurrit apud Patres, & Concionatores Parabola, quâ nunc vtitur S. Benedictus. Pastor bonus relinquit nonaginta nouem oues in deserto, vt quærat, & reducat vnicam, quæ perierat. An-ne maioris facit ipse illam vnicam, quàm cæteras nonaginta nouem? Qui crudè literam interpretaretur, videretur asserere: at aliter Parabola est intelligenda. Attende.

Oues indigent ouili, & pascuis; illo, vt defendantur à lupis; his, vt nutriantur & pinguescant. Erant nonaginta nouem oues in deserto, in ouili, extrà pascua: vnica remanserat extrà. Erat diuersum periculum: illa enim vnica periclitabatur de vitâ, nam posset in dentes luporum incidere: aliarum periculum erat de commoditate, nam illis paucis horis, quibus Pastor abesset, carituræ erant pabulo. Præstat igitur, quod aliquibus horis careant 99. oues pabulo, quàm vt vnica pereat. Quoniam, si esset æquale periculum; 99. potius ouibus, quàm vnicæ prospicere Pastor deberet.

An sint æqualia pericula considerandum?

Hinc ad nostrum casum. Sunto 99. Religiosi in gratiâ; quieti & tranquilli: quos Abbas doctrinæ pabulo nutrit, & ad vitam perfectiorem promouit. Esto vnus in periculo, *ne abundatiori tristitiâ absorbeatur.* Sunt diuersa pericula. Illi 99. non crescent in gratiâ, si negligantur ab Abbate: hîc vnus incidet in desperationem, & à gratiâ fortè excidet, si negligatur. Ergo hic speciali prouidentiâ est curandus: &, si aliter fieri non possit, Abbas cæterorum aliorum immemor, ne hic pereat, paternâ inuigilet solicitudine.

Hæc doctrina applicatur ad mores.

TEXTVS. Cap. 50.

An pueri excommunicari debeant? qualiter corripiendi sint.

1747 Quomodo corrigendi sint pueri.

OMnis ætas, vel intellectus proprias debet habere mensuras. Ideóque quotiens pueri, vel adolescentiores ætatis, aut qui minus possunt intelligere, quanta pœna sit excommunicationis: hi tales, dum delinquunt, aut *a* ieiuniis nimiis affligantur, aut acribus verberibus coërceantur, vt sanentur.

Vox *nimia* hîc sumitur cõgruo sensu, vt significet *rigorosa & seuerè.*

An debeant excommunicari?

a Occurrit difficultas. Quomodo poterit Antistes ieiunia nimia indicere, & tamen subditum non excommunicare? Ratio dubitandi est, quia in ieiunio saluatur excommunicationis definitio. Probatur, quia separatur à Communitate, qui cogitur non viuere moribus Communitatis.

Respondeo ex his, quæ Cap. 24. expendi excommunicationem esse communicationis carentiam, communicatio autem & societas cum hominibus contrahitur, non cum cibis. Ergo possemus dicere, esse duo genera Excommunicationum: nam alia est propria, alia verò impropria. Excommunicatur verè & propriè, qui à Monachorum consortio separatur: impropriè, qui in Monachorum consortio remanens, iubetur aliter, quàm cæteri, viuere. Propria, nisi in viros prudentes fulminari non debet: impropria etiam pueros & iuuenes potest afficere. Et sic eneruatur Obiectio.

Excommunicatio duplex: propria, & impropria.

Quis illam fulminare possit?

passiua Sacramentorum participatione, & hominum familiaritate, suffragiis, orationibus. Hanc ex naturâ rei Summus Pontifex fert, Iuris communi beneficio omnes Antistites. Ita Nauarrus *in Manualis capite 27. numero quintò*, & probatur *ex capite Transmissam & capite suffraganeis, de electione, & capite Cum ab Ecclesiarum de officiis ordin.*

An fœminæ ex clauibus Ecclesiæ habeant authoritatem?

Abbatissæ Antistites, & Prælatæ non sunt, nec habent talem authoritatem, *c. nona de pœnit. & remiss.* Qui asserunt laicum esse capacem authoritatis excommunicatiuæ, debent dicere nostras Abbatissas posse donari priuilegio Apostolico, quo eis concedatur potestas suas subditas inurendi Ecclesiastica Excommunicatione, *c. præter, adiuncta Glossa, verb. Ducibus 32. d.*

An Capitulum.

Capitulum Cathedrale sede vacante potest excommunicare *cap. Cùm olim. de maior. & obed.* Capitulum Conuentuale non potest, quia nec ex Iure communi id illi conceditur, nec ex priuilegio speciali.

An Communitas possit excommunicari?

Capitulum, Monasterium, Collegium, & Vniuersitas non possunt excommunicari. Ita Miranda *in Manual. quæst. 25. artic. 10.* Sotus *in 4. distinct. 25. quæst 2. articul. 2.* vbi asserit se sequi D. Thomam. Consonat Acacius Vir doctissimus, & Dominicanus *tom. 1. verb. Descommunion. resolut. 240. pag. 474. numero 6.* Sed cur? Ratio est manifesta: quia Communitas potest dupliciter considerari: primò, vt multi homines congregati per accidens: secundò, vt vnum corpus mysticum & morale.

DVBIVM INCIDENS.

De Ecclesiasticâ Excommunicatione, quæ die Ramorum in Ordine fulminatur.

Quomodo sit intelligenda?

Quid Excõmunicatio maior sit?

EXcommunicatio, quæ ab Abbatibus ex vi clauium fulminari solet maior est, & definitur. *Censura Ecclesiastica, qua priuatur homo non solùm actiua, verùm etiam*

Resolutio de Communitate, vt est multi particulares.

Considerata primo modo Communitas non potest excommunicari: quia non videtur probabile, imò neque possibile, omnes ad vnam Communitatis personam, esse reas, inobedientes, & pertinaces: & hac ratione vtitur Nauarrus *lib. 5. consil. tit. de sent. excomm. cons. 20. dict. 4.* Sed quid, si omnes essent reæ? Tunc excommunicatio esset valida, inquit Acacius *loc. cit. n. 9.* at esset illicitè fulminata, si poneretur ab Episcopo, quia esset contra Caput: *Romana. de sententiâ excommunicationis in 6.* cui Episcopus obedire tenetur: si autem poneretur à Papâ, esset licita; quia Papa, aut non subest Iuri Canonico; aut ita subest ex decentiâ, vt possit in illo dispensare.

Resolutio de eâdem, provt est vnum corpus mysticũ & morale.

Considerata secundo modo Communitas non potest excommunicari (1) quia vt sic considerata, non est persona vera & realis, sed moralis seu virtualis; aut, vt Iuristæ loquuntur, ficta. (2) quia non est baptizata. (3) quia non committit peccata. (4) quia Sacramenta, nec recipit, nec administrat, &c. Cæterùm, quia videmus Communitates per modum corporis rebelles esse, & ideò sæpè à Regibus fuisse punitas; non est dubium, quin posset Summus Pontifex aliud genus Excommunicationis instituere, quod Communitates innodaret, illasque à fidelium separaret consortio & orationibus modo homini mystico proportionato.

An aliud possit genus Excommunicationis instituí?

Rariùs, & ex causa grauissimâ debet Excommunicatio fulminari.

Excommunicationis armis vtuntur Abbates rarissimè, & solùm in grauissimis causis; sicut enim gladij acies, si lapides percutiat, retunditur, & non remanet ramis cædendis apta: ita Excommunicationis acies retundetur, si leui ex causa torqueatur. Grauissimâ ex occasione fulminatur Ramorum die in Capitulo sub formalibus verbis.

Excommunicationis tenor, quæ in nostris Monasteriis singulis annis fulminatur.

AVthoritate *Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ac omnium Sanctorum, & authoritate totius Ordinis, excommunicamus conspiratores, incendiarios, fures, proprietatem habentes. Et omnes, qui processum Superiorum, Visitatorum aut Iudicum à Capitulo Generali concessurum, in visitationibus, electionibus, correctionibus, seu aliis ordinationibus impediuerint, vel qui ista facientibus consenserint, per se, vel per alios literas, preces, minas, insidias, seu secularium auxilia procurauerint, nisi intra diem Iouis proximam resipuerint. Fiat, fiat.*

An sit comminatoria?

Duæ rationes moueri solent circa Excommunicationem huiusmodi à volentibus eam esse solùm comminatiuam, aut fortassis pœnalem.

An Excommunicatio ferri die festo possit?

Prima est. Excommunicatio non potest ferri die festo; atqui hæc fertur Dominica: ergo non obligat in interiori foro. Minorem probant *ex cap. Sacro de sent. excommunicat. lib. 6. & cap. nemo. 2. quæstion. 1.* cui consonat ius *leg. actus. de feriis, &c. final. eodem titul.*

An in scriptis debeat?

Secunda. Excommunicatio ferri debet in scriptis, hæc verbo fertur, ergo fulminatur solummodo ad terrorem. Minorem probant ex *c. Sacro. iam citato.*

Conclusio.

Resolutio communis.

Omnes excommunicationis censuræ ferendæ sunt in scriptis & diebus non festis, peccaretque mortaliter Prælatus, qui aliter huiuscemodi censuram ferret. Ita omnes. Nisi fortè ex inuincibili ignorantia omitteret, tunc enim excusaret eum Gabriel in *4. dist. 18. q. 2. Can. 7.* quod Nauarrus *in Manual. capit. 27. numero 8.* confirmat *ex cap. ignorant. de regul. iuris lib. 6.* Solemnitates iuris magni faciendæ sunt, præcipuè in rebus pœnosis, qualis est Excommunicatio. Multi Franciscanorum Prælati, verbo solebant excommunicare, dubitabatur, an tenerent Excommunicationes huiusmodi? Respondet negatiuè totus Ordo, vt patet ex Constitutionibus Toletanis Generalibus. Ergo non potest ferri Excommunicatio die festo & sine scripto, nisi ex vi Pontificij diplomatis, aut constitutionis Ordinis à Sede Romana confirmatæ, aliàs censuræ illicitè fulminarentur semper, & nonnunquam inualidè. Cæterùm Excommunicatio hæc, de qua agimus, in Ordine toto fulminatur, & fuit in praxi à longo tempore, ergo fertur licitè & validè, imò non solùm scripta, sed typis mandata est. Nec obstat fulminari die festo: nam in hac circumstantiâ possunt dispensare Pontifices, & nostræ Constitutiones pluries fuerunt Apostolicâ authoritate confirmatæ.

An Prælati verbo possint aliquem excommunicare?

De Excommunicatione in nostro Ordine die ramorũ pronunciatâ.

Termini nonnulli explicantur.

Quinam Conspiratores dicantur?

Conspiratores illi sunt, qui in grauem ruinam boni publici aut priuati coniurant; nempè vel Communitatem infamando, vel innocentem persequendo, vel promotionem impediendo, &c. Constat ex Diffinitionibus Generalibus Congregationis Cistercienſis, in quarum distinct. 7. capite 8. dicitur, *Est autem apud nos Conspiratio, specialis contra Ordinis disciplinam & Maiorem instituta confœderatio*, & capite 1. eiusdem distinctionis Conspirationibus adiungunt, *qui spreto iudicio quotidianis capitulis Præsidentium obstinato animo iudicium Patrum Abbatum* (hoc est eorum, qui sunt Patres immediati Abbatum) *voluerint expectare.*

Qui Incendiarij? Qui Incensores?

Incendiarij dicuntur, qui ædificiis ignem supponunt incendendi causa. In hoc distinguitur ab Incendiario Incensor, quod ille ignem adhibuerit, & incendere voluerit: hic de facto incendat.

Qui Fures & Proprietarij?

Fures & *Proprietarij* sunt, qui dando aut recipiendo sine licentia sibi appropriant rerum dominium, illis vtuntur tanquam rebus propriis: vide ea, quæ de proprietate à *n. 815.* disputaui.

Dubium succurrens.

Petis, *Qua quantitas sit sufficiens, vt quis incurrat excommunicationem?*

Respondeo, certum esse eum, qui contra Paupertatis votum venialiter peccauerit, Excommunicationis huius censuræ subiacere non posse: nec eum qui peccauerit graviter, si solùm intentione. Probabiliùs dicitur omnes proprietatis actiones extrinsecas mortaliter peccaminosas censurâ comprehendi, licèt

licèt alij latiùs (non, vt dicunt, benigniùs) theologizent. Non solùm intendit Ordo bonum publicum materiale, sed potiùs spiritualem conuersionem, & prouidè excommunicat eos, qui infra diem Iouis mores suos Paupertatis virtute non conuerterint: ergo Antistes debet respicere materiam quamcumque, modò grauiter peccaminosam.

Quænam Proprietas puniatur carcere?

Alij minùs probabiliter pœnas respiciunt, & asserunt eos excommunicari, qui sunt rei furti digni carcere. Candidi Ordinis Præmonstratensis Statuta, *distinct.* 3. *cap.* 14. determinant summam sufficientem, vt aliquis detrudatur in carcerem, debere esse viginti florenorum viginti assibus constantium: & Definitiones Cistercienses, quas vocant Generales, *distinct* 7. *cap.* 7. asserunt debere esse maiorem vigintiquinque solidis Turonensibus: Adsonant decreta aliarum Religionum. Ergo probabiliter dicere poterimus minorem summam non sufficere, vt quis incurrat excommunicationem Ecclesiasticam; Ratio est, quia incarceratio, Monastica excommunicatio est, & leuior omninò Ecclesiastica; ergo pro minoribus culpis inferenda: ille igitur, qui furatus est summam aliquam, non tamen sufficientem vt incarceretur, & à communione confratrum proscribatur, non est censendus proscribi à communione totius Ecclesiæ, & participatione suffragiorum. Ergo, vt quis huic censuræ spirituali subiaceat, requiritur quantitas maior.

Quot asses Florenus cõtineat?

Florenorum valor in variis prouinciis est varius.

Florenorum quantitas apud varias gentes inæqualis: sed dubiis obuiam ierunt institutores Ordinis Præmonstratensis declarando Floreni quantitatem. Cistercienses viginti solidorum furtum carceris pœnâ expiant; sed qualium solidorum? Eligius Bassæus in *suis Floribus verb. Donatio. num.* 13. explicans legem *penult. Cod de donationibus sub finem*, nomine solidi intelligit nummum aureum æquiualentem decem & septem Iuliis seu Regalibus Italicis, vel 85. stupheris Belgicis: vnde viginti *solidi* erunt 1700. stupheri, siue, quod idem est 34. Philippici, aut 35. Hispanici, & Indici Patacones. Alij nomine *solidi* intelligunt nummum argenteum, qui est Pataconis octans: & ex eorum hypothesi, viginti solidi sunt duo Patacones & medius. Sed hoc in prædiuite Monasterio non esset materia peccati mortalis, vt constat ex his, quæ diximus *numer.* 943. *ad* 950. Sane definitiones nostræ antiquissimæ sunt, latæ tempore, quo censebantur diuites, qui habebant paucos asses; sciunt omnes, qui œconomiam tractarunt, plus potuisse à trecentis annis asse fieri, quam modò solido: quamobrem censeo solidos Turonenses fuisse tunc vtiliores, quàm modò sex stupheri: aliàs enim sæpè contingeret carceribus macerari, & Ecclesiastico fulmine inuri Religiosos sine culpâ mortali, quod nemo admittet. Et probo assumptum; quia licèt duorum aut trium Pataconum proprietas sit mortaliter peccaminosa in Monasterio paupere, non est condemnãda grauiter in diuite. Definitiones autem Generales ita exponendæ sunt, vt omnibus Monasteriis conueniant; aliàs enim indiscretæ potiùs essent, quàm Generales. Ergo Abbates, qui timent ne subditi Bassæo subscribant, declarent (& hoc rationabile est) se velle comprehendere quodcumque furtum graue, quâ declaratione præmissa non remanet locus aliquis dubitationi.

De solido.

An olim pecunia fuerit pretiosior?

An excommunicatio ferri queat sine culpâ mortali?

Olim Abbates in suis Monasteriis perpetuò excommunicabant Conspiratores, Fures, & Proprietarios (constat ex Definit. Generalibus Cistercienſium *distinct.* 7. *capite* 6.) vnde talium criminum rei, ipso facto erant excommunicati: die autem Ramorum non excommunicabantur, sed denuntiabantur. Benigniùs procedunt moderni, & nolunt his criminibus censuras aliquas annexas esse, quæ ipso facto incurrantur: declarant tamen esse Ecclesiasticam maiorem Excommunicationem, contra huiusmodi criminum reos, si infra diem Iouis proximum non resipiscant.

Hæc Excõmunicatio, de quâ agimus, olim erat perpetua.

Monitum Regulare.

Sed quid significat illud *infrà*? Debentne resipiscere ante diem Iouis, an sufficit die Iouis conuertantur? Hanc locutionem reprehenderet Laurentius Valla, qui *infrà*, & *suprà* non ad tempus, spacium nec numerum, sed ad locum & dignitatem refert; fauet autem Plinius libro 11. *Ouа incubàri infra decem dies edita vtilissimum.* Ergo *infra* est idem quod *ante*, & *supra* idem quod post. Sed potest illud *infra*, vel *ante* bifariam exponi, positiuè videlicet & negatiuè: positiuè quidem, ita vt asserantur nulli subiacere censuræ, qui resipuerint ante Feriam quintam; negatiuè, ita vt censura sint immunes, nisi resipuerint, & non post feriam quintam. Cùm autem hæc benignior expositio sit, & de Ordinis intentione non constet, fauores amplio affirmans, non incurrere hanc excommunicationem, qui ante finem feriæ quintæ (hunc in duodecimâ noctis horâ constituo) resipuerit.

Vox *infrà*, quid, significet?

Quid vox *supra*?

Duplex vocis acceptio.

Accedit, quod eloquenter dicatur *antè diem Iouis* pro *die Iouis*, ita vt ante non prioritatem, sed præsentiam significet, vnde *Ante Iouem peccasse nefas*, exponitur esse execrabile deliquisse coram ipsomet Ioue. L. Annæus Seneca in sua de Claudij Cæsaris morte Apocolocynthosi (nomen libri est,) sic exorditur: *Quid actum sit in cœlo ante diem tertium eidus Octobris Asinio Marcella, Acilio Auiola Conss. anno nouo, initio sæculi felicissimi volo memoriæ tradere.* C. S. Curio in expositione huius loci sic ait, *Annum nouum vocat initium sæculi felicissimi, quasi mortuo Claudio aureum sæculum auspicaretur, nimirum sublato illo, qui vrbi, & orbi omnem infelicitatem inuexerat.* & vt confirmet citat Virgilij locum ex Eclogâ IV. desumptum: videlicet,

Quid significet *ante*?

De morte Claudij Imperatoris. Quando acciderit? Quid annũ nouus sit?

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.

hoc est, Ordo longæuus, ex plurimus sæculis seu ætatibus Cæsarum coalescens. Constat igitur, quòd teste L. Annæo Seneca Claudius Cæsar obierit ante diem tertium eidus Octobris. Atqui post paucas lineas idem Seneca terio eidus Octobris Claudium sublatum fuisse affirmat, ait enim *Mensis erat October, dies tertius Eidus, ... Claudius animam agere cœpit*, Ergo idem est dicere *tertio. Eidus*, ac *ante diem tertium Eidus*. Hanc esse bonam consequentiam confirmat Adrianus

Ante diem est *in die.*

Adriani Iunij Obseruatio.

Iunius in illustratione eiusdem loci. Claudium diem clausisse vltimum tertio Eidus Octobris probauerat ex Historiographorum consensu, citatis Suetonio & Dione: & subiungit, *Nam quod dubitationis periculum creare nonnullis posset illud Senecæ*, Ante diem tertium Eidus Octobr. *non ita accipiendum est, vt vno die aut altero mors Claudij tertium Idus præcesserit: imò purè putè* (nota benè) *idem est dicere*, Ante diem tertium Kalend. vel Idus, & tertio Kalend. vel Idus. *quod ex Ciceronis epistolis notissimum est.*

Quomodo quis resipiscere debeat, ne hanc Excommunicationem incurrat?

Sed quomodo debet resipiscere? sacramentaliter per confessionem; an per contritionem supernaturaliter, an verò attritione, aut tandem dolore naturali?

Apud Lactantium Firmianum libro Diuinarum institutionum sexto. *resipiscit, qui mentem suam quasi ab insania recipit.* Ergo resipiscentia est actus merè spiritualis naturalis non egens sensibili manifestatione. Sunt igitur immunes ab hac excommunicatione Conspiratores, Incendiarij & Proprietarij, qui ante diei Iouis finem decreuerint mores suos conuertere, & non committere in posterum talia peccata, licèt non confiteantur, nec eliciant actum attritionis, aut contritionis, modò mentem suam recipiant, & intentionibus malis expolient. Et hoc dictum sit in eorum sententia, qui actus merè intrinsecos snbiiciunt authoritati Ecclesiæ.

An debeant resipiscere actu externo? & quali?

Cæterùm, cùm verior sententia asserat Ecclesiam de occultis non iudicare, dicẽdum est resipiscentiam, quæ hic exigitur, debere esse extrinsecam. Nempè debere proprietarium tradere Cõmunitati (cautè tamen, nullus enim tenetur se prodere) per Prælati aut alterius manum illud, quod eum reddebat proprietarium. Debere furem, incendarium, &c. instrumenta destruere, quæ per se conducebant ad culpam, puta claues adulteras, aut similia, quoniam in huiusmodi actionibus politica, & extrinseca pœnitentia consistit, peccatis enim merè internis non imponuntur excommunicationes.

Cistercienſium Germanorum Constitutio.

Hæc omnia paulò aliter apud Germanos Cistercienses in vsu, nam ex Comitiis anni 1595. Edmundo Cistercij Abbate præside habitis, prodierunt istæ leges. *Dominica Palmarum Præses Capituli pronunciet sententiam excommunicationis contra proprietarios, conspiratores, fures, & ordinis secreta reuelantes, aliosque casus reseruatos supra descriptos committentes, vt est in Ordinario. Forma autem excommunicationis prædictæ in Ordine recepta talis est.* Auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & Beatæ Mariæ & omnium Sanctorum, & totius Ordinis hodie excommunicamus, & excommunicatos denunciamus omnes conspiratores, incendiarios, fures, Apostatas, proprietarios, reuelatores secretorum Ordinis, omnes, qui processum Visitatorum suorum, aut iudicium à Generali Capitulo deputatorum in Visitationibus, electionibus, ordinationibus, correctionibus, seu excommunicationibus impediuerint, vel ipsis procaciter & proteruè se opposuerint, aut ista faciẽtibus cõsenserint per se, vel per alios, litteras, preces, minas, insidias, vel auxilia potẽtum, aut sæcularių procurando.

Crimina huic Excommunicationi subiecta.

Terminus pœnitentiæ præscriptus.

Tunc ipsa excõmunicatione publicata, dictus Præses accensã tenens candelam in talium excommunicatorũ detestationem in terram proiiciat. Conuentus respondeat, Amen. *Et Præses Capituli moneat Fratres, neminem posse absolui ab eiusmodi criminibus, nisi infrà octo dies resipuerint.* Hunc eundem octo dierum terminum resignarunt iidem Patres in Comitiis Prouincialibus habitis Cæsaræ anno 1626. §. *De Capitulo.*

ABBAS qua IVDEX FORENSIS.

1748 Qualis esse debet Iudex?

AGere integrum Iudicem difficillimum est, nam ius transit in vim quoties Iudex exuit integritatem.

Summè indifferens.

Vt æquus sit, seruet indifferentiam Benedicto indicente Cap. 11. Nulla *ab eo persona in Monasterio discernatur. Non vnus plus ametur quàm alius, nisi quem in bonis actibus aut obedientiâ inuenerit meliorem. Non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi alia causa rationabilis existat.*

1749 Et tantùm res graues in iudicio tractare.

Suppositâ Iudicis indifferentiâ, tanquam dispositione vltimâ & essentiali, notandum est Abbatis tribunali iuridico solùm peccata grauia; aut actiones illas, quæ infectæ sint graui ignominiâ, subiici posse: leuiora enim corripi debent ab Antistite, non quà Iudice, sed quà Arbitro & Patre: hoc est sine litigiosi Iuris solemnitatibus.

Si materia sit grauis, paternè domestico labori prouideat, nec iuridicam inquisitionem quà forensis, & pragmaticus Iudex contra quempiam instituat, modò illius morbo suauiùs aliter mederi possit.

Quid, si aliquem de re leui accusari contingat?

Si actoris accusationem in materia leui recipere contingat, eum corripiat paternè de exorbitantia, alterum, si opus fuerit de excessu; sed iudicium non implicet rebus parui momenti.

1750

Grauem accusationem non audiat, sed legat (quia cùm causæ graues verbo aguntur, iniquè resoluendæ sunt, propter memoriæ fragilitatem) nec statim reo cõmunicet, sed studeat partium compositioni & secreto remedio. Si hanc obtinere nequeat, accusationem reo communicet, & antequam is respondeat, concordiæ insudet. Post rei responsionem de concordia amplius à Iudice tractandum non est, quia aliàs partialis censeretur. Ratio est, quia antequam vtrumque audiat, non potest censeri formasse dictamen de iustitia causæ, & ideò nemini erit iniurius si vtrumque conciliare procuret: audito autem vtroque, iustitiam cognoscere præsumitur, & concordiam in præiudicium partis procurare. Cùm semel pro tribunali sederit, *æqualis sit omnibus ab eo charitas; vna præbeatur omnibus secundùm merita disciplina.* (*cap. 2.*) rem benè examinet; veritati, non amicitiæ studeat; nec reo conuicto ignoscat, nec accusator non probanti: vbi enim talionis pœna non cognoscitur, iustitia exulat, & patet aditus calumniis pernitiosis.

Omnia inſcriptis recipiat & expediat.

An & quãdo possit de partium tractare concordia?

Talionis pœna est rigidissimè obseruanda.

Conuin

An reo accusato & conuicto ignoscipossit?

Conuincendis de partium concordia ignoscere, prouidentia est: conuictis, iniquitas, & delenda tyrannis. Fallitur, qui benignitatis specie, conuictos de crimine aut calumnia, tolerat: quia remissio huiusmodi est contra leges, & harum violatio nunquam Deo supremo Legislatori placuit. Conuictos de sceleribus oderat Dauid (Psal. 118.) & hoc odium ex legis amore nascebatur: considera mirabilem illam legis dilectæ & legirupionis inuisi connexionem: *Iniquos odio habui*, inquit, *& legem tuam dilexi*, nec legem Dei sincerè amaret, si iniquos & scelestos diligeret. Dauidi simili fuit Iustinianus Imperator, qui tempestate exorta periclitabatur in Danubio. Oderat iustè proditores nonnullos, quorum infidelitate Caiano Bulgarorum Regi subiacuerat. Horum igitur sollicitatus culpis decreuerat violatas leges vindicare. Maiaces satelles eius, aut passione ductus, aut sanctitate adulterina, *Ecce morimur*, ait, *voue Deo pro salute tua te nullum ex inimicis perempturum.* Sed Maiaci Imperator; *Iustos amo, iniquos persequor, ex quibus si vel vni perpecero, hoc in loco demergar.* Vix dixerat, quin fluctus tranquillitate donarentur, & ipse sine discrimine transiret. Notarunt Paulus Diaconus *libr* 20. Zonar. *tom.* 3 Beyerlinck *verb. Mina in fine.* & alij. Ergo, si Prælatus videat domum suam procellis agitari, tempestatibus obrui, licèt sibi ipsi minas & insidias à sceleratis strui experiatur, submergi malit, quàm ferre sententiam illegitimam: quam declarare innocentem, reum plenè conuictum: quàm ignoscere actori, qui ne semiplenè quidem probauerit. Credat se vni Deo, & vel inuitis scelestis iustè iudicet, experieturque rerum tranquillitatem.

An odium ex amore nascatur?

Ignoscere sceleratis nō est virtus.

In nullo casu innocens potest condemnari.

FVGITIVI ET APOSTATÆ

1751 SI rei naturam examinemus Apostata solus dicendus ille est, qui inconsulto Prælato promissionem perseuerantiæ temerè violat, egrediens ex Monasterio cum resolutione non redeundi amplius ad Religionem; qui enim habet animum redeundi ad suum Monasterium, vel saltem ad Ordinem, non est Apostata, sed Fugitiuus. Ita Caietanus *2.2.quæst.12. artic.primo*, & Miranda *in Manual.quæst.51. artic.1. conclus.2.* Sed si agamus de foro exteriori, dicendi sunt Apostatæ omnes illi, qui stabilitatis pactum ita temerant, vt prudentum iudicio non reuersuri credantur.

Quomodo Apostata differat à Fugitiuo?

An omnis, qui à Monasterio sine licentia discedit, sit apostata, vel fugitiuus?

Non quicumque discessus, fuga est aut apostasia, sed illegitimus: temerarius, & qui contra Regulam, nemo enim tenetur stare pacto aliter quàm promiserit, & Benedictini promiserunt quidem perseuerare in Monasterio, sed secundùm Regulam. Vide ea, quæ expendimus disput. 44. per totam, quia, qui licitè discessit, fugitiuus non est.

Asseri solet fugitiuos esse infamiæ suo Monasterio: idque non minimam perdere authoritatem ob eorum defectionem. Sed imprudenter; quia in sapientum sententia illa Religio honoratior credenda est, quæ habuerit plures fugitiuos: Nemo enim ab illis discedit, apud quos potest suo desiderio satisfacere; similes semper amant assimiles, dissimiles tolerare non possunt. Scelestus est, qui fugitiuus; ergo ideò confratres deserit, quia apud eos scelera patrare non licebat; fugit, quidem dissimiles, egreditur vt assimiles inueniat. Fugitiui igitur honori sunt Monasterio, cuius disciplinam, legum rigorem, & vitæ seueritatem fugiendo commendant.

An Ordini gloriosum sit habere multos fugitiuos?

Cur scelerati è Monasterio se subtrahant?

TEXTVS Cap. 29.

An debeant Fratres iterum recipi, de Monasterio exeuntes.

1752 FRater, qui proprio vitio egreditur, aut proiicitur de Monasterio, si reuerti voluerit, *b* spondeat priùs omnem emendationem vitij, pro quo egressus est; *a* & sic in vltimo gradu recipiatur, vt ex hoc eius humilitas comprobetur. Quòd si denuò exierit, vsque tertiò ita recipiatur. Iam verò postea *c* sciat omnem sibi reuersionis aditum denegari.

An egredi debeant expulsi, si ad Monasteriū redierint?

Nota illud *proprio vitio*, potest enim egredi ex causâ, in multis casibus Religiosus.

De Fugitiuis & apostatis.

a *Fugitiui, & apostatæ vltrò ad Ordinem redeuntes debent non solùm recipi, sed benignè tractari. Probatur ex variis Canonibus, quos consultò omitto, quia tam clarum hoc est, vt nulla indigeat probatione.*

Quid *spondere* sit.

b Spondeat, *sed hæc noua promissio si circa substantialia sit, non addit nouam obligationem: quoniam hæc iam solemniter promissa sunt.*

An sit promittere?

Petrus verb.gr. homicidij reus, vel fugit, ne lueret, vel dimittitur à Religione. Post dies aliquot ad se, & ad claustrum reuertitur, ab Abbate recipitur seuerè amico, rigidè humano, & vrbanè inciuili. Petitur, an fugitiuus redux debeat spondere, & promittere coram Deo se homicidium iterum patraturum non esse.

An proponere?

Respondeo primò, verbum illud spondere *posse sumi pro eo quod est proponere, seu dicere: imò hæc acceptio primaria & rigorosior est; vnde apud veteres ille spondere dicebatur, qui sponte diceret*; respondere, *qui sponte referet. Hinc textui lux. Siquis, inquit Legislator sanctissimus, fugerit aut dimissus fuerit, ne admittatur quousque sponte asserat se illud vitium, propter quod est egressus, emendaturum esse.*

Quid sit *respondere*?

Cui debeat fieri promissio, si facienda sit?

Secundò, si placeat recentior verbi acceptio,

esto, spondere *sit promittere; polliceatur ergo conuersionem in materia illius criminis non Deo, nec Abbati coram Deo, sed spondeat simpliciter, nempe homini, aut Antistiti, aut Communitati. Non enim in expositione Regulæ addenda sunt grauamina, quæ Legislator fugit.*

An, & quomodo, qui tertio fugerint sint recipiendi?

Hæc lex iustissima, & scrupulis nullis obnoxia. Qui ter fugerit, non solùm apud Benedictinos potest non recipi, sed debet, nisi fortè conuersionis indicia sint talia, vt benigniorem resolutionem mereantur. Hæc non esse contemnenda statuerunt Cistercienses in Diffinit. General. dist. 11. cap. 3. vbi legitur. Qui plus quàm ter apostatauerint & pœnitentes redire voluerint, & satisfacere pro delicto, omnino recipiantur, vel in domibus propriis, vel in locis aliquibus earum; si aliud canonicè non obstat, tantùm ad victum, non ad habitum regularem. *Quæ sunt valde notanda. Prælati Benedictini iure paternæ obligationis tenentur suos fugitiuos quærere, & reducere: tertiò fugitiuos quærere non tenentur, quoniam ex vi Regulæ illos non tenentur recipere.*

An Religiosi ex vno Ordine ad alium transire possint?

Miranda in Manual. Prælat. Regul. q. 51. art. 2. concl. 1. *sic ait.* [*Religiosi cuiuscumque Ordinis & Religionis extiterint, excepta Carthusia, admittentes siue recipientes Fratres alterius Ordinis præter ordinem iuris, prætextu cuiuslibet priuilegij, quod in id se habere dicant, nisi de nouo sit nunc concessum, mortaliter peccant, & sunt ipso facto excommunicati,*] & conclusione secunda, *ait,* [*Sæculares recipientes in suis domibus Fratres apostatas, & fugitiuos occultantes, & tenentes ipsos, fauoremque impendentes, vt in tali statu permaneant, mortaliter peccant, & sunt etiam ipso facto excommunicati.*

Quas incurrant pœnas sæculares, qui illos admittunt?

An, & qualiter acceptemus aliorum Ordinum Religiosos?

De fugitiuis, transfugis, & aliis similibus hominibus hæc habentur in Congregationis Germanicæ Definitionibus. Personæ de Ordinibus mendicantium in Ordinem nostrum transire volentes non recipiãtur, nisi ex gratia, & concessione Summi Pontificis, sic autem recepti ad officia & dignitates non promoueantur, nisi hoc expresè mandetur, sintque ipsi optimi meriti. Constitutione Apostolica prohibitum est, ne aliquis Ordinis nostri Professor, etiam prætextu litterarum Sedis Apostolicæ, seu Legatorum eius, aut aliàs quouis quæsito colore, ad alium Ordinem, Reuerendorum Fratrum Carthusianorum Ordine dumtaxat excepto, sine speciali Generalis Capituli; vel Abbatis Cistercij pro tempore existentis licentia & consensu, & nisi ex legitima causa, coram ipso Abbate, vel generali procuratore ipsius Ordinis in Romana curia existente sufficienter probata, & iusta reperta, transire quoquo modo præsumat. Transgressores huius prohibitionis declarantur inhabiles ad quæcumque officia & beneficia, tam ipsius Ordinis quàm aliorum, ad quos se transtulerint, & Prælati, & Conuentus eorum Monasteriorum & Ordinum, in quibus illi recepti fuerint obligati ad satisfactionem damnorum, quæ noster Ordo ex illorum transitu incurrit, erunt. Qui verò ad RR. PP. Carthusianos transierit, si postea redeant, absque nostra permissione, vel Capituli Prouincialis Monasterij in quod redierit, vel in quo recipi postulauerit, non admittatur.

An nostri Religiosi ad alios Ordines transire possint?

Si transierũt, & postea redire voluerint, an sint admittendi?

Contra fugitiuos sunt Pontificum varia diplomata. Reperitur vnum concessum à Iulio II. ad Cistercienſium Hispanorum petitionem anno 1506. Confirmatur à Leone X. Exstat extractum authenticum Anno 1588. quod publicauit Henriquez pag. 353. Abbatis Monasterij nostri Dunensis siti in Flandria, Religiosis indicitur authoritate Apostolica, ne post professionem sine licentia claustro exeant. Constat ex priuilegiis Innocentij II. & Alexandri IV. quæ hodie in eodem cœnobio conseruantur. Nemo eiusdem Monasterij fugitiuos potest recipere, interdicente expresè Alexandro III. Innocentio III. Alexandro IV. Nicolao III. & aliis. Præter communia priuilegia, singuli Ordines similes gratias impetrarunt.

Varia de hac materia Priuilegia Pontificum.

DIMISSI.

1753 An Superiores possint excorporare Monachos à Communitate?

TAles audiunt, qui ab Ordine sunt excorporati, vel inuiti propter crimina, vel voluntarij propter rationes aliquas inconuenientibus grauibus carentes. Non expedit Antistites esse duros in Dimissoriis concedendis, maximè, si Religiosus nesciat in claustro viuere sine aliorum scandalo, vel possit sanctior esse in clericali statu, aut saltem in alia Religione. Sæpe sanctus Pater eos dimittendos asserit, qui Communitati non sunt apti: vere inepti omnes sunt, qui vel mœrore summo affecti tædiosam vitam agunt, vel agitant, & desponden tes animo condolent suo arbitrio, quod cæcè in sua sententia promisere perseuerantiam. Qui hos vult in claustro detinere, lictorem potiùs quàm Abbatem agit, maximè si non timeantur alia inconuenientia.

De Monachis qui mœrore obruti, lugẽt se professionem solemnem emisisse.

TEXTVS ex cap. 71.

De dimittendis Fratribus.

1754 QVod si quis contempserit facere, aut corporali vindictæ subiaceat, aut si contumax fuerit, de Monasterio expellatur.

Non obedire; cõtemnere; & incorrigibilem esse; non coïncidunt.

Aliud est non obedire, *aliud* nolle obedire, siue Superiorem contemnere, *aliud* esse contumacem, & incorrigibilem. *Primum pœnalis culpa est; secundum & tertium morbi sunt, sed vltimum asseritur immedicabile. Subiaceat ergo corporali sententiæ, qui legem contempserit; dimittatur verò qui contempserit cum pertinacia. Vide* num. 692.

Quomodo hæc tria crimina sint corrigenda!

TEXTVS

TEXTVS Ex Cap. 65.

De Priore incorrigibili.

1755 Prior rebellis & incorrigibilis multum nocere potest.

SI (*Præpositus*) posteà in Congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de Monasterio expellatur. Cogitet tamen Abbas se de omnibus iudiciis suis Deo redditurum rationem, ne fortè inuidiæ aut zeli flamma vrat animam suam.

Prior scãdalosus debet deponi: regulariter puniri: &, si se emẽdare noluerit, à Monasterio dimitti, ne authoritate suâ abutẽdo cæteros in præcipitium ducat.

An incorrigibiles possint expelli?

Notate, obsecro, qui putatis nulla ex causa Monachos dimittendos esse. An inter fratres Priore quis Maior, ordine eminentior, authoritate illustrior? iste etiam dimitti non solùm potest, sed aliquando debet. Cur? primò, si inquietus, secundò, si inobediens. O quam benè Benedictus percallebat Communitatis statum! inobediens nocuus & malus sibi vni est, inquietus multos malos, & nocuos facit. Igitur sit inquietus Prior proscribi debet Regulæ authoritate, cur tot inquieti Priore multò minores in Monasteriis permittuntur? Sanè qui simili peste correptos tolerant, non sunt Prælati tolerandi. Inquietos dimittere rigor non est: ipsis sit fauor simul & Monasterio.

TEXTVS Cap. 28.

De his, qui sæpiùs correpti, non emendauerint.

1756 Ordo dimissionis. Criminosus debet priùs crebro corripi: posteà excommunicari: deinde acribus verberibus excipi: orationibus iuuari: & hæc si non proficiant, expelli.

SI quis frater frequenter correptus pro quâlibet culpâ, si excommunicatus non emendauerit, *a* acrior ei accedat correctio, id est, vt verberum *b* vindicta in eum procedat. Quod si nec ita correxerit, aut fortè) quod absit) in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua, tunc Abbas faciat quod sapiens medicus, si exhibuit fomenta, si vnguenta adhortationum, si medicamina Scripturarum diuinarum *c* si vltimum vstionem excommucationis, vel plagas virgarum, & iam si viderit nihil suam præualere industriam, adhibeat etiam, quod maius est, suam & omnium fratrum pro eo orationem, vt Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc iam vtatur Abbas ferro obsciſſionis, vt ait Apostolus: *Auferte malum ex vobis*, & iterum. *Infidelis, si discedit discedat*: ne vna ouis morbida omnem gregem contaminet:

Qui suadet, vt incarcero perpetuo incorrigibilis detineatur, experientiam non habet.

An fures, etsi non sint incorrigibiles, sint dimittendi?

Olim non solùm incorrigibiles, sed etiam criminosi dimittebantur. Colligo, tum aliunde, tum etiam ex Definitionum Generalium distinct. 7. cap. 7. vbi legitur. Nulla etiam persona Ordinis nostri pro furto de cætero emittatur, sed vt dictum est superiùs puniatur. *Ergo ante harum Definitionum promulgationem, non solùm pro furtis, sed etiam pro furto à Religione amittebantur: ergo à fortiori prolapsu carnis, & formali inobedientia, quoniam his duobus criminibus maior semper imponitur pœna quàm furto. Imò & eiusdem distinctionis c. 7. statuitur*, ne impostetum dimittantur de peccato carnis conuicti. *Video tamen antiquæ Definitionis seueritatem reuocatam esse à Germanis anno 1505. quorum lex est.*

Crimina ob quæ Monachi dimitti possint.

An lasciui etiam, etsi incorrigibles non sint?

Si quis tam ipsorum Conuersorum, quàm ipsarum peccato carnis, furto aut alio enormi crimine semel, conuincitur, vel secreta Monasterij, & Ordinis reuelauerit, ex eoque damnum notabile, vel infamia accidat, vno mense carceribus mancipetur, & omnibus feriis secunda quarta & sexta disciplina regulari puniatur, & si secundò in eadem, vel paria crimina fuerit relapsus, eandem pœnam duplicatam sustineat: si tertiò recideret, vestibus regularibus exuatur, & ex Monasterio & Ordine eliminetur sine spe reditus, quod tamen non fiat, nisi priùs Vicario consulto & consentiente, qui pro hac etiam tertia vice eliminationem relaxare, & in aliam pœnam commutare pro delicti qualitate & personarum conditione poterit. Abbates sub pœna suspensionis annuæ ea omnia exequi contra huiusmodi impudicos & incontinentes teneantur Si quis in idem Sacrilegium relapsus fuerit, ad triremes quinquennales absque omni dilatione mittatur, vel in carcerem per quinquennium, & cum eadem qua priùs pœna. Si vsque tertiò recidiuus fuerit, perpetuò carcere retentus in continua pœnitentia permaneat. Frater, qui fuerit de ipsa incontinentia suspectus; & qui cum mulieribus suspectis, & diffamatis colloquium aut commercium aliquod habuerit, ne peius contingat, statim quàm talis suspicio orta, & probata fuerit, in aliud procul Monasterium transferatur.

De pœna tertiæ remum.

De carcere perpetuo.

De Monasterij mutatione.

Cistercienſium Germanorum Constitutio.

a *Acrior correctio dicitur esse verberum pœna, Excommunicatione Monastica, acrior non maior, quoniam licèt neutra animam tangat, verbera tantùm corpus affligunt, Excommunicatio animum rationalem.*

Vtra acrior pœna sit excõmunicatio an disciplina?

b Vindictâ

b Vindicta *sæpe pro pœna ponitur à D. Patre.*

c Si vltimum, *Hispanè*: Si a lo vltimo, si al fin.

Nota hîc obiter diuersas nostri Ordinis Congregationes, habere circa incorrigibilium dimissionem aut retentionem diuersos mores, diuersa statuta, diuersa Priuilegia, ad quæ Abbas debet sententiam definitiuam elimare: maximè, cùm Vrbani VIII. Bulla prodierit, quæ vbi acceptatata sit, seruari debet. Sed de hoc vberiùs in secundo Tomo, cùm de Tribunali Monastico.

DISPVTATIO CXXXVIII.

De Dimissoriis, quæ incorrigibilibus concedi solent.

1757 Corrumpunt bonos mores consortia improba.

CONVERSATIO peccaminosa, & dissoluta morbus est contagiosus, qui multos inficit. Psaltes Rex: *Cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris* Ideò opus est aut malos fugere, aut fugare.

ARTICVLVS I.

An viro probo liceat homines sceleratos fugere?

An cum malis communionem habere debeamus? An possimus illos à nobis separare?

LIbentiùs audietis Gentium Apostolum; quàm me. Ipse igitur secunda ad Corinthios Epistola sic inquit. *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ est participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum Idolis? vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus* (Leuit. c.26.v.12.) *Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos* (Ierem.31.a.9.) *& ero vobis in Patrem & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.* Hæc verba illustrant ius naturale, & demonstrant quemlibet posse (imò & debere aliquando) viros scelestos fugere, quos non potest fugare.

ARTICVLVS II.

An viro probo sceleratos homines fugare liceat? An Abbati incorrigibiles dimittere?

1758 Horstius sanctissimus & doctissimus Vir.

ERuditissimus, & pientissimus D. Iacobus Merlonus Horstius, iam cœli incola, in Adnotationibus in S. Bernardi Epistolas hanc quæstionem examinat, & quia me citat, videor illi debere, vt dubitandi causas positas ab illo proponam.

Quæstionẽ hanc proponit, & agitat pro vtraque parte.

Circa Regulam Benedictinam, & verba Bernardi, inquit, *posset moueri Quæstio,* An Monasteria habeant ius abiiciendi Religiosum incorrigibilem? *Negat Card. in Clem. Ne in agro. §. Quia verò, de statu Monach. Probat ex cap. Impudicas Moniales ergastulis detrudendas esse. Et ex c. Nec Religiosi, de Regul. vbi præcipitur fugitiuos, vel electos inobedientes Monachos requirẽdos, vt pœnitentiam agant, Item Abbates & Priores per Censuram, (si opus fuerit) Ecclesiasticam ad illorum receptionem compelli posse. Addo, periculo corruptionis aliorum (quod insinuat Regula) satis caueri incarceratione perpetua. Accedit, quod si tales, intra Monasterij limites concluſi adeò deprauatis sint moribus, & tam scãdalosi, quid fiet, vbi dimissi, vel electi extra Monasterium, sine omni iugo, penitusque dati in reprobum sensum, in omne genus nequitiæ, velut laxatis habenis, ferẽtur, quæ peccandi licentia potiùs videtur carcere, & vinculis coërcenda. Contrariam tamen sententiam video placere aliis Canonistis, & Theologis. Vide D. Thom. quodlib. 12. q. vlt. Comment. Regul. S. Augustini. Item S. Francisci, & in primus Reg. cit. S. P. Bened. Peresiũ, Caramuel, &c. Ad rationem ex Concil. Tribur. Respondent aliam esse rationem Monialium, quàm Monachorum. Ad illud de incarceratione respondent. Rem fore Monasteriis nimis grauem & onerosam, vt ea potius sit futura pœnalis Conuentui, quàm ipsi dyscolo Monacho.*

Rationes pro parte negatiuâ.

Pars affirmatiua.

Oppositæ rationes diluuntur.

Sed hanc ipsam Resolutionem meam confirmo, quia expedit sceleratos homines fugare, & proscribere potiùs, quàm fugere. Proscribit incorrigibiles sæcularis Respublica, aut à vita cùm vltimâ sententiâ plectit; aut saltem à suo territorio, cùm in exilium mittit. Primus proscribendi modus rarò Monasticæ Reipublicæ permitti solet, sed expediret aliquando, dum enormia sunt crimina, & spes nulla correctionis. Cæterùm, hoc postulante suauitate Theophila, teus corrigi debet euangelicè, increpari paternè, excommunicari, flagellari, imò & incarcerari, si hoc non sufficiat, & Cõmunitatis addita oratio sit inefficax, proscribi oportet, prudenter tamen, nempe potiùs à Monasterio, quam ab Ordine. Ita debet suo gregi intaminando Abbas prospicere, vt ne ouem quidem vnam contemnat. Contigit sæpe eos, qui in vno Monasterio non nisi insolentes esse voluerunt, in alio fuisse bene moratos: vidimus irreligiosos Monachos, qui habitis Dimissoriis laudabiliter vixerunt in sæculo: vidimus contrarium, sed rariùs; facilius enim est paucis obligationibus satisfacere, quàm multis, & sæcularis priuati clerici obligationes paucæ sunt. Ideò, me consule, sunto Abbates faciles in concedendis licẽtiis transmigrandi ad alia Ordinis Monasteria, iuxta ea quę diximus *n.*1499. quę expediet legere. Volentem Religiosum semper Abbas, & Cõmunitas potest excorporare validè, etiam si causa desit, (probaui *n.*563.564.572.) licitè non semper. Non procedet iniquè Antistes ille, qui id intuitu maioris boni fecerit: istud respicit, qui Religiosũ incorrigibilem excorporat, ne reliquos inficiat, nec iniquè procedere dicetur ille, qui viro honesto & pio tædiosã vitã, & difficilẽ agenti inter fratres, vel quia corpore, vel quia ingenio ægrotat, præmissis prę mittendis, & seruatis seruandis, Dimissorias concesserit, vt alibi, nempe in alio Monasterio, Ordine, imò in clericali habitu, seruiat illi qui dixit, Iugum meum suaue est, & onus meum leue.

Incorrigibilem sæculares proscribunt.

Cur non etiã Monachi?

An dimissi se emendare soleant?

Religiosi, qui hoc desiderãt, ad alia Ordinis Monasteria sunt summâ facilitate transferendi.

Dimissus

1759 Quales obligationes Monachus expulsus habeat?

Dimissus ab ordine Religiosus remanet,& tenetur seruare virtutes substantiales suæ professionis, nec in hoc potest Antistes dispensare. Vnde Optimè Edmundus à Cruce, & Abbates Congregationis Germanicæ, *Ipse*, inquiunt, *non est à votis suis absolutus, sed ei erit liberum adire Reuerendissimum D.Episcopum in cuius Diœcesi baptizatus est, vt de loco, in quo possit vota sua Domino Deo reddere sibi prouideat.* Qualiter ergo obseruabit virtutes huiuscemodi, qui habitat extra Monasterium,nec dirigitur à suo Prælato. Respondi *num.565.*

1760 An Dimissoriæ, quæ illi dantur, esse debeant benignæ?

Litterarum Dimissoralium formulam concipiunt diuersimodè : multi seuerè, suauiùs alij. Oportet, inquiunt illi, dimittendi flagitia exprimi,vt ab eo sibi omnes caueant,qui similes patentes viderint: Præstat,instant isti, dimissum commendare,vt honoratus sit apud exteros, & opinionis conseruandæ intuitu mores corrigat,ac reformet ingenij vagi exorbitantias. Subscribo huic vltimo modo dicendi, non enim video quidpiam boni posse sperari à viro,qui scit se haberi infamem apud omnes.

1761 De monasteriis sitis apud Hæreticos.

In Prouincia hæreticæ regioni contermina sint Prælati circumspecti ; ne concedantur Dimissoriæ, si timeatur maior Apostasia ; sed hæc non illicò timenda venit; quoniam, qui vellet fidem deserere, non indigeret Dimissoriis, cùm per fugam clandestinam possit intento satisfacere.

1762 An Abbas Dimisso seu Expulso Monacho fauere debeat?

Dimissos famulos nullus prudens persequitur ; imo fauent nobiles,dum occurrit occasio. Quos ab Ordine proscribimus, non proscribimus à charitate, & amicitia. Abbas, quia diligit, subditum corripit, cùm Dimissorias ei concedit. Amicos impendat vt promoueat ad beneficia, quorum præsentatio ad Monasterium pertinet, primus denominetur; tractetur ciuiliter,vt saltem agat sanctum clericum,qui egerat malum Religiosum. Cæterùm, quia præstat dimissos non habere ob oculos, saltem illum apud amicos commendet : & si modestè extra Communitatem vixerit, quâ viâ possit, promoueat.

Germanicæ Definitiones.

Modum procedendi contra fugitiuos bene expendunt Definitiones Congregationis Germanicæ,latæ in Bauaria Præside Edmundo à Cruce anno 1595. è quibus desumpsi clausulas subsequentes. *Qui fugerint, & in Apostasia fuerint capti, prima vice incarcerentur per octo dies, per quorum tres diuersos in Capitulo regulari disciplina vapulent,ac in pane, & aqua ieiunent. Secunda vice per sex menses eandem pœnam sustineant: denique tertia vice prædictã pœnam per annum sustineant, & postea vltimi in fratrum Ordine remaneant actiua passiuaque voce perpetuò priuati. Quod ipsi post breue tempus sponte sua redierint, poterunt hæ pœnæ secundum proprij Abbatis discretionem mitigari. Ad cohibendam leuitatem, inconstantiam, imò & duritiam eorum qui sæpiùs fugerint, nec vllis correctionibus emendantur,vltimo remedio in eos vtendum esse ferro abscissionis ordinat D.Benedictus ex Apostolo dicente.* Auferte malum ex vobis, & Infidelis si discedit, discedat, ne ouis morbida omnem gregem contaminet. *Quod si*, inquit, *semel* & denuò frater exierit, vsque tertiò recipiatur, & iam posteà sciat sibi omnem reuersionem denegari. *Quare qui è monasterio fugerit, post tertiam vicem non est recipiendus, nisi fortè ex iusta consideratione ad misericordiam motus Abbas, redeuntem filium, & pœnitentem pro quarta vice recipere voluerit. Sed si tanta gratia ipse dignus non fuerit, ei ablato habitu regulari nostri Ordinis, clericali veste induatur,& à Monasterio in quo fuerat professus, & ab vniuerso Ordine eliminetur, & expellatur, nunquam posteà recipiendus.*

Quomodo tractari debeant fugitiui, si aliquando capiantur?

An qui sæpius fugerint, dimitti possint?

Consonat sibi prædicta Germanorũ Congregatio in multis Comitiis, & legibus, dabo statutum latum Cæsareæ anno 1626. in quo lego. *Incorrigibilis etiam, qui nempe per frequentem punitionem ad idem vel simile, aut etiam priora redeunt, quique aut pœnas acceptare recusant inflictas, aut salua Ordinis disciplina seu absque graui scandalo corrigi, vel detineri non possunt, secundum Regulam habitu priuati ab Ordine expellantur. Quod tamen ab eorum propriis Abbatibus solis non fiat, sed cum consilio Vicarij Generalis, & aliorum duorum de Congregatione nostra. Taliter autem electi statim R. Episcopis Diœcesanis denuncientur, vt deinceps sub illorum potestate ac correctione viuant.*

An sint expellendi, qui regulares pœnitentias non admittunt?

Grauissimis tamen sese implicant difficultatibus DD.Cassinenses, dum in se ipsos crudeles, & erga nebulones & perditissimos homines nimiùm mites sic pronuntiant. *Iste modus abscissionis videtur* (sed cur? an in re tam graui sufficit vnum *videtur*?) *reuocatus* per Capitulum Finale. de regul. & transl. *vbi expresse habetur fugitiuos requirendos esse, & in carcerem retrudendos, si opus est. Cui & suffragatur Tridentina Synodus,quæ præcipit eos etiã requiri debere, & tanquam Apostatas puniri, qui aliquam instam causam suæ fugæ prætendentes, sine eiusdem tamen allegatione, & approbatione, sponte discedunt, quod nos quoque seruari volumus districtè præcipientes omnibus Monasteriorum nostrorum Prælatis, vt in singulis Monasteriis habeant loca custodiæ sana, & solida, vbi huiusmodi fugitiui, rebelles, & incorrigibiles retrudantur. Commissi verò nostri incorrigibiles, & contumaces, eo modo, quo recipiuntur, expelli possunt, sublata eis omni spe receptionis. Et si quis eorum post promissam stabilitatem vitiosus, aut scandalosus repertus fuerit, seruetur circa eum forma Regulæ, secundũ meritum, vsque ad expulsionem inclusiuè. Ad quam tamen nolumus quemquam Prælatorum procedere, nisi seruatis quæ infra in susceptione eorum statuimus, scilicet cum consensu omnium Seniorum aut duarum partium Conuentus, si illi non conuenerint. Nulla ratione permittantur fratres cum sic expulsis, licentiatis, aut fugitiuis commercium habere, aut conuersationem vllo modo.*

Cassinensium Resolutio.

Volunt esse sibimetipsis graues.

Quales esse debeant carceres?

Cùm Commissi vota solemnia nõ emittant, possunt maiori facilitate dimitti.

CONCLVSIO.

1763 Sacra Scriptura est vitæ Regula.

IAm tandem longo Oceano emenso, & vastis tenebris deuictis,ad finem vsque peruenimus harum Acroaseon. Breuiter ad portum appulimus testimoniis sacris manuducti,

Inter duo puncta nulla linea breuior duci potest, quàm recta.

testimoniis inquam, quæ præscribunt moribus iter breuissimum: quoniam si benè examines, *Quæ pagina, aut quis sermo Diuinæ authoritatis veteris ac noui Testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ?* Sed via recta, quæ breuior. Parcamus ergo studio, & calamo, & audiamus Cassinensis Academiæ Aristotelem, Cursui Theophilo imponentem saluberrimam metam, & orthodoxis discipulis valedicentem.

TEXTVS. Caput 73.

Humillima nostri Legislatoris PERORATIO.

1764 Summa humilitate & modestiâ fert S. Pater de Regulâ à se Scriptâ Iudicium.

REgulam hanc descripsimus, vt eam obseruantes in Monasteriis, aliquatenus vel honestatem morum, aut initium conuersationis nos demonstremus habere. Cæterùm, ad perfectionem conuersationis qui festinat, sunt doctrinæ sanctorum Patrum, quarum obseruatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo Diuinæ authoritatis Veteris ac Noui Testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ? aut quis liber sanctorum Catholicorum Patrum hoc non resonat, vt recto cursu perueniamus ad creatorem nostrum? nec non & collationes, & instituta, & vita eorum, & Regula sancti Patris nostri Basilij, quid aliud sunt, nisi bene viuentium, & obedientium Monachorum exempla, & instrumenta virtutum? nobis autem desidiosis, & malè viuentibus, atque negligentibus rubor confusionis est.

Orientales Monachi plus sciunt de ieiuniis & disciplinis, quàm occidentales: at de oratione mentali multo minus: hinc est Regulam S. Basilij seuerissimam esse.

Quisquis ergo ad Patriam cœlestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam, adiuuante Christo, perfice: & tunc demum ad maiora, quæ suprà commemorauimus, doctrinæ, virtutumque culmina, Deo protegente, peruenies.

D. S. Basilij Religione.

Sanctissimi Patriarchæ Basilij regulam hac Postloquutione S. Benedictus commendat, & quænam sit Basiliana Regula aut Religio tu inquiris. Respondebo, ex Ludouico de Miranda, qui in Manuali Prælatorum quæst. 4. art. 1. sic inquit. *Fuit hæc Religio eo tempore celeberrima, & vt refert Fr. Hieronymus Roman.* Lib. 6. de Republica Christiana cap. 5. *huius instituti fuere olim sanctissimus Ephræm. Chrysostomus, Greg. Nazianzenus, Hesychius, Pachomius, Ioannes Damascenus, Cassianus, Heraclides, etiam D. Hieronym. & alij quamplures.* Habuit Viros clarissimos.

Quando & quomodo eius Regula fuerit approbata?

De ipsius Regula, iam etiam suprà diximus, quod fuit prima scriptis tradita, approbata, & confirmata ab illius sæculi Episcopis, eo modo quo tunc temporis in consuetudine positum erat, Religionum Regulas approbari, & confirmari. De quo quidem quamuis nihil reperiatur expressum, sat est, vt id dicere possimus, quod in Concilio generali VII. quod est secundum Nicænum; Regulæ eiusdem fit mentio, tanquam de Regula iam per Ecclesiam approbatâ, & confirmatâ, D. etiam Benedictus in sua Regula, (nempe in præsenti Capite, vel Postloquutione) *de Regula prædicta B. Basilij mentionem facit, eandemque in quampluribus rebus imitatur, atque præcipit obseruari. Et hæc breuiter de Religione D. Basilij dixisse sufficiat; nam non est in Votis, de Religione quicquã dicere amplius in particulari, ad alia enim progrediamur oportet.* Vide superiùs *n.* 338.

Dubium valdè necessarium.

Inquiris iterum, *An ex huius capitis decreto liceat Religioso priuato, quascumque obseruantias aliarum Regularum admittere & obseruare?* Respondeo Abbates Cist. Germanos congregatos in Bauaria anno 1595. hoc caput dilucidasse & exposuisse his verbis. *Præter illa tria solemnia vota, Religiosus non debet alia facere, peregrinandi, orandi, ieiunandi, & similia, quæ sine Superiorum consensu, & permissione complere non potest, ex quorum imprudenter factorum occasione, multa sæpè contingunt, quæ fratrum congregationem perturbant. Cingula, vestimenta & alia insignia, & confraternitates eiusmodi in his, quæ Ordinis nostri vniformitati, & professioni nostræ contraria sunt, abrogamus, & prohibemus.*

In moribus vniformitas seruari debet.

Laudamus verò, & approbamus alia omnia pietatis opera, quæ in eis fiunt, vt celebrare missas de Sanctis, orare peculiariùs pro viuis, & pro defunctis, aliaque religiosa exercere officia; gestare cruces, rosaria & similia, non autem indumenta aliqua; & illud etiam modò sit ex deuotione & non ex obligatione, cui nullus religiosus se astringere potest sine permissione sui Superioris, quam, vt vitentur abusus, & singularitates, non facilè, nec nisi pro maiori bono concedere debet.

Vide quæ sunt dicta superiùs à *n.* 1613.

Finis Partis Primæ.

THEOLOGIÆ REGVLARIS

PARS SECVNDA.

COMMENTARIVS IN DIVI BENEDICTI OPVSCVLA.

THEOLOGIÆ
EXEGETICARUM
COMMENTARIUS
IN DIVI
BENEDICTI
OPUSCULA

THEOLOGIÆ REGVLARIS

PARS SECVNDA.

COMMENTARIVS IN DIVI BENEDICTI OPVSCVLA.

PRÆTER Regulam, nonnulla etiam circumferuntur nomine D. Benedicti, quæ tametsi in contrarias sententias diuidantur Authores, non videntur S. Patri neganda. Primum est; Monasticus Ordo viuendi; secundum, Epistola ad S. Remigium; Tertium, In morte S. Placidi Sermo; Quartum, Sermo in discessu S. Mauri; Quintum, ad S. Maurum missa Epistola. Omnia breuia, sed plena magno spiritu. 1763

Sanè viuendi monasticè Ordinem scriptum à S. Benedicto affirmant Antonius Posseuinus Apparatus sacri tom. 1. Arnoldus de Vvion in ligno vitæ lib. 1. cap. 1. quibus probabiliter subscribit noster Balduinus Moreau in fine Regulæ Benedictinæ. In plurimis & valdè antiquis exemplaribus Regulæ reperitur sub nomine S. Benedicti, quem Petrus Venerabilis apud maius Turonense monasterium reperiens, sibi transmitti curauit, tanquam genuinum opus eiusdem S. Benedicti.

Epistolam ad S. Remigium D. Benedicto adtribuunt ex antiquis Fortunatus Presbyter, Hincmarus Rhemensis Episcopus, & antiquissimus vitæ S. Remigij scriptor, qui floruit ab annis octingentis, aut ferè. Et ex iunioribus Author appendicis Chronici Cassinensis, Arnoldus de Vvion lign. vitæ, lib. 1. Reperitur in nouo Benedictino Breuiario, & in fine Regulæ impressæ vnà cum Cardinalis de Turrecremata Commentario ann. 1517. & sub finem Regulæ editæ à Balduino Moreau ann. 1620. A quibus dissentiunt Baronius ad annum 507. & Posseuinus in Apparatus sacri. tom. 1. verb. Benedictus.

Sermonem de S. Placido martyre adscribunt S. Patri Posseuinus, Arnoldus de Vvion, Appendix Chronici Cassinensis, & Balduinus Moreau iam citati, quibus adsonat Surius ad diem V. Octobr. editione secunda. 1767

Sermonem consolatorium illum, quem in B. Mauri & Sociorum discessu, & exhortatorias litteras, quibus eorumdem gratam Deo deuotionem promouit Beatus Pater, nemo est, quem legerim, qui alterius scriptoris opus esse contendat, adeoque non debebo in re clarâ diutiùs immorari. Dabo igitur litteram ipsam ex Manuscriptorum aliquot collatione correctam, ipsamque Commentariis, vbi obscura videatur, illustrabo.

REVERENDISSIMO D. D.

CAROLO THOMASIO,

EX PALMÆ DVCE

CLERICO REGVLARI, &c.

Domino & Amico optimo, &c.

S. P.

1766 Quàm fuerit fortis Maximinus?

MAXIMINVM Romanorum Imperatorem Iulius Capitolinus cum Hercule videtur componere, aut anteferre veriùs, non enim vnquam iste, si à colore Poëtico denudetur Historia, tanta præstitit, quanta dicitur ille fecisse. *Iam illa prope in vulgi ore sunt posita,* (inquit) *quod amaxas manibus attraheret; rhedam onustam solus moueret; equo, si pugnum dedisset, dentes solueret; si calcem, crura frangeret: lapides tophicios fricaret; arbores teneriores scinderet.* Probat Fl. Vopiscus, *Nam & incudem suppositam* (lege *superpositam*) *pectori, constanter aliis tundentibus pertulit, cùm ipse recliuis ac resupinus & curuatus in manus penderet potiùs, quàm iaceret.*

Capitolinus in Maximin.

Diana cum Imperatore Maximino collatus.

At Ego, cùm Maximini vires illi coloribus fortissimis exprimunt, Herculeos mei Antonini Dianæ labores pingi iudico; hæc enim iste omninò præstitit, quæ ille torosus Cæsar fecisse dicitur.

Amaxa, quid? *Carro. Carroza.*

Amaxa, vox Calepino & Scapulæ ignota, ἅμαξα & currum rusticum, quo segetes transportantur, significat, & à Rhedâ distinguitur, vt apud Hispanos *Carro* solet à *Carroza* differre: nam illo ignobiles, hac Principes & Magnates vtuntur.

An hodie benignæ sententiæ accusentur?

Et quidem vidimus sub initium amaxas rhedasque festinare ad tribunal, vt Dianæ Herculeos labores benignitatis appellarent: nam hoc æuo Scriptori Theologo, benigno esse non licet; qui enim duriùs scribunt, à seueritate laudantur. At tanto rationum & authoritatum pondere vtrasque stitit, vt non potuerint pergere: tanto se opposuit impetu, vt quò voluerit traheret.

Dianæ triumphus primus contra rationes.

Triumphus secundus, cõtra dicteria.

Sed & Pegasus ad numeros hinnire iussus, satyras ineptissimas cecinit; at non impunè; nam manum stylo veritatis scribentem, & pedes iliustrium Doctorum vestigiis insistentes expertus, solutis dentibus mordere amplius non potuit, & fractis cruribus redire ad Parnassum non valuit.

Triumphus tertius contra calumnias.

Successit Inurbanitas, armata fuste & lapide; nam vbi exsunt rationes, ad scommata, aut verius ad calumnias recurritur. Sed quo fructu? lapides vidit atteri, fustes conscindi; vtrosque in cineres minutissimos verti.

Triumphus quartus contra amicorũ inimicos.

Contra tot, hominum, vel prodigia, vel monstra, triumphum indeptus, adiecit animum, vt amicos tueretur, qui velut naufragantes puppes Scholastici Oceani vorticibus agitabantur. Vt animum inuasis adderet, dicebat crebrò.

Ouidius lib. 3. Trist. Eleg. 3.

Vos quoque pectoribus nostris hæretis amici.

Et posteà, sibi de obtentâ victoriâ congratulans, ingeminabat,

Idem 13. Metam.

Nempe Ego mille meo protexi pectore puppes.

Plerique omnes inuidi Cyclopes sunt. Diana Hercules.

Et quidem meritò, plurimos enim, quos vel pusillanimitas propria, vel arrogantia aliena perturbabat, felices reddidit, in pectore suo, velut in firmissima incude, Cyclopum ictus, qui in illos vibrabantur, recipiens.

Ergo meritò, si cum Hercule Maximinum Cæsarem composuerunt antiqui; Dianam Ego cum vtroque composui, cuius Ingenio tanta est virtus, vt leges Inuidiæ præscripserit, & Zoïlorum numerosos manipulos in Innocentiam conspirantes retuderit.

Et

Et cur ego tecum, mi Carole, hæc peroro? Quia, dum Dianæ Resolutiones ordinas, fulcis, & dilucidas, in Dianam transis; & quæ de illo dicta, tibi ex æquo conuenire videntur. Quas ipse, prout loca & tempora postularunt, scripsit, (debuit enim tempori, & personarum necessitatibus Resolutiones suas digerere) ad ordinem doctrinalem reducens, tuas facis; & de posteritate optimè meritus, disponis Lemmata, vt omnibus prodesse possint.

D. Carolus Di næ Opera ad ordinē doctrinalem reducit.

Et cur hunc etiam librum tibi dedico? quia in illo Dianæ mens aperitur, & vniuersis ad praxim reducenda proponitur. Illum dudum ad Dianæ fundamenta elimaui: & nunc iterum Dianæ rationibus & authoritate exornaui, vt tibi esset acceptior & gratior. Paruum est, sed magni Amoris testimonium: & hanc ob rem à fine pretium habens. Illud suscipe, oculis tuis honora, bibliothecâ dignare. Authoremque honorare & diligere perge. Vale.

Cur eidem hoc syntagma indicatur?

INDEX.

1774 ORDO. QVALITER FRATRIbus in monasterio religiosè ac studiosè conuersari oportet, editus à S. P. N. Benedicto. *numero* 1780.

PROLOGVS. *De vestium antiquarum colore.* 1781.

CAPVT I. *Ponitur renouatio votorum quotidiana, & exercitium matutinum.* 1782. *Nonnihil de exercitiis annuis.* 1783.

CAP. II. *Quòd nemo ita tussiat aut expuat, vt alteri molestus sit.* 1784.

CAP. III. *De oratione, & attentione requisita.* 1785. *An obliuio peccatorum iustificet? exponitur illud Pauli.* Nihil mihi conscius sum, sed in hoc iustificatus non sum. 1786.

CAP. IV. *Quî debeant cantari horæ canonicæ?* 1787.

CAP. V. *De tempore, quod Laudibus & Primis interest.* 1788.

CAP. VI. *De* Pretiosa. 1789.

CAP. VII. *De labore manuum.* 1789. *b.*

CAP. VIII. *Seruatum iri silentium in Ecclesia.* 1790. *Versus ille*, Te decet hymnus Deus in Sion, *expositus.* 1790. *Aliqua de adnomine* Nonus *&* Frater. 1791.

CAP. IX. *Commendatur Obedientia.* 1792. *Simplex oratio Religiosi obedientis decem millibus contemnentis præponitur.* 1792.

CAP. X. *De resignatione voluntatis.* 1793.

CAP. XI. *De venia ob negligentias postulanda.* 1794. *An gratus Deo error, quærentis occasionem subeundi regularem vindictam?* 1794.

CAP. XII. *An cui negatur licentia adloquendi confratres, possit permitti agere cum sæcularibus?* 1795.

CAP. XIII. *De clausura.* 1796. *Nonnihil de Monialibus; & obiter meus Bernardus Campmans Dunensium Antistes laudatus.* 1796.

CAP. XIV. *Inhibetur Monacho, vt quidpiam, licèt bonum videatur faciat, sine Abbatis licentia.* 1797. *An vota, quæ Benedictinus emitteret inconsulto Prælato, essent valida.* 1798.

CAP. XV. *Exponitur Fraterna correctio.* 1800.

CAP. XVI, *Qui in contentionibus prius tacet prudentior.* 1807.

CAP. XVII. *De Confusione, Exprobratione, Murmuratione, Detractione, Calumnia.* 1808. *An murmurare sit mortale peccatum?* 1808. *Quid sit detractori adsentire?* 1810. *An fabulæ damnentur vniuersi.* 1811.

CAP. XIX. *Manuum laborem corpori & animo prodesse.* 1812.

CAP. XX. *An Religiosi membra sint Monachi?* 1813.

CAP. XXI. *Obedientiam non exhiberi Abbati, sed Deo.* 1814.

CAP. XXII. *De attentione interna.* 1816.

CAP. XXIII. *Aliqua de modo intrandi, sedendi, & egrediendi è refectorio.* 1817.

CAP. XXIV. *De lectione claustrali.* 1818.

CAP. XXV. *De examine conscientiæ.* 1819.

EPISTOLA S. BENEDICTI ad S. Remigium Rhemensem Episcopum. *num.* 1820. 1775

AN sit scripta à S. Benedicto. 1821. *An dentur Sacerdotes Principum terrenorum, an omnes Sacerdotes sint Dei?* 1822. *De orationum & meritorum communione.* 1825. *An Dæmon expulsus fuerit à S. Remigio, an potius à S. Benedicto?* 1826. *De miraculo nuper edito à duabus Virginibus Carmelitanis.* 1827.

SERMO S. BENEDICTI habitus in morte S. Placid. *n.* 1828. 1777

SAnctum Placidum & eius socios fuisse martyres. 1829. *aliqua de eius Maioribus.*

ribus. 1830. *Offertur Monasterio septennis; Abbas eligitur; mittitur in Siciliam; Siculæ Congregationis est author; martyrio coronatur, corpus eius nostra ætate detegitur.* 1831. *Quæritur, Qui Piratæ illi fuerint, à quibus interemptus est.* 1832.
Augmenta Parentum & Filiorum communia. 1833. *Placidi animus in cœlo ouans à D. Benedicto visus.* 1834. *Christus pro omnibus mortuus est, nullo excepto.* 1835. *An monachi Abbatis sint famuli.* 1836.

SERMO S. BENEDICTI in S. Mauri & Sociorum discessu. *num.* 1837.

Quis scripserit historiam S. Mauri? 1838. *An charitas incipiat à se ipsa?* 1839. *De variis Sanctorum vnitatib.* 1840. *An Sancti orare pro viuentibus possint?* 1841.

EPISTOLA S. BENEDICTI ad B. Maurum. *num.* 1842.

1778

Quæ dona à S. Benedicto ad D. Maurum fuerint missa? 1843. *Cur vocentur extrema?* 1844. *Reliquias Sanctorum colendas.* 1845. *sed eorumdem honorem, prudentiam & iudicium requirere.* 1845. *Mors D. Mauri D. Benedicto reuelata.* 1846. *Liberi arbitrij, reuelationis, scientiæ Dei, & infallibilitatis concordia.* 1846. *Nemini auxilia sufficientia negari.* 1847.

DE REGVLA TEMPLARIORVM Equitum Cistercienſium composita à D. Bernardo. *num.* 1848.

1779

TEmplarij Ordinis initium, excidium; Summus Pontifex propter ipsos, & etiam Galliæ Rex ad diuinum tribunal appellati, nec sine miraculi probabilitate mortui. 1848. *An fuerint mali? Sanctos propter aliena peccata non puniendos.* 1849. *Inuidiam in Hispania ausam contra Religiones excalciatas; causam ad primarium Complutensis Vniuersitatis Professorem transmissam, ab eo protectas.* 1849. *Cur Templariorum Regula fuerit addita?* 1850.
REGVLÆ titulus. 1851.
PROLOGVS exhortatorius. 1851. *Qua sit Regula hæc authoritate lata?* 1851. *Rem Diuo fuisse commissam Bernardo.* 1851.
PROLOGI secunda pars. *Nomina Patrum sedentium in Concilio Trecensi.* 1852. *Error Tyrij, & Binij correctus.* 1852.
CAP. I. *Qualiter diuinum officium audiant?* 1852.
CAP. II. *Quot orationes dominicas, si audire nequiuerint dicant.* 1852. *An detur de auditione obligatio?* 1852. *An Templarij, an etiam alij Equites teneantur ad diuini Officij lectionem sub peccato?* 1853. *An Benedictini Sacerdotes satisfaciant audiendo.* 1853.
CAP. III. *Quid agendum sit pro fratribus defunctis.* 1853.
CAP. IV. *Quod Capellani victum, & amictum tantùm habeant.* 1854. *Cuiusnam sint oblationes & eleemosynæ, quæ fiunt Ecclesiis?* 1854. 2081.
CAP. V. *De militib. Defunctis.* 1855.
CAP. VI. *Vt nullus frater remanens oblationem faciat.* 1855. *b. Eleemosynæ priuati Religiosi peccaminosæ sunt. Deo ingratæ. Optimè orat, qui bene viuit.* 1855. *b.*
CAP. VII. *De immoderata statione.* 1856. *Leges debere esse suaues. melius est forti minus quam possit, quam fragili plus quam possit, imponere.* 1856.
CAP. VIII. *De refectione Conuentus.* 1856. *b. De nomine & etymo Palatij.* 1856. *b.*
CAP. IX. *De mensæ lectione.* 1857.
CAP. X. *De carnis refectione.* 1857. *b. An præstet semper comedere pisces? An expediat ter in hebdomada comedere carnes.* 1858. *b.*
CAP. XI. *Qualiter manducare milites debeant.* 1858. *An omnia quæ apponuntur in mensa possint comedi?* 1858.
CAP. XII. *Vt aliis diebus duo aut tria leguminum fercula sufficiant.* 1858. *b. Quid Pulmentariorum vocabulo intelligat S. Benedictus?* 1858. *b.*
CAP. XIII. *Quo cibo feria sexta reficere oporteat.* 1859. *An Monachi vti queant lactitineis?* 1859.
CAP. XIV. *Post refectionem semper gratias referant.* 1859. *b.*
CAP. XV. *Vt decimus panis semper detur eleemosynario.* 1860.
CAP. XVI. *Vt collatio, sit in arbitrio Magistri.* 1860. *b. De Monachorũ collatione.* 1860. *b.*
CAP. XVII. *Vt finitis Completis silentium teneatur.* 1860. *c.*
CAP. XVIII. *Vt fatigati ad Matutinas non surgant.* 1860. *d. An idem concedi debeat Monachis? De attentione interna.* 1860. *b.*
CAP. XIX. *Vt communitas victus inter fratres seruetur.* 1861. *De immoderata abstinentia.* 1861.
CAP. XX. *De qualitate & modo vestimenti.* 1861. *b. An debeant esse vnicoloria? Quid significet albedo vestium.* 1861. *b.*
CAP. XXI. *Quod famuli vestimenta alba, hoc est, pallia non habeant.* 1862. *De Pseudotemplariorum insolentia, fortè propter horum crimina sunt Templarij dãnati.* 1862. *Conuersos non debere vti eisdem vestibus quibus Choristæ.* 1862. *b.*
CAP. XXII. *Quòd milites remanentes tantùm alba habeant.* 1862. *c.*
CAP. XXIII. *Vt pellib. tantùm agnorum vtantur.* 1862. *c.*
CAP. XXIV. *Vt vetusta armigeris diuidantur.* 1862. *c. An Episcopi & Abbates possint Ecclesiarum suarum bona donare cognatis?* 1863. *An saltem cogn ti, si pauperes, debeant reliquis pauperibus præponi? an etiam famulis?* 1863. *Non est pauper, qui nihil habet, si laborare possit & nolit.* 1863. *Quid sit ali secundum qualitatem suam?* 1863. *b. An Religiosus teneatur egredi ad alendos cognatos?* 1863. *c. an ad alendos parentes.* 1863. *d.*
CAP. XXV. *Vt cupiens optima deteriora habeat.* 1865.

CAP.

CAP. XXVI. *Vt quantitas & qualitas vestimentorum seruetur.* 1865.
CAP. XXVII. *Vt dator pannorum æqualitatem (proportionalem) seruet.* 1865.
CAP. XXVIII. *De superfluitate capillorum.* 1865.*b.*
CAP. XXIX. *De rostris & laqueis.* 1865.*b*
CAP. XXX. *De numero equorum, & armigerorum.* 1865.*c.*
CAP. XXXI. *Vt nullus armigerum gratis seruientem feriat.* 1865. *c. An herus famulos percutere possit.* 1865.*c.*
CAP. XXXII. *Qualiter ad tempus remanentes recipiãtur.* 1866. *De Oratoristis, & Begginis. An possint vota solemnia ad tempus emitti? An illa emittant nouitij?* 1866.
CAP. XXXIII. *Quod nullus iuxta propriam voluntatem incedat.* 1866.*b.*
CAP. XXXIV. *Si licet ire per villam sine iussu Magistri.* 1866.*b.*
CAP. XXXV. *Si licet eum ambulare solum.* 1867. *Præstet ne Religiosos solos an binos egredi?* 1922.*b.*
CAP. XXXVI. *Vt nullus nominatim quod ei necessarium erit, quærat.* 1967.
CAP. XXXVII. *De frænis & calcaribus.* 1867.*b.*
CAP. XXXVIII. *Quod tegimen in hastis & clypeis non ponatur.* 1867.*b.*
CAP. XXXIX. *De licentia Magistri.* 1867.*b.*
CAP. XL. *De mala & sacco.* 1867.*b.*
CAP. XLI. *De legatione litterarum.* 1867.*c. An qui habet scribendi aut recipiendi epistolam facultatem, teneatur adhuc receptam aut scriptam Superiori ostendere?* 1867.*c. An teneatur Superior seruare secretum, si aliquid inuenerit in epistola, quod iudicetur graue?* 1867.*c.*
CAP. XLII. *De fabulatione propriarum culparum.* 1868. *An bona, quæ fuerint extra Monasterium obseruata, possint Monachi recensere?* 1868.
CAP. XLIII. *De quæstu & acceptione.* 1869.
CAP. XLIV. *De manducariis Equorum.* 1869
CAP. XLV. *Vt cambiare, vel quærere (quæstum facere) nullus audeat.* 1869.
CAP. XLVI. *Vt auem cum aue capiat, nec cum capiente incedat.* 1869.*b.*
CAP. XLVII. *Vt nullus feram (non nociuam) arcu, vel balliſta percutiat.* 1869.*b.*
CAP. XLVIII. *Vt leo (fera nociua) semper feriatur.* 1869.*b.*
CAP. XLIX. *Quòd licet omnibus militibus professis terras & homines habere.* 1870. *Potest Communitas esse diues, vbi singuli pauperes.* 1870.
CAP. LII. *Vt de male habentibus, cura peruigil habeatur.* 1871.
CAP. LIII. *Vt infirmis necessaria semper dentur.* 1871. *Non ergo superflua:*
CAP. LIV. *Vt alter alterum ad iram non prouocet.* 1872.
CAP. LV. *Quomodo fratres coniugati habeantur.* 1872.*b.*
CAP. LVI. *Vt amplius sorores non habeant.* 1872.*c. Ponitur casus quidam, tacentur alij.* 1872.*c.*
CAP. LVII. *Vt fratres templi cum excommunicatis non participent.* 1862.*d.*
CAP. LVIII. *Qualiter milites recipiantur.* 1872.*e. An annus probationis possit minui.* 1872.*e.*
CAP. LIX. *Vt omnes fratres ad secretum consilium non vocentur.* 1872.*f. An voces consultiuæ sint.* 1872.*f.*
CAP. LX. *Quod cum silentio orare debeant.* 1872.*g.*
CAP. LXI. *Vt fidem seruientium accipiant.* 1872.*h.*
CAP. LXII. *Vt pueri, quamdiu parui sunt, non recipiantur.* 1872.*h.*
CAP. LXIII. *Vt senes semper venerentur.* 1872.*h.*
CAP. LXIV. *De fratribus, qui per diuersas prouincias proficiscuntur;* 1873. *De hospitio, & viatico.* 1873.
CAP. LXV. *Vt victus æqualiter omnibus distribuatur.* 1874.
CAP. LXVI. *Vt milites Templi habeant decimas.* 1874.
CAP. LXVII. *De leuibus & grauibus culpis.* 1875.
CAP. LXVIII. *Qua culpa frater amplius non recipiatur.* 1875. *An consuetudo peccandi leuiter sit mala grauiter?* 1875. *Exponitur versus ille* Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt, *& exponuntur optimi Abbas qualitates.* 1876
CAP. LXIX. *Vt à Paschali solemnitate ad festum omnium Sanctorum vnam camisiam lineam tantum sumere habeant.* 1876.*b.*
CAP. LXX. *Qui & quales panni in lecto sunt necessarij.* 1876.*b.*
CAP. LXXI. *De vitanda murmuratione & adhibenda correctione fraterna.* 1877. *Cur debeat murmurationis expositio coniungi cum correctione fraterna?* 1877. *Quî murmuratio a confusione, exprobratione, detractione, nec non calumnia distinguatur?* 1808. *æmulatio definita, diuisa.* 1878. *Liuor, Murmur.* 1878. *Cur pestes appellentur?* 1878.
An correctio fraterna sit præcepta? 1879.*b. An apud Templarios probabiliter omitti potuerit?* 1879.*c. an apud Benedictinos nunc possit?* 1879.*d. An qui dubitat vtrum frater peccauerit, aut vtrum grauiter teneatur eum fraternè corripere?* 1879.*e. An teneatur, si culpa sit merè probabilis?* 1879. *An adhibendus sit testis correctionis, an delicti?* 1879.*f. An qui fratrem correxit fraternè coram vno, teneatur illum iterum coram duobus corrigere.* 1879.*g. An qui duos contempserit testes possit in Capitulo proclamari aut accusari? an debeat secretò denuntiari?* 1879.*h. An accusare vtilius sit, quàm proclamare?* 1880 *An qui nullam culpam vidit, quã possit aut fraternè corripere, aut ad Superiores deferre, teneatur aut possit inquirere, vt fraternè corripiat?* 1880.*b exponũtur hæ voces,* Inuenire, Reperire, Noscere, Agnocere, Cognoscere, Ignoscere, 1880.*b. Qui debeat Abbas procedere admonitus culpã sui Religiosi;* 1881. *Difficile est bene iudicare. Malderus ipse ex inaduertentia semel grauissimum errorem commisit.* 1881.*b. Viri docti iudicaturi viros doctos cõsulunt Conionerus propositus.* 1883. *Iudices, qui non studuerunt, audẽtiores.* 1884. *Iudicem non excusat*

ignorantia, si se ignorare sciat, 1885. *Visitationes Religionum sæpe ab imperitis grauissimis calumniis laborant.* 1886. *multa in ipsis æternæ damnationis indicia.* 1886. *multa in inferno luenda, & à Deo solo iudicanda.* 1884. 1885.

CAP. LXXII. *Vt omnium mulierum fugiantur oscula.* 1887. *An permittat Benedictina regula fœminas osculari?* 1888. *Quid intelligat S. Benedictus nomine osculi, cum hospitibus iubet osculum pacis non negaris?* 1888. *b.*

NOTA. *De numero Capitum Templariæ Regulæ.* 1888. *c,*

ERVDITISSIMO DOMINO N. AMICO SVO de Vestium antiquarum colore.

PROLOGVS.

1780 An veterum Monachorũ vestes fuerint nigræ?

BEnedictinorum veterum habitum non fuisse nigrum in Commentario meo suasi, & vt video, nondum Tibi persuasi. Perstas sententiæ, & quæ oculis, antiqua credis. Homo à naturâ nullas alias vestes habet quam crines: nudus nascitur, nudus moritur, nec plus è mundo educit, quàm induxit. Sed si virili ætate præditus, crines habebit regulariter nigros, nec tamen, quia tales semper fuerunt, aut erunt: nam, quos adolescentia affecerat colore castaneo, grauior ætas infecit nigro, & senectus venerabilior reddet candidos. Hic est colorum lusus, in quo à naturâ illudimur; non enim cani faciunt senes, sed vitæ maturitas canos; cani enim sunt sensus hominis, & vera senectus consistit in vitâ immaculatâ. Et quidem Ordo Benedictinus, Homo mysticus, suas ætates habuit; adeoque illis differentes colores: nam tametsi de vestium colore ex legis præscripto [Cap. LV.] non causetur Monachus, ab habitu se non fieri supponens; qui vestibus carere non poterat, debitis coloribus intinctas habuit. Adolescens castaneas; in ætate virili nigras; in senili albas. Datæ cœlitùs Cistercienſibus cucullæ candidæ, Mysticum illum Hominem iam iam canescere monstrarunt. Cani sunt Cistercienses Benedictini Ordinis, & quia sunt multi, iam habet ille multos canos. *Cani*, nimirùm Cistercienses, *sunt sensus hominis*, nempè Mystici; id est, Ordinis Benedictini: ipsi enim in Regulæ expositione verum sensum obseruant, imò & olim litteratorium rigorem. Hi candidi, alij nigri: isti Benedictini corporis venerandam senectutem insinuant; illi ostendunt nondum omninò canam, sed adhuc vegetam virilemque. At vtrique castaneum illum iuuenilem supponunt, quem adhuc inter canos nostri Maiores ante trecentos aut quadringentos annos. Probant id multi antiqui Scriptores, & inter ipsos Author Scheirnensis Chronici, quod demum prodiit anno 1623. & in Prologo hæc habet, quæ meam sententiam firmant, diruunt tuam suspicionem. *Author huius Historiæ, fuit Conradus, quem Auentinus, & alij passim vocant* Philosophum, *Monachus, Custos & Prior huius Cœnobij. Vixit vsq; ad annũ Domini MCCXLI. sub Abbatibus* 11. *&* 12. *Conrado videlicet & Henrico. Homo sedulus, innumerorum librorum scriptor, quorum partem recenset Auentinus in Catalogo Abbatum ad Abbatem vndecimum. Artis pingendi gnarus. Qua arte pleroſque libros à se descriptos artificiosè, & affabrè in capite eorundem auro depinxit. Inter cæteros libros descripsit etiam Historiam Ecclesiasticam, ad quam depinxit septem Artes liberales; & ad Astronomiam quidem Ptolomæum contemplantem astra & stellas per tubum opticum, quatuor ductus habentem. Cuius tubi optici probabile est ipsum habuisse vsum.* Quid ad hæc Galilæus Italus, cui Tubi optici inuentio omnium populorum mirabili consensu adtribuitur? Quid ad hæc Bradenburgicus Marius, qui illam sibi arrogat? Curiosi Mathematici viderint. *Quin & seipsum* (hoc specialiter disputationem nostram tangit) *in prædicto libro in habitu pruni seu Castanei coloris adumbrauit genuflexum ante imaginem magnæ & admirabilis Virginis cùm ista supposita inscriptione,* [*F. Conradus peccator, Author, & Scriptor huius Operis.*] *& iuncto hoc Rhythmo,*

Virgo Dei Crypta, mea noli temnere Scripta.
Vilia correxi, tu comple si qua neglexi.

Ex quo tum etiam ex eo quod omnia sua Scripta ad honorem B. Virginis inchoasse & perfeciſſe vbique adnotarit, constat eum singularem eiusdem Magnæ Virginis fuisse amatorem. Hucusque in Prologo, sed cur B. Mariam *Cryptam* dixerit, alibi examinabo.

Humani crines colores mutant.

Etiam illos, Ordo Benedictinus (mysticus homo est) ætate mutatâ mutauit.

Habuit olim gryseum, posteà nigrum, demum album.

Colore castaneo seu gryseo Benedictini ante annos trecentos vtebantur.

Conradus Philosophus.

An tubi optici vsus veteribus fuerit familiaris?

An post annum 1600. inuentus? Ecce sub annum 1240. Benedictini gryseo colore vestiebantur.

An Deipara bene vocetur *Dei crypta*?

Sed & ipsum D. Benedictum bino hoc lanæ naturali colore diuersis temporibus vsum imagines antiquæ ostendunt: visus est enim S. Pater tingendi contempsisse artificium, coloribus illis contentus, quos lana habebat naturæ spontaneo concursu. De gryseo dubitare non voles, quoniam Maiores nostri, Benedictini Ordinis restitutores, Cistercienſis institutores colorem gryseum (ideò *Gryſei* vocati) resumpserunt, quòd verum Benedictini Ordinis colorem crederent. De albo nonnihil dicam. Nam & ipsi hodie in reformatissimis Cœnobiis tunicellas & interiores omnes vestes albas habent, & in Monasterio Furstenueldensi apud Bauaros, Religiosi tametsi Cistercienses, vtuntur solùm cucullis nigris, & antiquissimas habent statuas, & picturas, ostium primum Cœnobij, Bibliothecæ veteris aditum, Ecclesiæ altaria, & hospitum cubicula ornantes, in quibus S. Benedictus cucullâ albâ, S. Bernardus gryseâ, aut nigrâ depingitur.

Colore naturali lanæ S. Benedictus contentus fuit.

An S. Benedictus albâ cucullâ fuerit vsus?

Videris

Videris igitur, & viderit tecum Gallonius tuo errori consonans, an aliquid reponi possit. Nam si an. Christi 1241. hoc est, Cistercij 143. Schirenēses Benedictini Monachi colore gryseo vsi, faciliùs credā nigrum ex abusu introductū, quàm in gryseū olim degenerasse. Vale.

ORDO,

QVO MONACHI IN MONASTERIO conuersari ac Deo militare oportet, per modum testamenti & voluntatis vltimæ scriptus à S. Benedicto.

CAPVT I.

IN primis nocturnis horis cùm ad Opus diuinum surrexerit frater, primum signum sibi sanctæ crucis imponat per inuocationem sanctæ Trinitatis: deinde dicat versum, *Domine labia mea aperies*; posteà psalmum, *Deus in adiutorium*, cum *Gloria Patri*. Tunc prouideat sibi frater corporeæ necessitatem naturæ, & sic ad Oratorium festinet, psallendo psalmum: *Ad te Domine leuaui animam*, vsque ad finem, cum summa reuerentia & cautela intrans, ne alios orantes impediat: & profectus in locum congruum, effundat preces in conspectu Domini magis corde quàm ore; ita vt illius vox vicinior sit Deo, quàm sibi: & tunc referat gratias Deo, dicendo; *Gratias tibi ago omnipotens Deus, qui me dignatus es in hac nocte custodire; deprecor immensam clementiam tuam, vt concedas mihi venturum diem sic peragere in tuo seruitio cum humilitate & discretione quatenus tibi complaceam. Amen.*

II.

TVnc omnes sint parati stantes in loco suo in choro per ordinem, vt cùm signum nouissimum cessauerit, cum summa humilitate & honestate referant laudes Deo in conspectu Angelorum: & si fortè alicui frequens tussis, aut phlegma euenerit ex pectore aut naribus, post dorsum proiiciat, aut iuxta latus. Caueant autem curiosè, vt infirmis fratribus non vertatur in nauseam, sed semper quod spuitur pedibus conculcetur: vt dum ad orationem curritur, vestimenta eorum non sordidentur. Quod omnibus locis eis obseruandum, siue sint in Ecclesia, siue in refectorio, siue in porticu, & in omni loco, & conuentu, vt quod spuitur, pedibus conculcetur.

III.

POst expletionem verò nocturnæ Laudis, in illo interuallo summum silentium fiat, tàm in voce, quam in incessu, sine sono alicuius rei; vt liceat vnicuique sine alterius inquietudine peccata Domino confiteri, & veniam & remissionem pro ipsis flendo postulare.

IV.

CVm verò inchoante hora diei signum insonuerit, omnes festinent cum humilitate cordis, quasi ad Deum clamantes, ac misericordia sibi placabilem factum matutinis Laudibus prompta voluntate, vocum modulis, nec nimis productè, nec multum correptè, cum summa grauitate & honestate Officium persoluere diuinum.

V.

EX hac autem matutina Laude summum, & præcipuum silentium fiat in orando, vel loquendo.

VI.

COnuenientes verò Fratres ad Primam, postquam completum fuerit ipsum Officium ante psalmum quinquagesimum donent confessiones suas vicissim, pariter supplici voto pro se certatim orantes. Hoc expleto, veniant omnes ad Capitulum, & conuersi ad orientem salutent crucem, & cæteris Fratribus se vndique humilient, similiterque faciant in omni conuentu. Post recitata nomina Sanctorum quorum festa crastina dies excipiet, surgentes pariter, dicant versum, *Pretiosa*, quem sequatur Oratio à Priore: deinde versus, *Deus in adiutoriū*, tribus vicibus, cum *Gloria Patri* Surgentes iterū dicant versum: *Respice Domine in seruos tuos*, cum *Gloria Patri*. Post hunc versum sequatur oratio à Priore, *Dirigere & sanctificare Domine, &c.*

Post hæc qui culpabilis est, veniam postulet, & secundum modum culpæ vindictam recipiat: & tàm in claustro quàm in quolibet conuentu, vel loco veniam postulet Frater ante Dominum Abbatem, vel Præpositum aut Decanum, aut quemlibet de Senioribus. Cùm enim dixerit Senior, quæ est causa, Frater ille qui veniam poustlat, *mea culpa Domine:* si verò aliud quodcumque dixerit, iudicetur exinde culpabilis. Posteà dicatur à Domino Abbate, vel à cæteris quibus obedientia est facienda, quidquid est necessarium, & vtile fuerit in communi Monasterij. Frater verò qui veniam postulat pro culpa, quantò plus se humiliat, & culpabilem asserit; tantò misericordiùs & leuius à Priore iudicetur: necesse est enim vt omnes negligentias nostras, vel cogitationum, vel linguæ, vel operis in præsenti vita, per humilem confessionem, & humilitatem semper iudicemus, vt non post mortem nos reos faciant. Surgentes à Capitulo, atque ad opera exeūtes, simul omnes circumstantes dicant versum, *Deus in adiutorium*, &c. *Gloria Patri*, & orationem Dominicam, flectentes genua: Post orationem Dominicam dicat Prior, *Adiutorium nostrum in no-*

mine Domini, & respondentibus omnes, *Qui fecit cœlum, & terram*, vadant omnes simul aut separatim ad opus iniunctum sibi, custodientes silentium, decantent psalmos, aut *Pater noster*, bini aut singuli, iuxta id quod congruum est, nihil aliud loquentes; nisi fortè de ipsa arte necessarium fuerit dicere; quod dicatur cautè.

VII.

CVm ad Opus diuinum Horis canonicis auditum fuerit signum (sicut continet Regula) relinquant statim quidquid in manibus est, sic tamen vt non pereat: & tunc conueniant simul omnes ad ostium Oratorij, aut certè sint parati ad obedientiam, & dicant versum, *Benedictus es Dominus Deus, qui adiuuisti me, & consulatus es me*, tribus vicibus Priore incipiente, subiungentes, *Gloria Patri*, flectentes genua. Oratione completa surgant, & dicat Prior: *Misereatur nostri omnipotens Deus, &c.* respondeant omnes, *Amen*. A Calendis Octobris vsque ad Pascha, tertia hora hoc faciant: à Pascha autem vsque ad Calendas Octobris, hoc hora sexta & nona fiat.

VIII.

OMni tempore in Ecclesia summum silentium teneatur, excepto hoc, quod ad aures Dei pertinet. Et nullus ex fratribus alium puro nomine aliquando audeat appellare, sed (sicut decet) Seniores minores suos Fratres nominent; iuniores verò Seniores suos Nonnos, hoc est paterna reuerentia. Abbas autem Dominus & Pater ab omnibus vocetur. Iuramentum aliud nemo proferat, nisi crede mihi, sicut in Euangelio legimus Dominum Samaritanæ affirmasse: aut certè, aut sanè.

IX.

SI Frater increpetur à Priore qualibet de causa, aut ab alio quolibet etiam minore, statim cum summa velocitate in faciem suam cadens veniam postulet; quia hæc humilitas Deo exhibetur, non homini, & si ex corde fiat, indulgentiam promerebitur.

Oportet autem ante omnia, vt obedientes sibi inuicem sint, & ipsa obedientia (si recto corde omninò Deo offertur) ipsa est quæ ducit ad vitam: citiùs enim exauditur vna oratio obedientis, quàm decem mille contemnentis. Cùm verò sibi obuiant Fratres, vbique dicat iunior Seniori; *Benedicite*. Si iunior sedeat, transeunte Seniore surgat: & si Senior voluerit sedere, iunior non sedeat, nisi iussus. Si deprehensus fuerit Frater aliquis inuidiam, iram, aut tristitiam in corde retinere, statim corripiatur, vt emendetur; & quot dies hoc confiteri neglexerit, tot dies pœniteat; & si humiliter responderit, & pœnitentiam postulauerit, cum venia iudicetur.

X.

CVm autem Dominus Abbas, aut certè al quis ex Senioribus, alicui ex Fratribus aliquod opus præceperit, suscipiat iunior cùm summa honestate iubentis imperium, & sit auris parata ad audiendum, ac si diuinitus dicatur, sint pedes recti, manus expeditæ ad faciendum opus, & humiliato capite dicat, *Benedicite*.

Egredientes de domo, aut de Conuentu, dicant: *Benedicite*, etiam si solus sit: quia Dominus vbique præsens est, vnicuique postulanti paratus reddere rationem.

XI.

SI aliquid in Cellario, vel Refectorio, vel Coquina, vel quolibet alio loco Frater neglexerit, statim sine vlla mora currat ad veniam postulandam: & si talis est res, quam neglexerit, manu teneat, in terram prostratus veniam postulando de eo quod egerit.

XII.

CAueant à sæculari & superfluo risu, & à frequenti locutione cum amicis sæcularibus: si tamen necesse fuerit, vbi aliter esse non poterit, non loquatur quisquam solus cum sæculari, nisi præsentibus & audientibus aliis Fratribus, de quorum fide certa sit fiducia: & hoc maximè in iuuenibus obseruetur. Mens enim quæ Deo seruire cupit, sæcularium locutionem & conuersationem contemnere, & derelinquere debet.

XIII.

NOn vadant infra Monasterium passim vbicumque voluerint, nisi obedientia vniuscuiusque exigat, vel licentiam impetrauerint.

XIV.

NVllum opus etiamsi bonum videatur sine iussione agere præsumant, nihil dare aut accipere, sine iussu Abbatis: nec habere proprium, nisi quod Abbas dederit aut permiserit. Non debet aliud vnicuique in cibo, potu, vel vestimento dari, quàm Regula præcipit: qui autem plus habere desiderat, occasionem contra se occulti hostis nostri excitare non pertimescit.

XV.

NVllus alteri aliquid præteritum, vel turpe peccatum improperet. Si Senior viderit iuniorem delinquere, corripiat eum inter se & ipsum solum, semel, secundò, & tertiò, de leuioribus tantùm culpis: quia de grauioribus si contingat aliquid perpetrari, statim secundum Regulam emendetur: & qui aliuni vult castigare, leniter solidare studeat, secundum qualitatem neglecti; quia sæpè fractura membri deteriùs frangitur, quæ incautè ligatur. Pro immundis verò cogitationibus, & nociuis, vel ineptis locutionibus, semper ad confessionem recurratur. Humiliter sibi inuicem respondeant Fratres.

XVI.

HOra canonica audito signo, citò ad oratorium recurratur. Et non contendant de aliquo: quod si contigerit, qui prius tacuerit, sapientior reputetur.

XVII.

XVII.

ANte horam vel post horam nihil cibi percipiant, exceptis infirmis & infantibus quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est.

XVIII.

NOn detrahat quis, aut detrahenti consentiat. Pacem inter se seminent Fratres, non discordiam: sæculorum Fabulæ longè sint ab eis.

XIX.

STatutis horis non negligant opera manuum agere: quia virtus est animæ & corporis. Cæteris autem horis lectioni vacent, & si fieri potest, in vno loco, aut in claustro sedeant, vt inuicem se videntes coarctentur, & sub silentio legant, & ne alius ad alium iungatur, nisi necessitas exposcat: id ipsum tamen sine inquietudine alterius fiat. Æstiuo tempore vnusquisque ad proprium locum pergat, cum summa cautela, sine alterius perturbatione, aut legat, aut dormiat.

XX.

NVllus ex Fratribus suum aliquid dicat, aut rem aliquam, aut membrum corporis, sed semper nostrum: hoc solum oportet dicere proprium: Mea culpa. Omnia quæ Deus donat, nobis communia esse debent, excepto peccato, quia ex nostra fragilitate est.

XXI.

PRouidendum magnopere est, vt iussum Domini Abbatis de quacumque re impleatur sollicitè: quia hæc eadem obedientia, si rectè perficitur, non illi ministratur qui præcipit, sed Deo. Et si fortè negligatur (quod absit) qui deliquerit, citò recurrat ad indulgentiam postulandam.

XXII.

QVando in Choro ad psallendum stant, consona voce, & corde psallant, & illi incipiant versum, qui præ cæteris vtilius possunt, vt ad primam aut secundam syllabam cæteri conuenire possint iuuenculi pronuntiantes voce.

XXIII.

HOram verò refectionis post expletionem expectent in Ecclesia, psallentes in choro. Cùm audierint cymbalum, ordinatè & sine vllo strepitu festinent lotis manibus introire refectorium, salutantes crucem, versis vultibus ad orientem, & sedeant omnes ad mensam, singuli ordine suo, cum omni silentio. Nullusque præsumat quicquam accipere cibi, aut potus ante Dominum Abbatem; ipse autem non tardet accipere. Cùm autem accipiunt panem, dicat Frater Fratri: *Benedicite*, & respondeant, *Dominus*: & similiter faciant de potu: cùm primum biberint, de cæteris pulmentis, quæ sunt in mensa, non est necesse ampliùs benedictionem petere. Antequam incipiant cibum sumere, petat Lector benedictionem, & incipiat legere, & nullius ibi vox audiatur, nisi solius legentis, nisi fortè pro ædificatione aliquid breuius dicatur. Posteà verò quidquid pulmenti ex coquina ministratur, qui ministrant, à nouissimo incipiant, & vsque ad Dominum Abbatem ministrando perueniant, & tunc sonent cymbalum tacitè. & dicant Fratres; *Benedicite*, æqua voce productè. Data Benedictione in communi: expectent (sicut iam diximus) vt Abbas priùs accipiat, posteà singuli dicentes. *Benedicite*. Quando benedicunt cibum, aut potum, aut aliud, non sedendo, sed stando benedicant. Si autem cum talibus mixtum fuerit, Cellerarius faciat modicè signum ad ministrum, statim surgant iuuenculi ad miscendum, & lotos calices impleant potu æqua mensura, & stent ordinati sicut sunt conuersi. Tunc Cellerarius iterum sonet cymbalũ tacitè & dicant Fratres vna voce, productè; *Benedicitè*: & data Benedictione à Priore, Frater iunior qui dat calicem in manu sedentis, caput inclinet humiliter: cùm verò impletum fuerit opus miscendi, inclinet se in circuitu ad omnes Fratres, sic quoque ad mensas suas. Poma autem, & quælibet nascentia terræ; quæ cruda sunt, siue hora prandij, siue æqualiter cum alio cibo, in mensa antequam Fratres veniant aut sedeant à Cellerario vnicuique Fratri partiantur, & statim post alium cibum, illa ad mensam adiuncta comedantur. Quo expleto statim finiatur lectio, & surgentes à mensa dicto versu, sinister chorus exeat prior ordinatè, dexter verò posterior, nouissimè autem Dominus Abbas, psallentes: Psalmum *Miserere mei Deus secundum*, &c. distinctè & non festinanter. Cùm introierint oratorium, psallentes inclinent se vsque ad *Gloriam*: ad *Gloriam* verò flectant genua, & post orationem Dominicam surgentes, vadant cum silentio secundum quod tempori congruit.

XXIV.

POst Vesperas autem hora competenti facto signo omnes conueniant in Capitulo, & legatur Scriptura quæ ædificet audientes, quantum hora permittit, & finita lectione, surgant omnes pariter, & dicat Dominus Abbas, *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, & respondeant omnes, *Qui fecit cœlum & terram*: & cum silentio & reuerentia intrent ad Completorium, & orent cum intentione mentis, & dent confessiones suas ad alterutrum; & sic incipiant Completorium.

XXV.

EXpleto vero Officio, summum silentium teneant, & ore & corde fiant orationes secretæ, & recordationes peccatorum cum gemitu & lacrymis & flectu, sine suspirio, ita vt alteri nullus noceat. Tunc agat gratias Deo, ita referendo: *Gratias tibi ago Omnipotens æterne Deus, qui me per tuam sanctam misericordiam in hac die custodire dignatus es: deprecor immensam clementiam tuam, vt concedas mihi hanc noctem sine vllo peccato aut impedimento Sathanæ, cum dulci & pudica requie*

pertranſire, vt matutino veniente tempore purè & ſtrenuè ſurgens tibi Deo meo laudes referre valeam. Et ſic cum magna cautela vadant ad dormitorium: & dum ad proprium lectum Frater acceſſerit, dum ſe collocat, dicat pſalmum, *Deus in adiutorium*, totum cum *Gloria*, & poſteà dicat verſum: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Et ſic muniat ſe ſigno ſanctæ Crucis, & dormiat in Domino, Amen.

COMMENTARIVS.

1782 Exercitium matutinum cum primũ Monachus excitatur.

CAPITE I. S. Pater docet nos, quid agere debeamus, cùm ad Matutinas exurgimus. A Crucis ſigno initium vult S. Pater deſumi, vt qui cruce redempti, crucis ſigno muniamur pugnaturi. Monachus igitur cum primum excitatur, dicat. *In nomine † Patrũ, & † Filij, & Spiritus † ſancti. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Antiphona. *Ego Frater N. gaudeo me olim vouiſſe ſolemniter Conuerſionem morum, & Obedientiam ſecundum Regulam S. Benedicti Abbatis. Eadem Ego hodie vota, ſi non promiſiſſem, promitterem. Eadem Ego nunc renouo coram Deo, ſanctiſſimâ eiuſdem Genitrice ſemperque Virgine Mariâ, & Sanctis omnibus, qui hodie ab Eccleſiâ Romana celebrantur.* Pſalmus. *Ad te Domine leuaui animam meã*, &c. *Gloria Patri*, &c. Antiphona. *Ego Frater N.* &c. Collecta. *Oremus* GRATIAS *tibi ago, Omnipotens Deus, qui me hac nocte cuſtodire dignatus es, immenſamque clementiam tuam obnixè deprecor, vt ita me præſentem diem concedas peragere, vt in conuerſatione regulari proficiam, & tibi ſeruiam reddendo exactè vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.* ACTIONES *meas, quas regulari inſtitutione præueniſti, efficacia clementia tuæ benignus præueni, vt hac die omnis mea cogitatio & operatio ad D. Benedicti Regulam Te cœlitus præmouente, & diuinitùs cooperante eliciatur.*

Quotidiana ſolemnium votorum renouatio.

Gratiæ præueniẽtis, cooperantis, & ſubſequentis confeſſio.

Hic modus præueniendi horas Matutinas, in S. Patris inſtitutione fundatus, omninò neceſſarius eſt, vt renouetur ſatisfaciendi Deo voluntas, & fragilitas eneruetur.

1783 Annua votorum ſolẽnium renouatio.

Præter quotidianam ſolemnis renouationem profeſſionis, debet quicũque Religioſus anniuerſariũ natale celebrare, non extrinſeco aliquo apparatu, ſed cultu intrinſeco. Proderit redeuntem ſuæ profeſſionis diem hic Monacho vererè natalis; non enim celeber, quo natus mundo, ſed quo Deo) totius anni confeſſione ſacramentali præuenire, & illum ipſum diem ab occupationibus, quas obedientia non iniunxerit, liberum, totum Deo conſecrare.

Monachis dies Natalis, qui?

1784 Debet curare Monachus, ne ſit ſuis Confratribus grauis.

CAPITE II. Suadet ægris & pectore fortè laborantibus, ne ſint confratribus ſuis graues, ſed ita vel tuſſiant vel exſpuant, vt nemo cauſari aut maculari valeat. Nam licèt alter alterius debeat portare onera, & imperfectiones tolerare; vniucuiuſque eſt ita decircinare & corrigere ſuas, vt confratribus non ſit oneroſus, ſed facilis. Iam hodie omnia diſponuntur faciliùs; nam vel patet aditus vt infra ſtalla expuere poſſis, vel dantur feneſtellæ, quæ claudantur, vel arculæ arena plenæ, quæ pectoris excipiant cruditates.

CAP. III. Quid fieri debeat in breui illo interuallo, quod Vigiliis & Laudibus intereſt, nos docet S. Benedictus. Magnum ſilentium in Oratorio fieri præcipit: *vt liceat vnicuique ſine alterius inquietudine peccata Domino confiteri, veniam & remiſſionem pro ipſis flendo poſtulare.* Sed bone Deus! quæ peccata? Surrexit, vt Deum laudaret Monachus, vigilias cecinit; ſeruiuit igitur Deo & non peccauit, aut ſi cantando peccauiſſe dicatur, præſtitiſſet in lecto manſiſſe.

1785

Quid debeat facere Monachus inter Matutinas & Laudes?

Sanè, qui intrinſecam attentionem requirunt, facilè peccata aliqua inuenient, etiam in ſummâ deuotione; humana enim eſt, quæcumque ſumma: & fragilia omnia humana, & nihil omninò difficiliùs quàm mentem volitaturam coërcere.

An attentio interna ſit in Officij Diuini lectione neceſſaria?

At nos qui attentionem intrinſecã conſultam dicimus, ſed non præceptam, credimus poſſe Monachum ita rem diuinam peragere, vt ſub anni finem iurare poſſit ſe nullum in horarum materiâ commiſiſſe veniale: quod ſummo eſt ſolamini homini peccatori, & aliarum imperfectionum reo.

Opinio, quæ negat, vtilior & ſecurior eſt.

1786 Antiqua ſẽper debemus lugere peccata.

Deo igitur, in cuius amore videmur ardere, autequam tepeſcat deuotio, delicta iuuentutis & ignorantias adoleſcentiæ confiteri debemus, vt lacrymis noſtris clementer vſus, illa dignetur abolere & remittere, non enim in æternæ ſalutis materia nimia confidentia eſt laudanda. Amandus eſt nobis Deus cum timore & tremore; audiendus Paulus. *Nihil mihi conſcius ſum*, ait, *ſed in hoc non ſum iuſtificatus*, non enim ignorantia, ſed Dei gratia iuſtificat. At ſi diceret. *Condolete mihi & infœlici, & miſero vniuerſi mortales. Scio certiſſimè me peccauiſſe grauiter; ita ego certo, vt id iurare poſſim. Scio me veniam poſtulaſſe; illam, à Deo benè oranti ſemper concedi non ignoro: An autem benè orauerim veniam, an verò inſufficienter & remiſsè; an illam impetrauerim, an habeam gratiam & charitatem ſcio? minimè. Sanè nullius rei ex iſtis conſcius ſum, ſed in hac ipſa mea ignorantia non conſiſtit mea iuſtificatio, ſed in illo cuius miſericordia peccata mea confiteor, à quo culparum veniam, & pœnarum remiſſionem imploro.*

Obliuio & ignorantia à cõmiſſis peccatis non iuſtificat.

CAP. IV. Quî debeant Laudes cantari S. Pater exponit, & quæ de huius horæ modulatione dicit, de vniuerſarum cantu eſſe intelligendum putamus. Sit igitur communis Regula è verbis Capitis præſentis deſumpta, videlicet, *Vbi primum ſignum Religioſus audierit, incipiat Oratorium accedere. Et in choro corde humili, & Dei clementiam ſuſcipiente, & voce mediocri, nec nimiùm producta aut correpta, laudes diuinas moduletur.*

1787 Audito primo ad Chorum ſigno, quid Monachus facere debeat? Quomodo cãturus in choro ſit?

CAP. V. Agit de tempore, quod Laudibus & Primis intereſt. Hic S. Pater, *Ex hac autem matutina Laude ſummum, & præcipuum ſilentium fiat in orando vel loquendo.*

1788 Quid Monachus ſit facturus poſt Laudes?

At

At multò clariùs in Regulæ Cap. VIII. vbi inquit, *Quod verò restat post vigilias, à Fratribus, qui Psalterij vel Lectionis aliquid indigent, meditationi inseruiatur.* Quæ verba varie sunt varij interpretati,& ex eis videmus varios mores exortos. Tu consule quæ superiùs diximus *à num.* 1102.

1789

Quid facere debeat post Primas?

CAP. VI. Statuit,vt finitis Primis vnusquisque dicat *Confiteor Deo*,& Psalmum *Miserere mei*, vt se præparent ad dandam Deo & hominibus,per iniungendam à Superiore pœnitentiam,satisfactionem in Capitulo. Deinde, quæ aut canenda aut agenda in Capitulo singulatim exponit,& totũ *Pretiosa* describit.

Nota. In Breuiario Monastico illud *Confiteor*, &c. dicitur ante Orationem.

Hodie omnia paulo aliter. Illud *Confiteor*, & *Miserere mei*, quæ post Primas dicuntur, videntur mutata loco & commutata;Capitulum enim sic agitur.

Petit Inuitatorius primò cantandi licentiam benedictionemque, & ait, *Domne iube benedicere*,& respondet Præses, *Diuinum auxilium maneat semper nobiscum.* Et statim ille quota sit dies sequens, quota illa Luna correspondeat, & qui in illâ colendi sunt Sancti, prænuntiat, etiam mobilia festa, illa ponendo propriis locis. Sed quia iuuenes qui martyrologium præcinunt, non solent esse satis docti, quid in eius lectione communiter seruandum adnotabo. Dico igitur ponendum primo loco Sanctum illum de quo erit officium canonicum sequente die, in secundo illos de quibus in choro fiet commemoratio, addendos reliquos. Subiungo hoc nunquam exactè faciendum quovsque liber ille ad nostri Calendarij normam rescribatur, [quem me iudice deberemus recudere grandiore Cistercienſium Sanctorum iam Canonizatorum mentione in eorumdem Natalitiis & diebus, quibus speciales à Deo aut cœlorum Regina, fauores receperunt, facta]iuniores enim illi non solùm imperiti, sed incurij, in rebus facilioribus perpetuò peccant. Vel Paschalis solemnitatis memineris, quæ vix vnquam ad rubricas solet enuntiari. Sabbato enim maioris hebdomadæ legenda sunt Sanctorum incidentium in diem sequentium nomina, nec prænuntiandum Pascha; at die ipso Paschatis immediatè post benedictionem proclamandum illis verbis, *Hac est dies quam fecit Dominus*, &c. & posteà prænunciandus sequens dies,& luna, Sanctique illi correspondentes.

Corrigendũ esset Martyrologium.

N. B. Huic correctioni seruire possunt Martyrologia Ordinis, quæ nostri Religiosi euulgarunt.

Ratò, vel nunquã bene canitur Martyrologium in profesto & festo Paschatis.

No'a. In Breuiario Monastico ponitur *Gloria Patri.*

Secundò *Pretiosa* à tota Communitate cantãtur,*Deus in adiutorium*,ter dicitur;additur;*Gloria Patri*,&c. Subiungitur versus, *Respice Domine in seruos tuos*, sed non additur. *Gloria Patri*, prout indicit S. Benedictus, sed immediate succinitur Oratio, *Dirigere sanctificare.*

Quotidiè legitur & exponitur vnum Regulæ Caput.

Tertiò, legitur vnum caput Regulæ ab Inuitatorio;& breuiter exponitur à Præside; & hoc modo videntur satisfacere Capiti LVIII. in quo nobis præcipitur prædicere Nouitiis dura, & regulam tertiò per ordinem legere. Et quidem per ordinem & tertiò aut ampliùs, si vnum capitulum quotidie,legimus.

De confessione culpatum.

Quartò,vnusquisque suas negligentias publicè confitetur Deo, Præsidi, & Communitati; & huc opportunè videtur translata illa confessio, quam in hoc capite fieri post Primas ante Capitulum S. Pater indicit.

Quintò, adduntur Psalmus *De profundis. Requiem æternam* &c. *Kyrie*,&c, *Pater noster*, &c. *Aporta inferi*, &c. *Oremus. Deus venia*, &c. *Fidelium*, &c. in quæ Psalmus *Miserere mei*,ex huius Capitis præscripto dicendus, videtur commutatus.

Loco *Miserere mei*, videtur *De profundis* dici.

Vltimò, dicitur versus *Adiutorium nostrum*,&c.& postquam Conuentus responderit,egrediuntur ad Chorum aut Ecclesiam,vbi genuflexi iniunctam pœnitentiam recitant,& pro culpis capitulariter correctis satisfaciunt.

De satisfactione culparum.

CAP. VII. Agit de manuum labore, de quo etiam cap. XLVIII. suæ Regulæ, quem obseruari in tota Hispania exactè vidi, non tamen illis versibus claudi. Hodie sic facimus. Congregatur Communitas in Capitulo, & receptâ benedictione Præsidis in summo omnes silentio vadunt ad opus suum, cui insudant,quousque Superior manuum plausu cessationem indicat.

De manuum labore. Quomddo fiat?

Si scire desideres,An labor manuum, vbi exoleuerit,possit reuocari:lege quæ posuimus superiùs *à num.* 1637.

An possit reuocari?

CAPITE VIII. in Ecclesia summum esse silentium seruandum indicit; esse locum orationis,in quo Deum solum alloqui debeamus. Hic condemnat illorum corruptissimos mores,qui audientes Missam garriunt, nam hi attentionem extrinsecam,qualem præcipit Pontifex habere non possunt, quandiu confabulantur. Haud fallor, aut huc respexit Dauid,cum dixit Psalm. 64. *Te decet hymnus in Sion*, quem versum exposui num. 1287. 1288. cui modo dabo nouam lucem.Loco inquam, illius vocis Latinæ *Hymnus*, habet originale Hebræum æquiuocam,significantem *laudem*, *silentium*-que,vnde alij *Te decet hymnus*, alij *Te decet silẽtium* transtulerunt.Porrò consultissimè Propheta Rex, hac voce vsus,nos docuit, summum esse obseruandum silentium in loco vbi laus diuina peragitur, nec alterius rei gratia mouenda labia, quàm vt veniam & remissionem imploremus. Te igitur decet laus & silentium Deus in Ecclesia:laus quam pendunt,qui celebrant;silentium,quod obseruant, qui intersunt.

1790

An, qui garriunt, dum missa legitur, præcepto Ecclesiæ satisfaciant?

Exponitur versus Psalmi LXIV.

Confratrem à nemine puro vocandum nomine statuerat in Regulæ cap. LXIII. quia valdè necessariam constitutionem illam iudicat, hic reponit, vt sæpiùs lata obseruetur exactiùs. Iuniores præcipit vocari *Fratres*, Seniores *Nonos*,Abbatem *Dominum*. Omnia successu temporum alterata. In Hispania iuniorum nomine videntur intelligi Subsacerdotes, & Sacerdotes nomine Seniorum, in quorum nominibus posset etiam Erasmus illa dicere, quæ de titulo *Canonicorum Regularium*: nam si canon est regula,Regulares Canonici non alij sunt quàm Regulares regulares. Sic apud Hispanos, *El hermano Fray Iuan*, *El padre Fray Ambrosio*, *El Señor Padre Abbad*, quod esset ad litteram, *Frater Ioannes*,*Pater Frater Ambrosius*, *Dominus Pater Pater*. Apud Gallos, qui Nonus diceretur *Dom.* apud Vvalones *Damp.* apud Belgas *Myn heer*, aut etiam Gallicè *Monsieur*. & quia Italicè *Don*, visum est aliquibus

1791

Quomodo Monachi sint nominandi.

Hoc nomen *Canonicus Regularis* Erasmus ridet sed cur?

Religiosorũ agnomina apud diuersos.

Criticis

An pro *Nonus* legere debeamus? *Donus?*

Criticis à voce Itala *Don* deduci debere latinam *Donus*, adeoque hanc legendam pro *Nonus*, quoniam in charactere antiquo D. & N. sunt simillimæ; & in causa, quod hic & sæpè alibi fuerint commutatæ. Sed non est, cur aliquis Erasmus hæc omnia rideat; nam voces significant ad placitum, & vbi videntur repeti sub diuersâ significatione ponuntur. Habes in quodam Sermone Bernardi. *Animantes non iudicantur, quia non iudicant: quâ enim ratione ab illis exigeretur ratio, quam non acceperunt?* Ecce tertio ponitur *ratio*, & tamen non ridemus Authorem, sed eius potius eloquentiam laudamus. Sensus enim præcedentis periodi est, *Bruta non iudicantur à Deo, quia vsu rationis carent: quo enim iure computus exigeretur ab illis de libero arbitrio, quod non receperunt?*

Verba interdum eloquenter sub diuersâ significatione repetuntur.

Ratio tria significat.

Canonicorũ, alij sæculares, & alij regulares sunt.

Porrò Canon est Regula: interim *Canonicus Regularis* non est Canonicus Canonicus, nec Regularis Regularis: quia cùm duo sint genera Canonicorum, alij enim sæculares, & alij religiosi sunt; qui sub Regulâ & Abbate Deo seruiunt, vt à sæcularibus Canonicis distingui possint, *Canonici regulares* vocantur.

Voces *Hermano*, & *Fray* apud Hispanos nõ significant idem.

Sic similiter *El hermano Fray Iuan*, non est *Frater frater Ioannes*; quia ibi vox *Hermano*, illum, qui non est sacerdos; & *Fray* religiosum significat: pro quâ voce in Ordinibus militaribus ponitur *Fray*?

Quid importet vox *Padre?*

Sic etiam, *El Padre Fray Ambrosio*, non est, *Pater Frater Ambrosius*: quia ibi vox *Padre*, sacerdotem, & vox *Fray*, religiosum sonat.

Voces *Padre*, & *Abad* non sonant idem.

Tandem, *El Señor Padre Abbad*, non est, *Dominus Pater Pater*; quia ibi vox *Padre*, sacerdotem, & vox *Abad* sonat Abbatem: nec obstat vocem Abad ab Hebræâ אב: *Ab*, aut à Chaldæâ אבא *Abba*, deduci: quia illa in nostris linguis non quemcumque Patrem significat, sed talem Prælatum.

Trãslatio ad literam nunquam est literalis.

Hinc patet nullam versionem magis solere opponi literæ, quàm quæ ad literam est. Pono exemplum, Dominus Carolus Varsius, amicus meus, iturus in Hispaniam, petiit à Neoportuensi Gubernatore literas testimoniales; concessit ille, & in ipsis præter alias hanc lineam, *Doy fee, que conosco à Carlo Vars, y que tiene vn hermano Clerigo, y otro hermano Frayle.* Curat suas literas verti in Latinas Carolus, nam idiomatis Hispani erat rudis, & Interpres ad literam, *Do fidem, quod cognosco Carolum Varsium, & quod habet vnum fratrem Clericum, & alterum fratrem Fratrem.* Et quia præcisè ad literam, omnia contra literam: nam *dar fee*, non est *dare fidem* (audi Virgilium, *Accipe, daque fidem*) sed *testificari:* vnde, si sensum respexisset, transtulisset sic. *Testificor, me cognoscere Carolum Varsium, & quod habet vnum fratrem Presbyterum, & alterum fratrem Religiosum*, &c.

An Florẽtius ille, qui fuit S. Benedictũ persequutus, fuerit Sacerdos?

Vox *Clerigo* apud Hispanos, non significat Clericum, sed Sacerdotem, vnde cessat admiratio Haftenij: nec quærat vlteriùs vnde habuerit Yepes Florentium, quem omnes Clericum dicunt, fuisse Sacerdotem: volo enim, vt ipse dicat mihi Hispanicè, *Florentius fuit Clericus.* Si dicat, *Florencio fué Clerigo*, dicet fuisse Presbyterum. Patiuntur ergo plurimum Historiæ & phrases, cùm in alias linguas mutantur. Hæc omnia sunt luci Capiti LXIII. Regulæ S. Benedicti.

Omnia deinde iuramenta familiaria proscribit, quæ in Regulæ multis locis condemnat.

1792 Expelli à monasterio debet, qui non acceptat pœnitentias regulares. Vide *n.* 1762. §. *Consonat.*

CAP. IX. ea, quæ in Regulæ Capite LXXI. posuerat, resumit: quam doctrinam S. Pater tam necessariam credidit vt expelli iusserit legirupionem, & nunc iterum eandem sanctionem ferat, ne quis possit de ignorantiâ causari.

Optimè orat, qui optimè obedit.

Sententia illa, *Citius exauditur vna ratio obedientis, quàm decem mille contemnentis*, verissima est, & summo solamini Cellerariis, & rei domesticæ Curatoribus, qui ex obedientiâ extra chorum merentur. Inter quos aliqui anxij & soliciti fratribus inuident, qui totâ die collaudant Deum. Noui, & alios, qui nolunt commoditates suas relinquere sanctitatis prætextu, sed & horum decem mille orationes non æquiualebunt vni simplicis Religiosis dicentis, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Te laudabo in Choro apud confratres meos, quandiu Abbas meus permiserit. Te extra Chorum, aut inter culinarias sordes, aut mendicorum vlcera, aut rusticorum ineptias, si mihi talia officia iniungere voluerit Superior.*

De vitâ actiuâ & contẽplatiua. Bonus Religiosus esse debet ad vtramque paratus,

Quæ sequuntur, vrbanitatem, quam maximi facit S. Pater, concernunt, & illustrant Caput Regulæ LXIII.

1793 Qualis esse obedientia debeat?

CAP. X. Summam in obediendo resignationem commendat, & dilucidat Cap. V. LXXI. LXXII. & præcipuè LXVIII. cuius formalia verba adsumit: quod ipse Caput videtur ad Seniores extendere. Vide, quæ in Scholio dixi de hoc eodem, nam & D. Bernardus ostenditur sic litteram intellexisse.

De præsentiâ Dei.

Cùm subiungit Deum vbique esse præsentem, resumit quod dixerat. Cap. XIX.

1794 Qui aliquid fregerit, postulat veniã,

CAP. XI. statuit, vt qui fregerit aut negligenter habuerit aliquid, veniam petat, & hoc hodie obseruatur, saltem in Communitatis præsentia; nam si in refectorio verbi causa panis vel cultellus ceciderit, statim debet prosterni ille, cuius negligentia fuit factũ.

Dubium incidens.

Sed hic obiter examinandum, *An sit Deo gratum humilitatis causa vel in lectione errare, aut cultrum elabi permittere, vt pœnitentiã subire cogaris?* audiui asserentes, imò & consulentes; quibus nunquam subscribam; Non enim debent obligationes negligenter impleri, nec iuuat intuitu agendæ pœnitentiæ delinquere, & Communitatem perturbare.

Doctrina valdè necessaria.

1795 Religiosi nõ permittũtur loqui cum exteris.

CAP. XII. Reperio periodos, quas libenter expendo. Vidi in nonnullis nostris, Benedictinorum, imò etiam Carthusianorum Monasteriis sanctissimis arctam silẽtij legem, & tamen sæcularibus concessam Religiosos conueniendi nimiam facilitatem; cùm potiùs sæcularium sit timenda familiaritas, quàm confratrum. Sed quia dictamen meum S. Benedicti testimonium confirmat, ad sequentia progredior.

1796 De Monachorum & Monialium clausurâ.

CAPITE XIII. Pauca ponit, quæ tamen multas inferre possint consequentias. Quid diceret Pater sanctissimus, si hodie suas Moniales cateruatim cursitantes per curias & plateas

plateas videret, siquidem Monachis tam rigidam legem inſunxit ? Quid modo in cœlis meo Bernardo Campmans, cui continendi in clauſtro Moniales ſumma cura, ſed cara, ſed caſſus labor, contradicentibus aliis, qui volebant huius hominis pietatem & zelum ad ſuam deſidiam reformare ? Permittit Deus, vt gens dyſcola ſuos etiam fautores ſæculares, Eccleſiaſticos, imò & Religioſos aliquando reperiat, vt virtus ſit in arduo, zelus in difficili ; perſeuerantia ad meritum.

1797 Nihil, licet ſit bonum, fieri debet ſine Abbatis licentiâ.

CAPITE. XIV. Etiam in rebus bonis præterregularibus, ſubordinat Prælato Religioſum, *Nullum opus*, ait, *etiam ſi bonum videatur, ſine iuſſione (hoc eſt, licentia) agere præſumat*, & conſonat Capiti IL. ſuæ Regulæ, vbi, *Hoc ipſum*, dixerat, *quod vnuſquiſque offert, Abbati ſuo ſuggerat, & cum eius fiat oratione & voluntate. Quia quod ſine permiſſione Patris ſpiritualis fit, præſumptioni deputabitur & vanæ-gloriæ; non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia facienda ſunt.*

Vide *n* 1613.

1798 An Monachi aliquid vouere poſſint Deo ſine Abbatis licentiâ?

Hinc patet ſolutio cuiuſdam dubij, quod ſolet Scriptores in varias ſententias redigere ; nimirum, *An Benedictini, qui res præterregulares Deo vouent, teneantur hoc voto ?* & ſi tenentur, *An Abbas illud poſſit commutare, aut irritare ?* Ago de Benedictinis, quia ſpecialem erga eos ego rationem dubitandi repério ; & de actibus externis, quia internos nolo humanæ ſubdere authoritati. Et reſpondeo non dari votum præterregulare, quoniam ipſummet votum eſt aliquod opus, Monachuſque vi ſuæ Regulæ, omnia quæ voluerit ſuperaddere obligationi communi, debet addere ex licentia Prælati. Ergo emiſſio voti alicuius ſimplicis, quæ inconſulto Prælato fiat, contra Regulam eſt, & inualida eo ipſo, ni illam implicita licentia cohoneſtet.

1799

Addit S. Pater, *Monachum nihil poſſe habere proprium, niſi quod Abbas dederit aut permiſerit*, & tu inquiris, An Religioſi habere poſſint rerum directum, & verum dominium etiam concedente Prælato ? Et reſpondeo hic S. Benedictum agere de cibo & potu (imò de veſtibus ſuo modo) nam in res vnico actu conſumptibiles, cùm ille vſus actus ſecundus ſit dominij, habere debet dominium Religioſus, vt *num.* 872. perſuaſi, ad cuius ſententiæ (quam ratione demonſtrare exiſtimo) confirmationem multum roboris habere iudico S. Benedicti ſuffragium.

An in res vnico actu conſumptibiles habeant verum dominium Religioſi?

1800 De Fraternâ correctione.

CAP. XV. Agit de correctione fraterna, de qua ego multa à *n.* 1688. quæ huius capitis doctrina poterunt firmari aut illuſtrari, operæ pretium erit aliquas periodos componere.

Authoris ſententia.

Numero 1692. dixi, *Nullus Confrater tenetur ſub veniali illum fraternè corripere, qui commiſerit peccata venialia*, & Num. 1690. *Fraterna correctio* (ago de peccatis grauibus) *præmitti debet omni denuntiationi*; Cùm tamen S. Benedictus in hoc Capite. *Si Senior viderit iuniorem delinquere, corripiat eum inter ſe & ipſum ſolum ſemel ſecundò & tertiò, de leuioribus tantùm culpis : quia de grauioribus, ſi contigat aliquid perpetrari, ſtatim ſecundum Regulam emendetur.* Vnde aſſerere poſſes me abire à D. Benedicto in ſingulis; ipſe enim fraternam correctionem in leuibus ponit, negat in grauibus ; & ego nego in leuibus, & in grauibus pono. Et reſpondeo me mentem ſanctiſſimi Patris & tenuiſſe & tenere. Dico neminem obligari mortaliter, ne ſub veniali quidem, corrigere fraternè peccata venialia ſui proximi, nec hoc negat Patriarcha ſanctiſſimus ; conſulit tamen, non quibuſcumque, ſed Senioribus, vt Iuniores venialiter peccantes fraternè corripiant, quod bonum & pium conſilium, aut ſi velis, monitum eſt. Grauiora autem peccata non iubet ſtatim deferri correctione fraternâ prætermiſſa, ſed ſtatim à quocumque, qui reſciat (Seniore, Iuniore) ſecundum Regulam emendari ; quæ quidem non emendarentur ſecundum Regulam, ſi fraterna correctione omiſſa, cùm hanc ipſam præmittendam indicat S. Pater in Regulæ Capite II. XXI. XXIII. XXXII. XLIII. XLVIII. LXV. LXVI. & ſæpè alibi. Relege quæ dixi ſuperiùs à n. 1676.

An Benedicto ſit contraria ?

De correctione culparum leuium.

De correctione grauium.

Illa verba, *Qui alium vult caſtigare, leniter conſolidare ſtudeat ſecundum qualitatem neglecti, quia ſæpè fractura membri deterius frangitur, quæ incautè legatur.* manu ducunt Prælatos correcturos, & illuſtrant Capita XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXX. XXXIII. XLIII. XLIV. LI. & alia in quibus S. Pater agit de correctione.

1801 Puniendi modus.

Nota illud *leniter*, & in materia legum ferendarum obſeruandarum & vindicandarum hæc obſerua. Oportet primò legem eſſe ſuauem, nec nimiam pœnam tranſgreſſori aſſignari, ſed ſecundum qualitatem, imò, & quantitatem neglectus. At Superior debet omninò facere vt obſeruetur ; debetque contra tranſgreſſorem agere vindicem, illumque pœna à lege impoſita condemnare: leniter tamen ; non quidem diminuendo pœnam, ſed illam indicendo vrbanis & paternis verbis, quæ non ex odio aut ſequiore affectu, ſed ex mero orta amore videantur.

1802 Leges eſſe debent benignæ, ſed debent ſeuerè obſeruari.

Nota illud *conſolidare*, & diſcas omnia fere peccata naſci ex fragilitate, vnde leges frangi dicũtur, & legiruptiones violatores. Quoniam ſi præſumptionem obiicias, non negabo dari culpas ex arrogantia & ſuperbia, ſed in hæc ipſa vitia labitur animus quia fragilis.

1803 An pleraque omnia peccata ex fragilitate naſcantur ?

Nota tandem illud *neglecti*, quod poteſt actiuè & paſſiuè deſumi ; ſi paſſiuè eſt idem ac res neglecta, vel negligentia ipſa, & dicendus S. Benedictus indicere, vt pœna proportionetur culpæ. At ſequentia ſenſum actiuum magis probant, ita vt *qualitas neglecti* ſit negligentis qualitas, quæ conſideranda etiam eſt, iuxta Caput XXX. Regulæ, vbi ætas ab ætate, & Caput II. vbi ingenium ab ingenio diſtinguitur ; & alium blanditiis, alium increpationibus, alium ſuaſionibus eſſe regendum definitur.

1804 Pœnæ, & peccato, & peccatori debent proportionari.

Illud quod de confeſſione additur, videtur de ſacramentali ſola debere intelligi, quoniam de capitulari actum fuit Capite V I. [Vide inferius Cap. XVIII.]

1805 De Confeſſione ſacramentali.

CAPITE XVI. Ponitur ſententia, quæ debet omninò notari. *Non contendant de aliquo*, ait S. Pater ; *quod ſi contigerit, qui prius tacuerit, ſapientior reputetur.* Putant aliqui ſummæ eſſe doctrinæ multum vociferari ; & hi

1806 Vitanda eſt contentio.

ipsi apud academicum vulgus plausum habent; cùm potiùs summæ sapientiæ sit cedere aduersario, vbi cum laude dicertare non possumus. Imò ita abest à pusillanimitate cessio ipsa, vt nonnunquam actus esse superbiæ iudicetur. Salmanticæ magnifici Rectores, adolescentes filium Principum sunt, sed auditores; & tametsi ingenioſi, non videntur tales, qui argumentari cum Doctoribus valeant. Vidi semel Magnifico D. Sfrondato in Theologica disputatione ratione officij præsidi, difficultatem aliquam, nec malè, proponenti responderi ab Eximio D. Reyes omnia esse vera; nimirùm, vtrumque antecedens & consequens. Inferenti Thesin, quæ propugnabatur esse falsam; adsensum: nec tamen ideò Reyes minùs sapiens creditus, quòd alij cesserit; imò visus superba vrbanitate illius Principis eruditionem compescuisse, & auditorum esse doceri & silere, tacitis verbis pronuntiasse. Debemus igitur etiam in euidentibus cedere, ne minùs sapientes videamur defendendo rem claram contra cœcos: prudenter tamen, ne & contemptores, nam duo instant pericula, & facilè Scyllam incurrere poterunt, Charybdim vitare conantes, frequenter enim ita nobis à sapientiore ceditur, vt non vinci modo, sed & contemni tanquam inepti ad pugnam videamur.

Interdum generosè cedituꝛ:

immo cum superbiâ & contemptu non rarò.

In hac materia summè est necessaria prudentia.

1807 Qualis Medicus sit S. Benedictus?

CAPITE XVII. Medicum agit S. Pater, & medicinam vnam proponit, quâ Medicis omnibus carere possis. Legem, quam bene obseruans, habebis humores ad legem; omnes enim morbi, qui in Germaniâ grassantur à combibiis potiùs quàm à conuiuiis orti, ex-leges sunt, quoniam fouentur vitâ ex-lege.

1808 Dogmata Monastica.

CAPITE XVIII. Multa comprehendit breuiter, quæ paucis illustrare non possim. Omnia possunt ad has Sanctiones redigi. I. *Ne detrahito.* II. *Detrahenti ne consentito.* III. *Pacem inter Fratres seminato.* IV. *Ne inter eosdem discordias.* V. *Fabulæ proscribuntur.*

Nonnullæ voces declarantur.

Vt intelligas primam, oportet callere aliquot vocabulorum significationes; quæ tametsi assimiles, confundi non possunt. Illa sunt, *Confusio*, *Exprobratio*, *Murmuratio*, *Detractio*, *Calumniatio.*

Quid sit Cõfusio?

Confunditur, qui contra spem & votum patitur cum authoritatis detrimento. Puta, si coram aliis salutet quis Petrum, nec resalutetur; inuitatus, in loco indecenti ponatur. Et hæc ipsa confusio iustè illata esse potest & solet: oportet enim hominem confundi nonnunquam, nec noceat grauiùs; sed cum moderamine inculpatæ tutelæ.

An semper inuoluat peccatum?

Quid Exprobratio sit? Est duplex: videlicet, criminis veri, & falsi.

Exprobrat, qui turpe factum alicui in faciem obijcit, quod & bifariam potest, nimirùm, verè & falsè. Non fore homines tam insolentes, qui falsa audeant obijcere, supponens S. Benedictus Cap. huius Ordinis XV. illorum qui vera obijciunt, voluit insolentiam compescere, & statuit, *Vt nullus aliquid præteritum, vel turpe factum, alteri improperaret.*

Quid sit Murmuratio?

Murmurat, qui absens & impatiens veritatem pronuntiat; nimirum formalem: materialis enim veritas, sæpè cum formali mendacio componitur; vt videre in illo esset, qui peccata sacramentalis Confessionis detegeret, qui tametsi veritatem materialiter diceret, mentiretur formaliter. Sed de hoc in Schòlio cùm de Consultationum secreto.

Qui detegit secreta mentitur.

Detrahit, qui absens proximo crimen extraiudicialiter falsum adfingit; nempe falsum formaliter, tametsi materialiter verum: quod ipsum, si iudicialiter faceret, non iam detrahere diceretur, sed *calumniari.*

Quid sit Detractio? Quid Calũnia?

Sed interrogas, *An sit mortale peccatum murmurare?* Et respondeo, meram murmurationem, quæ detractoria non sit, non esse mortaliter peccaminosam.

An murmuratio sit culpa lethifera?

Legis; & Hugonem Victorinum à me legi desideras, qui in Commentario Regulæ S. Augustini Cap. IX. sic inquit. *Graue peccatum est murmuratio, testante Gregorio qui ait, Regnum cœlorum, nullus qui murmurat, accipit; nullus qui accipit, murmurare poterit. Et Salomon; Præcordia fatui sicut rota currus, fœnum portat & murmurat. Tales ergo sunt multi fratres in Congregatione, qui carni subditi non cessant à murmuratione. Apostolus, Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & à Serpentibus perierunt. Quare à Serpentibus, nisi quia Serpens venenosus est, & omnis qui murmurat, venenum diaboli habet in lingua? Iacobus, Lingua, inquietum malum plenum veneno mortifero. Cauendum est ergo nobis à murmurare, ne morifero & diabolico pereamus veneno.* Sed respondeo Hugonem & testimonia ab eo citata, debere, non de quacumque murmuratione intelligi, sed de detractoria, & iniuriâ, quam in materiâ graui esse mortaliter peccaminosam non difficeor.

Adagium, *Rota murmurat.*

Murmuratores à serpentibus occisi sunt.

Quid sit lingua?

Murmuratio calumniosa quàm mala?

Contra murmuratores, qui frequentiores sunt, multa S. Pater in Regula: contra calumniatores vix aliquid, non enim putauit talia inter Monachos posse monstra dari. Hic agit contra detractores, & exprobratores statuitque, Ne quis audeat fratri præsenti aut absenti & innocenti crimen adfingere.

Cur S. Benedictus de calumniatoribus nõ agat?

1809 Exponitur Dogma illud. *Ne detrahito*: item illud, *Detrahenti ne consentito.* Quid sit non consentire? Quid debeam, cùm audio detractionem, facere?

Sanctionem primam iam intelligis. sed hæres in secunda, nescis enim, quid sit consentire aut non consentire detractori. An solus ille adsensum præbet. qui detractoriè ab alio dicta esse vera testatur? an verò etiam ille, qui tacet? Estne semper opus contradictio? Non scio: scio tamen esse opus prudentia. Si aliquis mihi vni crimina tua labio detractorio reuelet, adsentiri non possum, dissentire non teneor. sed prudentiùs dicam, me nihil scire, aut tacebo. Quod si coram aliis, non statim me indiges, nec debeo detractoris indignationem incurrere, si te aliter defendere possum. Timendus plus quàm calumniator, detractor, quæ enim in iudicio aguntur, sciuntur; at qui patitur detractores, andabatæ instar sentit vulnera, nec potest detegere inuasorem. Ergo vel potero detractorem coram vniuersis confundere, si spes correctionis affulgeat, aliàs tacere, & illo discedente, ostendere aliis rationes, ob quas illi debeat credi, quas nemo obijcere auderet in faciem, ni & vellet illius linguæ malesuadæ subesse. [Lege, quæ *num.* 1877. dicenda.

1810 Dilucidãtur illa Dogmata. *Pacem seminato. Discordias ne seminato.*

Ad tertiam quartamque veniens, percipis non solum præcipi, vt sint Religiosi pacifici, sed vt pacem seminent, quod est aliquid speciale. Pacificus negatiuè est, qui zizania non

non seminat; positiuè, qui inserit pacem. Inserit & implantat, qui aut exulem illam restituit, aut restitutam conseruat, verbo & exemplo.

1811 Expenditur illud, *Fabulæ proscribũtur.* Quid sint fabulæ? An parabolæ & apologi sint fabulæ?

Tandem ad vltimam sanctionem appulsus, fabulas interdici audis, & quid sint fabulæ doceri cupis. Annon parabolæ vniuersæ sunt fabulæ, & tamen non fuerunt longè à viris sanctissimis, imò nec ab æterno Verbo, quod in parabolis multas veritates nos docuit? Non-ne & multi Patres & Ethnici scripserunt Apologos? & vt alios præteream, Non ne cum summa vtilitate Æsopus lectitatur? Cur ergo illas suis sanctus Pater cauet Monachis; maximè cum ipsæ bonæ sint & proficuæ, & mala solummodò caueri debeãt?

Quæ fabulæ à S. Benedicto interdictæ?

Et ego puto quidem non quascumque fabulas esse interdictas Religiosis, sed sæculares; hoc est, nociuas aut inutiles. vnde illud *sæculorum*, quod apud alios *discordiam* adficit, ad *fabulas* à me reducitur. omnia enim Amadei, Equitis Apollinei, Rosicleti, & aliorum volumina, vt Ouidij Metamorphoses trãseam, non qualitercumque, sed sæculariter fabulosa pronuntio, quæ cum magna iactura temporis, & fortè conscientiæ detrimento quis legat. Hæc & alia similia hominum otio vacantium acumina, legenda oculis, tractanda labio, aure excipienda inhibuit, satius iudicans consumi in pia lectione aut meditatione tempus illud, quod fabulis impenderetur.

N. B. Hi ipsi libri aliquando sunt vtiles, & non censebuntur interdicti, si propter bonũ finem legantur.

1812 Morum inimica est otiositas.

CAPITE XIX. Iterum manuum laborem laudat & commendat. Virtutem corporis & animi dicit: corporis, quòd ad valetudinem conseruandam conducat; animi, quòd ad conscientiæ puritatem. Vidimus enim aliquos in otio corruere, qui stetissent, si occupationibus grauati aut obruti, fons enim vitiorum & âltrix otiositas, à Monacho caueri debet. Hinc lux capiti XLVIII. sanctæ Regulæ.

Vrbanitatem maximi facit S. Pater.

Cætera, quæ sequuntur, piam eruditionem & vrbanitatem concernunt, ita enim pietati studendũ est nobis, vt nemini molesti simus.

1813

CAPITE XX. Asserit S. Pater membra illa, quibus constas, non esse tua, sed nostra; & te de proprietate & furto arguit, si quæ nostra sunt, dixeris tua.

Dominium vsufructuarium Monachus, quale competit sæculare, in suũ corpus non habet.

Sanè res difficilis est, & tamen apud viros sanctissimos etiam in vsu. Apud Hispanos, creduntur pharmaca, potiones, minutiones si præter Superioris fierent voluntatem, esse mala, non solum ratione inobedientiæ, sed & ratione proprietatis; qui enim venam secat, aut cauterium incidit, corpus suum tractat tanquam suum, cùm iam illud non illius sit, sed Monasterij. Cùm quis incaute cultrum aut aliquod instrumentum tractans læditur, ita vt sanguis appareat, non secus ac si instrumentum ipsum fregisset, ad Superiorem suum recurrit, & orat veniam; hac eadem humilitate testificans corpus suum, non minus quam supellectilia omnia, ad Monasterium (modo tamen accommodo) spectare. Hæc conducent vt Cap. XXXIII. & LV. melius intelligantur. Vide *num.* 1841.

An, qui minuit sanguinem sine licentiâ, sit proprietarius?

1814 An inobediẽs Deo sit, qui

CAPITE XXI. De obedientia disserit S. Pater, & affirmat eam, si recta, non exhiberi Abbati sed Deo. Et quidem rectè: quoniam Deo illa exhibetur multis modis. Primò, quia obediendo Prælato, obedio Deo in dicenti in Decalogi præcepto IV. vt faciam, quæ Superior præcipiat, Obedio etiam secundò, quia Prælatus Vicarius Dei, & virtualiter Deus; adeoque, quæ humanitùs ab illo, mihi diuinitùs præcepta sunt. Tertiò, ratione voti Deo teneor, & in Deum delinquo, si non obtemperem Superiori, prout Deo ipsi in solemni professione promisi.

non obedit suo Prælato?

An ita ego Deo, vt non etiam homini obediam? Respondet S. Pater, *Hæc eadem Obedientia.... non illi* (Abbati) *ministratur, qui præcipit, sed Deo* (nimirùm, *vni*) & hoc clarissimè monstrari poterit. Debet tibi Franciscus centum aureos; legas famulum, qui tuo illos nomine extorqueat. ille soluit. Cui? famulo, an tibi? Sanè nec famulo, nec vtrique, sed tibi soli. Sic similiter. Deus ore Vicarij aut Ministri sui te adloquitur tibi præcepta imponit, & obediens exhibes debitum seruitutis, non Prælato, non vtrique, sed soli Deo: hic enim vnus, cui obeditur *vt cui* (placet rigor Scholæ) & Prælatus cui obeditur *vt quo*, nam & Deus qui præcipit *vt qui*, & Prælatus *vt quo*. Hinc lux Capiti V. VII. LXVIII. LXXI. & LXXII. Regulæ S. Benedicti.

1815 An soli Deo inobedichs?

Deus præcipit *vt qui*, & Prælatus, *vt quo*.

1816 De attentione internâ.

CAPITE XXII. Internam attentionem consulit, non præcipit; non enim dantur leges validæ de internis actibus, vt *num.* 38. ostendi. *Quando in choro ad psallendum stant*, ait, *consona voce & corde psallant.* & suæ Regulæ consonat, dixerat enim Capite XIX. *Sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ.*

1817

CAPITE XXIII. Agit de Refectorio, & quia multa hodie aliter, aliqua subnotanda sunt.

An immediatè à choro ad refectorium eundũ sit?

Ad horam refectionis completo diuino Officio expectare iubet in Choro, nec illud tempus perdi, sed priuatæ Psalmorum lectioni destinari. Sed iam hodie vtiliùs in aliquibus locis: Non exspectatur hora refectionis, sed post Sextam vel Nonam paruo interuallo necessitatibus concesso, ad Refectorium itur. Experientia enim docet interstitia temporum non bene impendi, & illum dimidium horæ quadrantem, qui posset Choro & mensæ interesse, vtiliùs tempori pomeridiano adiungi.

An ante prãdium debeãt monachi manus lauare?

Statuit, vt lotis manibus in Refectorium ingrediantur; quod tunc specialiter ob mechanicos labores necessarium, iam omittitur; cùm, quia manus lotæ in altari non potuerunt inquinari in Choro; tum etiam, quia non vbique datur fons, nec aliter hæc ablutio commodè fieri posset.

An orare ad orientem versi?

Cùm vertere vultus ad orientem, præcipit, Refectorium Ecclesiæ Capituloque parallelum supponit: at quia iam loci necessitas multa habet aliter, huic debet satisfieri sanctioni vultus ad mensam abbatialem vertendo.

An cæremoniæ mores tangant?

Reliqua paulo aliter facimus, & vt puto decentiùs; ne lectio interrumpatur, nec religiosi conturbentur. Quæ omnia cùm merè cæremonialia sint, non tangunt mores, nec debent scrupulosè aut superstitiosè tractari: sunt tamen illustrationi Capiti XLI. Regulæ.

1818 De Lectione clausti.

CAPITE XXIV. Lectio illa, quæ solet Completorio præmitti, & *clausti alis* vocatur,

tur, haberi in claustro æstate, hyeme in Capitulo solet; & non videtur esse diuini Officij pars, iuxta ea quæ edisserui superiùs. *à num.* 1365.

De conscientiæ examine.

1819 CAPITE XXV. Indicit, vt corde & ore conscientiæ examen, & orationes fiant; nec multa habeo, quæ adjiciam, clara enim & dilucida est littera, & de oratione interna egi superiùs Cap. XX. & de actibus merè internis quà præceptis, à *Num.* 38.

EIVSDEM S. BENEDICTI AD S. REMIGIVM RHEMENSEM EPISCOPVM EPISTOLA.

Dominico Sacerdoti Remigio, Frater & Conseruus in Christo Iesu, cœnobialis vitæ humilis cultor, Benedictus æternæ benedictionis munus.

Pulchra de S. Remigio possent dicere Concionatores supponentes illũ fuisse *limpidissimum calculum.*

1820 Sanctorum communio est Orthodoxis omnibus summo solamini.

Sanctissimo tuo congratulans profectui (Sacerdos Regis æterni) quia summi capitis membra sumus, quod mihi deesse sentio (laus Deo) possidere me credo in te. Ecce quod mea peccata fieri prohibuerunt, tuæ authoritatis sacerdotalia habent merita: & desinant modò circa me rumores hominum, cùm apud te constet omnium perfectionem esse virtutum. Hanc captiuam & ab antiquo hoste obsessam tuæ delego Celsitudini, quatenus pro eius liberatione sacram hostiam offerre Deo debeas, & meam paruitatem victoria ipsa non minimum lætifices. Vale Sacerdotum Christi limpidissime calcule.

COMMENTARIVS.

1821 An hæc Epistola sit S. Benedicti?

VT contentum intelligas, scribendi occasionem es omninò docendus; & auditurus Balduinum Moreau, qui vtrum hæc sit Epistola D. Benedicti, quando & ob quam causam scripta, copiosè & eruditè examinat, & sic inquit.

Cur illam scripserit?

[Adulterinum quidem partum S. Patri supponere nimis inglorium esse iudicaui: sed ei genuinum præripere nefas & illicitum. Quid proinde ponderis habeant vtrimque rationes allatæ, breui & accurata veritatis historicæ perquestigatione notandum. Quædam ergo puella ex vrbe Tolosana, præclaris orta natalibus ab infantia maligni spiritus tenebatur obsidione captiua. Quam cùm tenerè diligerent piissimi genitores, ad S. Petri sepulchrum in Romanam Vrbem magna cum deuotione duxerunt. Eo verò tempore in Italia Monasticam vitam apud Sublacum excolebat, & pluribus effulgebat virtutibus vir vitæ venerabilis gratiâ Benedictus & nomine. Cuius fama perciti puellæ parentes, eandem Dei famulo recuperandæ gratia sanitatis obtulerunt. Hic ergo crebra ieiuniorum & precum instantiâ diuinæ maiestati pro ipsius emundatione supplicans, cùm nullâ puellam valuisset intercessione sanare, nec ab ea callidissimi dæmonis effugare vires atque potentiam, validissimis tandem exorcismis adiuratus, & diuini nominis obtestatione constrictus humanæ salutis aduersarius, se nunquam alterius de eodem habitaculo, nisi B. Remigij precibus asseruit expellendum. Tum puellæ parentes cum ipsius S. Patris Benedicti litteris, & supplici Regis Gothorum Alarici commendatione, Rhemensem adierunt Antistitem. Eò siquidem tempore Alaricus cum regno Gothico magnam sibi Galliarum partem vendicans, sedem suam in ciuitate Tolosana statuebat: & quantumlibet Arianus esset, sanctos tamen Antistites Catholicæ communionis eximiè colebat, ac frequentabat officiis, eos præsertim quos editione miraculorum Deo gratissimos sentiebat. Cum igitur Rhemensem intrassent vrbem & S. Pontifex S. Patris apices inspexisset; non sine magna lacrymarum vbertate statim in hæc verba prorupit: *Gratias tibi Redemptor clementissime, qui nostra tempora tantâ sublimasti gloriâ, vt in speciali famulo tuo Benedicto tota te per orbem magnificet Ecclesia.* Surrexitque continuò gloriosus Archimandrita Remigius, & Episcopali decorus ornamento, sacrosanctum Deo sacrificium oblaturus Ecclesiam intrauit. Cùmque miserabilis illa parentum solatio limen Ecclesiæ tetigisset, versipellis dæmon puellam obsidens, per eius os hæc verba protulit inuitus: *O Sacerdos Remigi, noli aduersus Benedictum gloriari, quia non per tuum imperium, sed per eius humilitatem exire compellor.* Quibus dictis illicò fuit puella liberata, ipsiusque parentes Deo gloriam dederunt, qui mirabilis atque gloriosus in Sanctis suis elucet. Nec solum prædictam filiam arreptitiam diuina virtute S. Pontifex liberauit à dæmone, sed etiam iam defunctam reuocauit ad vitam: cuius rei gratia parens eius Benedictus villam quandam Rhemensi dedit Ecclesiæ. Eius quidem ruris dum meminit idem S. Remigius in suo testamento, attigit hæc omnia verbis istis: *Et eas res quas in Prouincia Benedictus quidam (cuius filiam mihi ab Alarico missam gratia S. Spiritus per impositionem manus meæ peccatricis non solùm à diabolicæ fraudis vinculo, sed ad inferis reuocauit) ad vsum luminis tui (Rhemensis Ecclesiæ scilicet) & loci vbi corpus meum iacuerit continuatim deseruire præcipio*, &c. Hæc in suo testamẽto totidem verbis ipse Remigius.

Eucharisticũ S. Remigij de S. Benedicto Elogiũ.

Sanctitas S. Benedicti apud Romanos celebrata.

Dœmonis de S. Benedicti humilitate testimoniũ.

S. Remigij testamentũ.

Alaricus, licet Arianus, Catholicos pios & bonos veneratur.

Ex huius igitur historiæ decursu clarè satis & euidenter apparet, prædictam Epistolam verè S. Patri attribuendam: non obstantibus

Resoluitur hanc Epistolam esse verè à S. Benedicto scriptã.

tibus iis, quæ volunt aduersæ partis Authores allegare. Primum quidem quæ illi Epistolæ præfixa legitur inscriptio, non adeò facilè de impostura valet suspicionem augere: nec quod illi contendunt, omninò debet inusitatum videri, prisca potissimum illa Religiosorum ætate non adeò curiosorum, nec aulicorum; sed veræ ac candidæ simplicitatis amatorum, vt scribens inferior ætate & dignitate ad maiorem, se fratrem & conseruum in Christo Iesu nominet, & benedictionis æternæ munus, non dico superiori conferat, & impartiatur, sed qua potest animi demissione, humiliter exoptet.

1822 Dubia ex primâ Epistolæ periodo emergẽtia.

Sed ad ipsius litteræ textum venio, & multa obseruo digna examine. Periodum primam contemplemur, *Sanctissimo tuo*, inquit, *congratulans profectui (Sacerdos Regis æterni) quia summi capitis membra sumus, quod mihi deesse sentio (laus Deo) possidere me credo in Te.* Et inquiris, An non omnes Sacerdotes sint Regis æterni: An dentur Sacerdotes Principum terrenorum? An Benedictus Abbas, & Remigius Episcopus, confratres, conserui, & commembra fuerint eiusdem corporis? & cuius? & quid *summi capitis* nomine intelligendum? An virtutes & priuilegia, quibus in se caret aliquis, verè possit in alio possidere?

1823 Iurisconsulti sunt Imperatorum Sacerdotes.

Et ad primum respondeo, omnes Iurisconsultos vocari *Sacerdotes*; vnde sæcularium Principum Sacerdotes dicendi, qui iuris humani consulti, & vindices; at illos, quibus iure competit verba sacramentalia & præcipuè Eucharistica pronuntiare, meritò æterni Regis Sacerdotes dicendos. Videatur Iustinianus & Commentatores in eum.

1824 Cuius corporis membra sint Remigius, Benedictusque. Quo sensu fuerint fratres.

Ad secundum respondeo SS. Benedictum, Remigiumque, non fuisse commembra eiusdem corporis monasterialis, aut Episcopalis, sed eiusdem Ecclesiæ Catholicæ, cuius caput est Christus, & Procaput Romanus Pontifex, in terris Christi vices gerens. Erant per gratiam adoptiui Dei filij, adeoque fratres: eidem seruiebant Deo, adeoque erant conserui; merebant sub eodem crucis labaro, & dici poterant commilitones.

1825 Maiorum exemplo inferiores reguntur. *Præsulis exẽplo totus cõponitur Ordo.*

Ad vltimum respondeo, omnia, si regnet pietas, fratribus; si vigeat charitas, amicis; si stet vita, communia membris esse. Ait Medicus, *Cum caput ægrotat, cætera membra dolent*, & Politicus, *Regis ad imperium totus componitur orbis.* quia & in corpore animali caput membrum supremum est, & in mystico Monarcha est caput. Si caput physicum doleat; manus, pes, membra reliqua, dolorem, qui sibi deest, sentient in capite, miro naturæ in illo artificio connexa. Et si habeat scandalosum Regem Prouincia, dicenda est capite laborare, & omnibus membris dolere. Et ex morbo ad valetudinem & salutem transgrediens, sic discurro. Vni corporis parti emplastrum apponitur, vna cauterio saucia; vna vena secatur; & tamen cum illa pars salutifere læditur, totus homo & in ipso omnes & singulæ partes consequuntur salutem. Sic etiam in Republica, cùm vnus punitur, cautiores omnes reddimur; cùm vnus plectitur, non solùm ipse impeccabilis redditur, sed & nos in Legum obseruantia firmamur. Gloriamur Cistercienses, quod instituti nostri Mellifluum Doctorem habuerimus, existimamusque omnes & singulos esse magnos maiestate Bernardi, & confidimus, vt quæ nostris meritis non valemus, eius adsequi patrocinio valeamus. Honos concessus vni, afficit confratres vniuersos; nec intelligi potest, duos esse in gratia Principis, nec tamen gloriam vnius non posse in alium redundare. Sanctorum communionem credimus, & quamdiu mortifera caremus culpa, nulla gratia saltem extrinsecè caremus. Modò habeamus charitatem intrinsecus, habebimus extrinsecus, sed verè, diuinæ dilectionis fortitudinem & robur in Petro, obedientiæ resignationem summam in Paulo, paupertatem extremam in Bartholomæo, virgineam castitatem in Ioanne; virtutes reliquas in aliis plurimis; omnes in Christo, omnes in Matre Virgine: quoniam in summo ille, hæc prope summum, omnes prærogatiuas habuit.

De communione Sanctorum.

Quomodo singuli virtutes, quibus caremus, etiam habeamus.

Reliquæ periodi primæ cohærent, nec nouum requirunt examen: ad miraculum venio, & inquiro; An à S. Benedicto illud, an S. Remigio fuerit factum?

1826 Vter hoc patrarit miraculum?

Vt S. Pontifici adtribuam, vrget ipsamet historia, vrget ipsius Dæmonis diuinitus adiurati protestatio; Christiani enim nominis efficacia compulsus, se dixit aut nullius aut Remigij precibus expellendum, vrget eiusdem testamentum Remigij, in quo, vt vidimus, id sibi videtur adscribere miraculum.

An Remigius?

Vt S. Abbati debere attribui existimem, vrgere videtur Dæmonis excedentis confessio; qui expulsus inclamauit & dixit, *O Sacerdos Remigi, noli aduersus Benedictum gloriari, non enim imperio ego tuo, sed illius humilitate hinc exire compellor.*

An Benedictus.

At ego non incongruum iudico vnum & idem miraculum posse duobus aut pluribus authoribus adscribi; sed existimo hanc puellam primariò & physicè Dei voluntate; at Benedicti humilitate, Remigij fide, & Missæ virtute secundariò, & moraliter fuisse curatam.

An vterque.

1827 De miraculo ab Anna Bruxellensi & Annâ Antuerpiensi facto.

Hinc dubio occurrenti solutio. Fruitur Bruxella Beatæ Annæ Carmelitanæ Monialis excalceatæ cadauere, cuius vitam Angelus Manrique eloquenter descripsit, & merita edita miracula firmantur. Fruitur Antuerpia alterius Annæ exuuiis etiam & miraculis. Hærebat in lecto fœmina sub annum 1642. deserta â medicis, commissa Deo, cui suasum vt se commendaret Bruxellensi Annæ, & de Dei misericordia salutem supra vires medicinæ confideret. Imago quæritur, & ex errore Annæ Antuerpiensis icon datur. Illam suscipit venerabunda patiens, orat instantissimè, & robustissimam salutem obtinet. Facto miraculo error detegitur, quæriturque cui illud debeat adtribui. An Bruxellensi, quæ orari credita; an Antuerpiensi, quæ in imagine culta. Varia vidi hominum doctorum iudicia, & dum contraria sentientes suspexi, mediam ego viam iniens asserui illud à Deo vno diuinitùs, & humanitùs ab vtraque Sanctimoniali fuisse factum.

Multæ dolẽt capite Communitates.

EIVSDEM S. BENEDICTI

SERMO

HABITVS IN MORTE S. PLACIDI.

1828 *SICVT Patris est gaudere in suorum profectibus filiorum; ita & filiorum est, augmentum Patris sua lucra putare. Quapropter noueritis dulcissimum & amantissimum filium meum Placidum, martyriali trabea adornatum, migrasse ad Dominum. Iam enim meis interioribus oculis, eius immaculatam hostiam, & Deo beneplacentem deduxi in alta cœlorum. Hunc nempe ex quo illum à patre suo suscepi, memineram esse mortalem: nec fefellit opinio. Nunc non est quod conquerar, habeo in quo Deo gratias agam: quia semper optaui, vt de fructu cordis mei omnipotenti Deo sacrificium offerretur. Nihil enim hoc sacrificio habui pretiosius, nihil amabilius, nihil carius. Elegit namque Placidus pro Christo momentaneam mortem: & peruenit ad eum, in cœlesti solio ad dexteram patrem regnantem.* (2. Corinth. 5.) *Ob id enim Christus pro omnibus mortuus est, vt nos non nobis, sed Christo viueremus. Grates autem omnium refero Redemptori, quia ingratus esse non possum. Congaudendum enim mihi est, quod talem discipulum habuerim: non dolendum quod amiserim. Nam illud munus fuit: hoc debitum est. Functus sum famulatu Placidi discipuli mei, quamdiu Deus voluit: & post, qui dedit, recepit. Quod naturæ communis fuit, Placidus pro Christo posuit, & quod singularis est gratiæ, meruit. Cur autem ego doleam mihi Placidum filium meum ereptum; cum ob salutem nostram Deus filio suo non parcens, pro nobis omnibus tradidit illum? Quis vnquam exceptus est à conditione moriendi, qui non est exceptus à conditione nascendi? Non ergo Placidum desleam filium, quem scio transisse de morte ad vitam. In illius namque morte gaudendum est, non dolendum; quia illam pro veritate gustauit. Nam cur ego te Placide fili charissime desleam; qui mihi sic ereptus es, vt omnium esses? Non enim perdidisti vsum naturæ, sed commutasti: ante corpore separabilis à Deo existens, nunc indiuiduus cum Deo permanens. Felicia verba quæ in te expendi! felices labores quos in te sustinui! dum viueres mecum, non te Tertulli Patricij patris tui amor à me diuellere potuit: nec ipse mihi vnquam Patrem prætulisti vsquequo ad æternam vitam migrasti.*

COMMENTARIVS.

1829 Authores, qui de S. Placidi martyrio scripserunt.

SAnctum Placidum Socioſque illius martyrio coronatos probat hic S. Benedicti Sermo, quod multa etiam antiqua monumenta confirmant. Eos reperio antiquissimis Ecclesiæ inscriptos Tabulis; nimirùm 5. Octobris die. Eorum meminere Martyrologij Romani Author, Cæsar Baronius, Beda, Vsuardus, Ado Treuerensis Episcopus, Abbas Franciscus Maurolicus, Petrus Galesinius, & alij. Constantiam generosam eorundem græcè & latinè scripsit Gordianus Monachus, S. Benedicti discipulus ex mandato Imperatoris Iustiniani; vnde videtur Surius desumpsisse, quæ in editione secunda eloquitur de eorumdem passione sanctissima.

1830 De S. Placidi nobilitate.

Sanctum igitur Placidum cognomento Probum, Tertulli Patricij filium nobilissimum fuisse, & Imperatori Iustiniano sanguine coniunctum apud historicæ rei peritos indubitatum est: legi inter alios potest Ioannes Seifridus Silesius Claræuallensis apud Austrios cœnobij Abbas, qui Arborem Anicianam edidit, & in illa exhibuit D. Benedicti Anicij genealogiam, quam alibi Deo dante expendemus.

Iuxta Regulæ Caput LIX. Placidus septennis S. Benedicto Patris sui, vt multis placet, fratrueli apud Sublacum Monachos Deo conscribenti, offertur moribus instituendus Monasticis. Hæsit apud S. Patriarcham vt tabulæ communes præferunt annis 13. fortè à Professione numerandis; non enim omninò videretur consultum adolescentem à se illa ætate dimittere, quæ feruentior magisterium seuerius postulabat. Anno igitur decimotertio monasticæ conuersationis, hoc est, ætatis vigesimo, aut vigesimo-nono. [13. additi 7. sunt 10. & 13. additi 16. sunt 29.] cùm fratribus paucis in Siciliam mittitur sub annum 536. Messanam (iam Mecinam) fœliciter appellens, triginta & plures Monachos susciens, initium dedit Congregationi nouæ, quæ posteà Sicula appellata. Sexto anno post (5. die Octobris 541.) vnà cum fratribus suis, Euthicio, & Victorino, & Flauio, & triginta tribus Monachis, quibus præerat, à Manucha barbaro, & vt multis placet Pirata martyrio coronatus est. Latuit corpus illius 1048. annis, nam sub Sixto V. Romano Pontifice, anno videlicet 1588. die Augusti 4. repertum;

1831 Fuit S. Benedicto consanguineus.

Quâ ætate iverit in Siciliam?

Martyrio coronatur.

Corpus reperitur.

pertum ; incepit multis editis miraculis claréscere, & Europæ deuotionem & veneration-
1832 nem erga se concitare.

Sed eruditionis gratia aliquid adiungendum, nam licèt satis sit deuotioni Sanctos hos Monachos ob fidei confessionem trucidatos fuisse cognoscere, videtur pia eruditio notitiam vlteriorem sitire, & velle Tyranni patriam gentemque examinare.

Quis Manucha ille fuerit, qui occidit S. Placidum?

Exstat sub Gordiani nomine historia, quæ docet eos occisos à Manucha Duce, eodemque Agareno pirata, misso ab Abdala Agarenorum Rege in Hispaniis regnante. Sed quia in ipsa multa sunt, quæ reprehendit Baronius, ne plus temporis & studij mihi Manucha hic debeat, dabo aliquas ex Balduino periodos, qui curiosiùs rem examinauit. Ipse sic:

De Agarenis & Saracenis.

Quando inceperint in Europâ sentiri?

[Saracenorum quidem, siue Agarenorum nomen, multò ante hæc tempora Orbi innotuisse, pernegare non possum: de iis enim & Rege eorum Alamundario, qui postea ad Christi fidem peruenit, agunt Zonaras Annalium tomo tertio, & Cedrenus anno nono & decimo Anastasij Imperatoris, qui erat à Christo nato annus 499. & 500. at Abdalam in Hispania Regem fateri, omninò à veritate alienum est. Theudius enim Visigothorum Rex decimus tertius Amalarico succedens, tunc temporis Hispanias regebat; eratque hic annus 541. regni ipsius vndecimus, vt ex Isidoro, Ioanne Vasæo, & aliis Hispanicis Scriptoribus liquet: quibus etiam referentibus patet, longè post hæc tempora, Saracenos in Hispania regnare cœpisse, cùm post Musam Abdalazirus siue Abdalassius eius filius, captis quàm plurib. Hispaniæ ciuitatibus, anno Domini septingentesimo decimosexto Regem se gessit. Rectiùs ergo dicendum apparet non à Saracenis aut Agarenis, sed à piratis quorum dux erat Manucha, occisos. Qui autem fuerint hi piratæ, difficile est perueſtigare. Procopius libro de bello Persico, agit de quibusdam Saracenis, qui dicti sunt Blemij, quos & fidem Christianam Iustiniano Imperante suscepisse affirmat: hos, antequam conuerterentur, rapinis & cædibus, Monachorum præcipuè, mundum repleuisse, author est Nicephorus lib. 14. cap. 34. & alij. Non tamen adhuc euidenter satis apparet piratarum istorum qualitas, cùm Iustinianus Imperij sui anno 4. Christi autem 530. Blemios & Nabathæos adhuc in idololatria perseuerantes, ea abolita reddiderit Christianos. Si quid ergo valet hoc in loco coniectura, quod plerique sentiunt Hispanici Scriptores, & D. Arnaldus Vvion, breuiter aperiendum. Piratæ igitur isti populos illos Hunnorum repræsentare videntur, qui à Suida & Sigonio Abares vocantur: quorum incursionibus & rapinis maxima Asiæ & Europæ pars deuastata legitur & deprædata. Et Suidæ quidem verba hæc sunt. *Abares internecione Bulgari deleuerunt. Abares autem hi Sabinores expulerant, cum ipsi à gentibus littus Oceani incolentibus profligati fuissent: quæ quidem gentes suam regionem deseruerant, ob caliginem ex Oceani æstu exortam, & Gryphum multitudinem ingruentem. His itaque malis agitati impetum in finitimos fecerunt.* Eadem ferè habet Sigonius lib. 20. de regno Occidentali, sic inquiens: *Eodem anno* (559. scilicet) *noua gens Hunnorum, qui Abares dicebantur, ad ripas Istri venit, & amnem per hyemem conglaciatum nacta, flumine transmisso, in Mæsiam; prouinciam Romanam irrupit, ac variè populari agros hostili exemplo incepit. Hi in omnibus rebus reliquorum Hunnorum cultui, præterquam in religatione capillorum, similes extitere.* Hæc Sigonius. Ab his igitur passos S. Placidum & Socios, conformiter allegatæ superiùs Historicorum opinioni probabile redditur: affinitas enim maxima, quæ intercedit inter *Abares* siue *Agares*, *Abarenos* siue *Agarenos* non leuem coniecturam parit. Et hac fortassis nominum affinitate deceptus Gordianus, vel quisquis alius author vitæ S. Placidi, *Agarenos* pro *Abarenis* siue *Abaribus* posuit, noui vocabuli illisque temporibus incogniti adhuc & inusitati, vim & energiam non intelligens. Quod autem Sigonius illo anno, qui erat à morte SS. Placidi & Sociorum decimus Octauus, Mæsiam aggressos dicat, non sic videtur intelligendum, quasi tunc primum ex regionibus suis egressi fuerint; sed quod illo anno, Mæsiis & Prouinciis adjacentibus innotuerint, vt colligere est ex libris eius præcedentibus, in quibus alias sæpius de Hunnorum vastationibus & incursionibus agit. Et hæc quidem de coniectura nostra, qui fuerint illi piratæ, dicta sufficiant. Si quis tamen meliora habuerit, vt ea in medium proferat, obsecramus. Pleraque alia reperire licet apud eundem pseudo Gordianum, quæ & temporum rectæ rationi repugnant, & contradicunt historicæ veritati: sed talia sunt, quæ à lectore quamuis modicum in historiis versato facilè corrigantur.]

Sed quodnam mare hoc est, quod vocat Oceanum?

Mesia inuasa.

Multa in antiquis historiis confundit nominum similitudo.

Quo anno Mæsia inuasa?

Nunc igitur præmisso historiæ radio, litteram ipsam discutiamus.

1833 De communione Sanctorum.

Illa phrasis, *Filiorum est, augmentum Patris lucra sua reputare*, Sanctorum communionem ab Ecclesia definitam supponit, & est familiaris viro sancto, qui augmenta virtutum, quas suspiciebat in S. Remigio, lucra & augmenta sua reputauit superiùs, cùm ad illum scripsit. Vide quæ nos ibidem diximus, à *num.* 1824.

1834 An Deus martyrium S. Placidi D. Benedicto reuelauerit?

Verba illa, *Meis interioribus oculis eius immaculatam hostiam & Deo bene placentem* (id est) *Animam, deduxi in alta cœlorum*, ostendunt S. Placidi & Sociorum passionem constantissimam B. Benedicto, non humanitus amicorum relatione, sed diuinitus supernaturali reuelatione monstratam.

1835 An Christus pro omnibus nemine dempto mortuus sit?

Illa, quæ ex Paulo 2. Corinth. 5. adsumit, vel vniuersaliter debent intelligi, vel nihil S. Pater concludit, *Christus pro omnibus mortuus est*, ait Paulus: & post Lutherum, & Caluinum Iansenius, hanc vniuersalitatem limitans putat se veteri Ecclesiæ consonare. At non solùm Tridentino Concilio ille, sed Augustino, vt sæpè ostendi; & Benedicto, vt nunc demonstro, dissonat; Non enim particularis ex particulari bene infertur. Quoniam nos viuere non possemus Deo, si non fuisset Christus pro nobis mortuus; nec certò pro nobis mortuus est, si pro aliquibus mortuus non est. Sed quia contra Iansenium

Caluini, Lutheri, & Iansenij error.

seniũ plura alibi, hæc obiter tetigisse sufficiat.

1836 An P. Placidus S. Benedicti fuerit famulus?

Subijcit, *Functus sum famulatu Placidi discipuli mei.* & Tu, *an Religiosi Abbatis sint famuli?* inquiris. Quid dicam? Fortè oblati non erant nouitij, sed famuli, qui Communitati & Abbati seruiebant; nam & hodie in multis Monasteriis ephebi Abbatis, si modesti & pij videantur, ad habitum posteà susciptuntur. Fortè non semper dictionem curauit S. Pater; neque debent nimis rigorose explicari, quæ laxius, & sinceriùs scripta. Fortè datur filialis famulatus, vnde Pater familias dicitur, qui filios habet, & *famulatus* quasi *familiatus*, obsequium, quod præstatur Tu videris, nam grammatica hæc sunt, nec calamo vberiore digna.

Au detur filialis famulatus?

EIVSDEM S. BENEDICTI
SERMO
IN S. MAVRI ET SOCIORVM DISCESSV.

1837 *SI tristandum dilectissimi Patres ac filij, pro tali esset negotio; mihi magis quàm vobis in hoc esset mœrendum, qui quantum ad præsens, magnis videor destitui solatiis. Sed quia dicente Apostolo* (1.Cor.15.) *charitas benigna est, benignitatem charitatis nostræ omnimodis impendere debemus his, quos aliquo modò ea indigere cognoscimus: nec nostra tantum, quantum aliena quærere. Quapropter vos amoris paterni sollicitudine, à fletibus & mœrore temperare deposcimus: quia potens est Deus meliores nobis post huius depositionem corporis huic sanctæ immittere Congregationi: quorum meritis & exemplis longè præstantius, quàm nostris ædificemini. Sed & illud summoperè nobis procurandum est; ne versutia antiqui hostis, vnde altis salus acquiritur, inde nobis tristitiæ malo, detrimentum in aliquo ingeratur. Nos etenim, quos vnitatis semel in sancta charitate iunxit concordia, nunquam vel longissima terrarum diuident spatia: quoniam semper interioris hominis aspectu, qui renouatur secundum imaginem eius, qui creauit eum, nos quo vixerimus tempore, inuicem intuebimur.*

Admiremini Dei potentiã & misericordiam, quomodo ex tam paruis principiis cœperit sanctissimus Ordo adolescere: &, vt creuit, quàm multas Congregationes, & in ipsis quàm multa Virorum & Fœminarum Asceteria ad Dei maiorẽ gloriam & populi ædificationem erexerit.

Amici, etsi distantes corpore, animo præsentes semper sunt.

Post quæ verba S. Maurum & Socios sic affatus est.

S. Benedictus se post mortem maiori potentia adjuturum Monachos policetur.

Vos autem, Fratres charissimi, quos ad opus Dei construendum, ad illas dirigimus partes, viriliter agite, & confortetur cor vestrum in sancto proposito & religione: procul dubio scientes, quia quantò austeriora causâ salutis aliorum, in huius via sæculi pertuleritis; tantò maiora à Deo recipietis cœlestium gaudia præmiorum. Nec vos vllo modo resolutio huius nostri mœstificet corpusculi; quoniam præsentior vobis ero carnis deposito onere, vestrique per Dei gratiam cooperator existam assiduus.

COMMENTARIVS.

1838 Quis vitam S. Mauri scripserit?

SAnctissimam B. Mauri vitam B. Faustus Monachus Cassinensis, & itineris in Gallias socius Bonifacij III. Pontificis Summi iussu scripsit, & exscripsit Surius ad diem 15. Ianuarij. Quam ob rem Historiæ studiosum Lectorem ad eum transmittens, ad expositionem Sermonis, quem habuit S. Pater, cùm Maurum socioſque eius in Gallias non sine diuinâ reuelatione misit, veniamus.

1839 An Charitas incipiat à se ipsa?

Illa periodus, *Quia dicente Apostolo* (1.Corinth.13.) *Charitas benigna est, benignitatem charitatis nostræ omnimodis impendere debemus his, quos aliquo modo eâ indigere cognoscimus, nec nostra tantùm, quantum aliena quærere*, videntur adstruere, charitatem non incipere à se ipsa, sed à proximo; & nos, si debemus minùs nostra quærere, quàm aliena, non satisfacere si sicut nosmetipsos proximum diligamus; sed debere feruentius. At teneo charitatem non posse facere aliena maioris, quàm propria, si agamus de eisdem rebus præcisè: Addo tamen solere maioris facere vitam, diuitias, aut commoditates proximi, si videat ad maiorem illas Dei gloriam seruire. Ergo, si agatur de salute æternâ, proximus es ipsemet tibi; &, si damnari vis, vt alter, quicumque sit ille, saluetur, stultus & delirus es. At prudenter potes temporalem tuam vitam saluti spirituali alius postponere, & diuitias impendere, vt vitam innocentis defendas: quam ob rem illa verba, *Nec debemus nostra tantum, quantum aliena quærere* æquiualent istis, *siquidem fauore Altissimi nos esse in gratiæ statu credimus, non debemus tanti corporis commoditates, tranquillitatem animi, imò nec tanti gratiæ augmenta, quam alienam facere conuersionem.* Vnde inferius, *Quantò austeriora causa salutis aliorum in huius viâ sæculi* (non igitur

An debeamus plus amare proximos, quàm nos ipsos? ordo charitatis quoad res.

De vitâ.

De commoditate.

An salutem alienam cum peccandi periculo procurare possimus? Quid gratia patiatur à peccato mortali? quid à veniali?

igitur in alterius) *pertuleritis, tantò maiora à Deo recipietis cœlestium gaudia præmiorum.* Et, ne quis putaret alienam salutem etiam cum manifesto peccandi periculo esse curandam, addidit, *Sed & illud summoperè nobis procurandum est, ne versutiâ antiqui hostis, vnde aliis salus adquiritur, inde nobis tristitiæ malo detrimentum in aliquo pariatur.* Et agit de culpa, & peccato; non enim aliter gratia detrimentum patitur: quoniam illam sola culpa mortalis expelllit; & venialis, si non illius substantiam, saltem feruorem & actiuitatem remittit.

1840 Legis periodum subsequentem; nimirùm, *Nos etenim, quos vnitatis semel in sancta Trinitate iunxit concordia, nunquam vel longissima terrarum diuident spatia: quoniam semper interioris hominis aspectu, qui renouatur secundum imaginem eius, qui creauit eum, nos quo vixerimus tempore, intuebimur.* Legis, inquam; & rogas, An sint vera.

De præsentia intellectuali.

Vnitas est multiplex. Vnitas existentiæ.

Respondeo multas dari in rebus creatis vnitates; Gratia enim creationis Hominibus, Angelis; bonis, malis; communis laxissimo nos nexu coünit. Fidei vinculum nos & vnitas fidei ab infidelibus distinguit; non tamen cooptat Angelis aut Animabus, cœli incolis, qui non iam in ænigmate, sed Deum intuentur facie ad faciem; non Dæmonibus, qui in apostasiæ pœnam supernaturali fide carent, sed Christianis, nullo tametsi malo excepto. Strictius fide gratia vinculum: strictius charitas comes gratiæ indiuidua. vincit dilectionis catenis omnes Sanctos, viuos, mortuos, homines angelos. Hoc vinculum confirmat gloria, non vt

Vnitas gratiæ, & charitatis.

strictiùs, sed vt securius fiat, & amitti non valeat. Vnitas igitur, de quâ S. Pater hic agit, gratiæ est & amoris diuini, de qua olim Apostolus dixit, *vnum in Christo nos esse, qui vnum calicem participamus.* Hi igitur, cùm ita vniti sint, vt intentionaliter sint identificati, tam poterunt inuicem, quàm à semetipsis separari. Potiùs est vbi amat animus, quàm vbi animat; ergo si charitatis impulsu te diligo, potiùs tibi, quàm mihi præsens sum; nec hanc præsentiam ipsam, quę in amore consistit, diuidere aut impedire poterunt, longissima terrarum spatia. Vnde cùm non possit rem spiritus ignotam diligere, aut amare voluntas, nec possit ab amore, quamdiù nihil mali in illo proponat intellectus, cessare; nec opus est, vt mentem prædeterminet; vt sibi rem, quam diligit, præsentem reddat, ex quibus constat liquidò vera esse quæ S. Benedictus adfatur.

De hac agit S. Benedictus.

An vnio intellectualis, sit intentionalis identificatio?

Voluntas nõ tendit in incognitum. Quando cessare nequit?

An Sancti orare pro viuentibus possint? An illis fauere & adsistere? Nouatores inquirunt, & Lutherus Caluinusque eorumdem Cœlitum patrocinia negantes toti Ecclesiæ & veterum Patrum, doctrinæ contradicunt, & præcipuè S. Benedicto, qui etiam alibi, & in fine huius Sermonis dilucidè hanc heterodoxam negationem condemnat. Ait enim. *Nec vos vllo modo resolutio huius nostri mœstificet corpusculi, quoniam præsentior vobis ero carnis deposito onere, vestrique per Dei gratiam cooperator existam assiduus.* Sancti igitur donati gloria præsentiùs adsunt, & potentius prosunt, quàm dum apud nos viuerent.

De Sanctorũ intercessu.

Quid dicant Nouatores?

Sancti in cœlo pro viuentibus orant.

Sed & obiter illud *nostri* interlego, & quæ superiùs ad Caput XX. Ordinis Monastici, dixi, confirmo. Vide *num.* 1089.

EIVSDEM D. BENEDICTI
AD S. MAVRVM
EPISTOLA.

1842 S. Benedicti de itinere, fine, & successibus: nec non de morte S. Mauri reuelatio.

ACcipe, dilectissime, extrema Institutoris tui dona, quæ & longum nostrum testentur amorem, & tibi ac commilitonibus tuis contra omnium perpetim minimen præbeant impedimenta malorum. Post expletam enim totam trinam vicinorum annorum decursionem, ex quo monasterialem adisti perfectionem, in gaudium Domini tui es introducendus: vt nobis hesterno die, postquam à nobis digressus es, Dominus ostendere est dignatus. Prædico etiam tibi, moram vos in eundo esse passuros, ac cum difficultate habilem locum inuenturos, pro his quæ & DEO ordinante proficientur, & quæ inimicus humani generis, molimine calliditatis suæ in vos concitabit. Nusquam tamen benignitas misericordis Dei vobis deerit, sed potiùs, differendo licet, ac desiderium animi vestri in longum experiendo, aliorsùs, quàm sperauimus, aptissimam largiri dignabitur metationem. Iamque valeas fœlix in profectione, fœlicior futurus in peruentione.

Ecce Maurũ esse prædestinatum ad gloriam Dominus Benedicto, & hic illi reuelat.

Huc ingredi poterãt grauissimæ difficultates, sed illas alibi opportuniùs expendam.

COMMENTARIVS.

Quæ dona ad S. Maurũ miserit S. Benedictus?

ACcipe, dilectissime, ait S. Benedictus Mauro, *extrema Institutoris tui dona.* Sed quæ dona? Eburneam capsulam, quæ etiamnum apud S. Maurũ Fossatẽsem iuxta Parisios

asseruatur, sanctissimis reliquiis diues; inter quas nobiliores, Christianæ Crucis tres portiunculæ, Marianæ vestis partes aliquot, ex pallio S. Michaelis appartioni sacro; ex ossibus S. Protomartyris Stephani, & B. Confessoris Martini.

Cur dicatur *extrema?*

Sed cur *extrema*? Quoniam sub illud tempus non erant communes veredarij; nec alia missurus erat S. Pater, nec fortè iterum, scripturus. Et quidem non scripsisse aliam ad Maurum Epistolam, vel inde colligo, quòd ipse moriens secum pro amore, quem erga S. Benedictum habebat, iussit in sepulchrum inferri, non facturus aliàs, si haberet multas: non enim occurrit ratio prudens, ob quam contemptis reliquis, hanc vnicam religiosè seruaret.

S. Maurus se iubet cum Epistolâ S. Benedicti sepeliri.

An Sanctorũ reliquiæ animi & corporis periculà arceant?

Multa hinc addiscere potest hæreticus; multa quæ suam contumaciam refellant, & quæ nostram firment credulitatem. Sanctorum esse colendas reliquias, eas ipsas corporis & animæ saluti prodesse; pretiosè conseruandas; & loco thesauri faciendas asserimus, & nos à Patrum veterum consensu esse doctos putamus, & S. Benedicti clarissimè loquentis testimonium producimus. Ait enim, *Accipe dilectissime. .... dona, quæ..... Tibi ac Commilitonibus tuis contra omnium perpetim munimen præbeant impedimenta malorum.*

Fila, quæ suis partheniis digitis neuit Deipara, Metaplanæ, & Compluti in Hispania, & Dunis in Flandriâ coluntur.

Sed quoniam honos Regis iudicium diligit, non venit laudanda aliquorum indiscreta deuotio, qui dum carere nolunt Patronorum reliquiis, in causa sunt vt illæ cultu careant. Habet Metaplanense Monasterium fila, quæ suis virgineis digitis neuit Deipara, ad quantitatem tantam, vt notabilem potuerit portionem largiri nostro Collegio Complutensi, & sibi adhuc maiorem reseruare. Inde D. Andreas Herera, & ab eo ego globum nactus, me semper Crœso ditiorem credidi, & intrepidus pericula multa sustinui, securitatem deuotione & iuuenilis sanguinis feruore promittente. Sed & cingulum (Hisp. *Sobrecintas*) B. Mariæ de Vela, cuius hodie corpus incorruptum in suo Cistercienſi monasterio apud Abulenses seruatur, aliasque similes itineris procellosi comites transuexi in Belgium, & quoniam iudicaui magno illas dignas cultu, nec apud me posse dignè ornari, meo Bernardo Campmans, tunc Dunensium Antistiti, iam Cœlitum Commilitoni, tradidi sub onere, quod deberet in capsulis aureis asseruare, An ipse satisfecerit promissioni non vrgeo; & si minus, concedo; at ego satisfeci &. deuotioni & cultui, malens illis sanctissimis carere reliquiis, quàm vt fideles ipsis, aut ipsæ reuerentia carerent.

B. Mariæ de Vela Cingulum. *Sobrecintas.*

Illis verbis, *Post expletam totam trium vicinorum annorum decursionem, ex quo monasterialem adiisti* (fortè, *adieris*) *perfectionem, in gaudium Domini Tui es introducendus, vt nobis hesterno die, postquam à nobis digressus es, Dominus ostendere es dignatus,* multa reperio digna ponderatione. Occurrit enim primò reuelationis infallibilitas, diuinæ Veracitatis necessitas, Omnipotentiæ infinita libertas, illæsum B. Mauri arbitrium: quæ omnia Hæretici, tametsi Theologo benè imbuto facilia, quoniam componere nesciunt malunt à Catholica religione deficere, quàm sinceram veritatem doceri. Sanè multa hæc vnica reuelatio complectitur, quoniam illius virtute & Maurus anno tertio est certissimè moriturus, & infallibiliter cœlo donandus, quin vel diuina aut humana vim patiatur libertas, aut infallibilitas coactione aliqua externa aut interna necessitate inficiatur.

De liberi Dei &, Hominis arbitrij cum Reuelatione cõcordia.

1847 An dẽtur auxilia sufficientia.

Sed in illis *Nusquam benignitas misericordis Dei vobis deerit*. ostendit D. Benedictus auxilia saltem sufficientia nulli vnquam homini negari, quæ tametsi indubitata fuerit veterum Theologorum sententia, negatur à Luthero & Caluino; & contra clarissimas Concilij Tridentini periodos protruditur Louanij à Cornelij Iansenij discipulis: sed cùm id ipsum in Baio & iam iterum in Iansenio Ecclesia Romana condemnauerit, dicendum omninò non posse componi præcepti obligationem & auxilij necessarij carentiam, aliàs homo peccaret in hoc quod vitare non posset, mereretur in eo quod non posset non facere, & corrueret tota hominis indifferentia, & *libertas* esset vocabulum significationis expers, aut titulus sine re, & potius deberet *necessitas* aut *violentia* vocari. Sed de hoc vberius in Augustino meo, quem ab annis aliquot apparo, disputabo.

Error Iansenij Luthero & Caluino subscribẽtis.

DEFINITIONES MORALES LATÆ CISTERCII in generalibus Comitiis.

1843 Quantæ authoritatis sint Ordinũ quorumcũque Definitiones?

MVlta in Generalibus Capitulis Religionum tractantur, quorum notitia vniuersos concerneret; illa enim Viri docti & pij celebrant, Ordo integer acceptat & approbat; quam ob rem nemo negare poterit doctrinam moralem in Generalibus cuiuscumque Ordinis Comitiis definitam esse maximæ authoritatis. Sed de hoc *num.* 1362. nunc latas à Cistercienſibus morales Definitiones adiungo, prout ex multorum Exemplarium consonantia licuit exscribere. Integer enim Ordo 1618. legitimè congregatus Cistercij has edidit.

DEFINI

DEFINITIONES.

Quænam obligent sub peccato veniali?

SECTIO I.

[*Anno Domini* 1618. *die Martij* 18. *ab instantiam admodum Reuerendi D. D. Thomæ Abbatis in Salem, &c. authoritate Capituli Generalis per Patres Abbates & Priores ab eodem ad hoc specialiter deputatos sequentes decisiones, & declarationes factæ sunt; &c.*

I. Officium B. Mariæ quotidie recitari solitum.

II. Officium pro Defunctis ordinarium.

III. Missæ Lambertinæ viginti. [*cum Collectis* Deus veniæ. *Et aliæ sex cum collectis* Inclina & Fidelium *Et aliæ tres de Spiritu sancto* Deus qui charitatis. [

IV. (*Missæ indictæ à Capitulo Generali.*) Hæc quarta definitio in multis exemplaribus non legitur.

V. Anniuersaria quinque solemnia. [*Singulæ cum vna Missa à Singulis Sacerdotibus dicenda.*]

VI. Duodecim Aniuersaria mensium. [*cum duodecim Missis à singulis Sacerdotibus dicendis*]

VII. Tres Missæ pro quouis Religioso & Conuerso defuncto, [*à singulis Sacerdotibus celebrandæ. Pro familiaribus Missa vna à singulis per annum dicenda.*]

VIII. Psalteria decem loco Missarum Lambertinarum à Clericis recitanda.

IX. Psalterium vnum pro quouis Religioso conuerso defuncto.

X. Psalmi pœnitentiales pro quolibet Religiosorum Patre, matre & sorore à singulis non Sacerdotibus, dum eorum obitus in Capitulo pronuntiatur, persoluendi [*Item Psalmi pœnitentiales ab eisdem non Sacerdotibus per annum dicendi, loco duodecim Anniuersariorum mensium, duodecies. Loco Anniuersariorum solemnium quinquies. Loco trium Missarum pro defunctis, ter. Loco trium Missarum de Spiritu sancto, ter. Loco vnius Missæ pro familiaribus, semel.*]

XI. Horæ quotidianæ Conuersorum.

XII. Psalmus Miserere mei Deus, *aut toties* Pater & Aue *ab iisdem Conuersis mille quingentis vicibus repetendus loco decem Psalteriorum.*

XIII. Ieiunia Ordinis & Abstinentia à carnibus diebus in ordine consuetis & ab Ecclesia non indictis.

Supradicta, si omittantur, non inducunt grauiorem obligationem, quàm venialis culpæ; [& quidem tunc solùm, cum per negligentiam, non autem quando cùm rationabili causa, & cùm Superiorum licentia, seu legitima dispensatione omittuntur, aut non obseruantur.]

Quænam ad nullum pecatum obligant?

SECTIO II.

I. Psalmi pœnitentiales feria sexta singulaum hebdomadarum recitari consueti.

II. Suffragia Quadragesimæ, scilicet, Tribularer, *&c.*

III. Psalterium quod in hebdomada sancta recitari solet.

IV. Item quod in die Animarum dici consueuit.

V. Preces pro Defunctis à refectione dici solitæ.

VI. Quotidiana Particularis, & annua Generalis confessio.

† Hæc ad nullum peccatum obligant.

Sunt & aliæ obligationes Regulares, quæ ex praxi Ordinis debent exponi.

SECTIO III.

I. Diebus quibus in Ordine duæ Missæ assignantur, loco alterius cantari potest Missa votiua, vel anniuersaria.

II. Cum Missa propria Conuentualis in Graduali non habeatur, potest Abbas aliam applicare, rationabili causa existente.

III. Qui cantat Missam Conuentualem, quæ à singulis priuatim dici debet, obligationi satisfacit.

IV. Hebdomadarius aliarum Missarum, legens Missam ad quam est inscriptus cum Collecta de anniuersario, eidem anniuersario satisfacit. [Excipe *Anniuersarium S. Lamberti, de quo est expressa definitio eiusdem Capituli* (*reperitur inter Politicas anni* 1618.) *per hæc verba* Capitulum generale declarauit hebdomadarios Missarum B. Mariæ Virginis, & pro defunctis per celebrationem dictarum Missarum non satisfacere Missis Ordinis in Tricenario S. Lamberti, sed ad eas separatim celebrandas teneri.]

V. Cantans Missam de Dominica aut de Sancto, satisfacit Missæ REQVIEM *siue votiuæ addendo Collectam.*

VI. Hebdomadarius de Beata, occurrente festo semper debet de Beata legere.

VII. Missa Conuentualis pro Ecclesiæ intentione, Missa de Beata pro Benefactoribus,

& reliquis viuentibus & defunctis, profundatoribus pro Religiosis Ordinis, & iis qui quotidie moriuntur, dici intenditur.

VIII. Moniales legata pia cum obligatione ad certas preces absque consensu suorum Visitatorum acceptare non possunt.

NOTA. Exemplaria, quæ in Belgio apud diuersos reperi omnia breuius; sed in Germania nonnulla vberiùs posita, Abbates ipsi qui interfuerunt testantur. At ego, vt distinctionem, & claritatem obseruarem, illa omnia quæ in Germanicis exemplaribus lego, quæ in Belgicis non legeram, hac quadrata parenthesi [ ] incluſi; & hoc addidi ne quis hæreat in varia lectione exemplarium. Quartam illam definitionem, quæ de missis à Capitulo Generali indictis est, in multis Exemplaribus non lego.

Totam Sectionem secundam, quæ illa complectitur, quibus Cistercienses moraliter non obstringuntur, augent, imminuunt aliqui. Addenda tamen iudicaui, quæ in Exemplari, quod ab eodem D. Thoma Abbate Salemitano accepit D. Matthæus Abbas Alderspacensis in Bauaria, & mihi etiam communicauit. Do literam.

PRÆTEREA *iidem Patres decideruntt & declarauerunt.*

Ad dicendum duo alia vltra prædicta 10. Psalteria à Clericis in Salem per annum dici solita.

Ad psalmum Miserere, *à quolibet professo singulis diebus per tricenarium Lambertinum recitari consuetum.*

Ad suffragia item Quadragesimæ scilicet Tribularer.

Ad Psalmos pœnitentiales feria 6. singularum hebdomadarum vsitatos.

Ad Psalterium quod maiori hebdomada integrum dicitur.

Ad Officium item Defunctorum quod in Salem pridie animarum à prandio ex consuetudine cum tribus nocturnis recitatur.

Ad preces etiam pro iisdem defunctis à refectione dici solitas. Nullam per se obligationem, ne sub veniali quidem culpa.

Cæterùm iidem Patres explicuerunt, suæ intentionis minimè esse, vt per has suas declarationes & resolutiones Religiosi ad præmissa ex tam solemni, sancta religiosa & antiqua consuetudine in nostro ordine hactenus tam religiosè, & scrupulosè obseruata ab omnibus & singulis persolui solita segniores, & negligentiores reddantur, & huiusmodi deuotissima exercitia omninò vspiam tollantur, aut abrogentur, quin potius omnes & singulos Religiosos quos præmissa concernunt, graniter monent, ne hac tam pia tam antiqua à Religiosissimis Patribus nostris ad nos vsque studiosissimè pariter deuotissimè cum tanto Spirituali suo fructu ac merito hactenùs vsurpata negligenter aut alias cum ignauo tempore persoluant. Quin potiùs considerent, omnes eos diligentiores & alacriores ad præmissa: huiusmodi religiosas & solitas exercitationes futuros, quo suauiori & mitiori modo & ratione ad eas incitantur & inuitantur; alioquin maximo illo fructu commodo & vtilitate spirituali, quæ ex dictis religiosis actionibus sentiri consequi solent vberrimè, se certissimo priuatum & destitutum iri sciant, pudeatque eos se inter tot deuotissimos Confratres solos tepidos & ignauos existere.

Demùm iidem Patres censuerunt antiquum Ordinis statutum de Confessionibus omnibus cuiusque anni semel coram ipso Abbate aut ab eo ad hoc deputato, repetendis à Sixto IV. confirmatum & commendatum, non cadere sub aliquo præcepto ad aliquam culpam obligante.

Item diebus quibus in Ordine duæ Missæ assignantur loco alterius cantare posse Missam votiuam vel etiam Anniuersarium.

Item Missam Conuentualem, quæ à singulis Sacerdotibus priuatim dici debet, posse eam computare in solutionem istius obligationis priuatim dicendi.

Item Missam Conuentualem quando in Graduali propriam non habent, posse cantari & applicari quam & cui Abbas vel chori præses subsistente rationabili causa voluerit.

Eum item, qui Missam de Sancto vel Dominica occurrente applicat promissa ex Ordinis præscripto debita, siue sit de Requiem *siue votiua, obligationi isti satisfacere addendo Collectam.*

Item Missam quotidianam de B. Virgine non esse permutandam cum Missa de occurrente Sancto in Ordine nostro diebus consuetis.

Atque his declarationibus non obstantibus integrum semper est Capitulo Generali prædicta futuro tempore aliter instituere & ordinare, præsertim si nimiam negligentiam & socordiam irrepere intelligeret, aut alias aliter statuendum iudicaret.

SVbiungebantur nonnulla quæ tametsi aliunde desumpta visa sunt necessariò subscribenda. Erat titulus, *Ex compendio Priuilegiorum FF. Minorum, tit. Officium diuinum, hæc Priuilegia participant Cistercienses ex communicatione.* Sensere ergo Patres Cistercienses habere priuilegium communicationis. Addo textum.

B. LEo X. concessit quod Fratres Minores dicendo Horas canonicas & alia Officia diuina in choro vel extra, satisfaciant præcepto Capituli Dolentes, *de dicendo studiosè pariter & deuotè; ac etiam Regulæ suæ, etiamsi propter aliquam fatigationem vel aliam causam dicant sedendo, aut deambulando, vel non integrè verba proferendo, prout scripta sunt, propter negligentiam aut imperitiam, vel malam pronuntiationem naturalem propter defectum linguæ seu aliàs qualitercumque ore imperfectè dicant, aut cùm mentis distractione, & sensuum vagatione, dum tamen non faciant hæc malitiâ.*

C. Et similiter concessit quod, qui cum talibus malè proferentibus vel alios supradictos defectus facientibus dicant Officium, non teneantur reiterare ab aliis imperfectè dicta, aut eis non integrè audita propter distantiam localem, vel strepitum seu aliam causam:

Semper, quãdo ad obligationes, quę ex consuetudine nascuntur, venio, hæreo, sæpè enim fundamentum huius obligationis nõ video: hanc enim, *Ab antiquis obseruatur temporibus, ergo debet fieri sub peccato,* non esse bonam consequentiam, præsens nostri Ordinis declaratio persuadet.

De lectione Officij Diuini, quoad pronũciationem & attẽtionem.

De illis qui recitant cum aliis.

Porrò hoc priuilegium summopere scrupulosos consolatur, multa enim dicuntur in choro, quæ distinctè nõ percipimus.

causam : sed satisfaciant præcepto Ecclesiæ & Regulæ suæ qualitercumque audiendo , qua alij debent dicere præsertim in Choro.

Idem Leo concessit , vt ne Fratres prædicti mutuo se impediant in Officio diuino , aut aliis sint fastidiosi , quod illa , quæ in Ordinario iubentur dici secretè sub silentio , tam in horis Canicis , quam etiam in Missa , non teneantur proferre vocaliter , sed satisfaciant dicendo mentaliter , aut legendo inter se per librum , quia aliqui deuotiùs sic dicunt , & absque impedimento & fastidio aliorum. Et quod eodem modo possit facere qui solus dicit Officium per se , cum prolatio verbalis sit præcipuè , vt ab aliis intelligatur.

An Officium Diuinum dici possit mẽsaliter?

D. Idem Leo , quia fuit informatus , quod aliqui Fratres scrupulosi , quando sunt in infirmitate , facere numquam possunt nec sciunt discernere , & se determinare quando licitè possunt dimittere dicere Horas Canonicas , concessit quod siue propter febrem aut dolorem intensum , vel aliam infirmitatem Fratres fuerint grauati & afflicti , satisfaciant dicendo pro Horis Canonicis preces , Hymnos , Pater noster , Aue Maria , vel alia iudicio Prælati aut præsidentis Loci seu Conuentus assignanda. Et hoc quando Medicus corporalis (si commodè potuerit haberi) dixit esse nociuum infirmo.

Quãdo Prælatus possit ægrotis cõcedere commutationem aut dispensationem in Officio Diuino?

E Religiosi extra sua loca existentes possunt se cum aliis Regularibus & Clericis conformare in diuino Officio.

De mutatione Breuiarij.

Innocentius IV. concessit , vt Prælati Religionum cum subditis Senibus , vel infirmis non valentibus sine tædio Horas Canonicas recitare , dispensare possint , assignando illis aliquid pro arbitrio suo , quod loco Horarum tempore infirmitatis , vel quando conualuerint, recitent : & hoc licet iure communi Prælati possint , reddit tamen Priuilegium eos magis securos. Tale Priuilegium specialiter etiam concessum fuit Cistercien sibus ab Eugen. IV. vide Bull. 21.

An & quomodo Prælati dispensare possint cum senibus ratione tædij in Officio Diuino?

Martinus V. concessit , vt Infirmi & etiam Senes & Valetudinarij qui tenentur ad Horas Canonicas , satisfaciant recitando aliquos Psalmos , vel id quod suis Confessoribus visum fuerit. [Nota id bene pro Senum solamine. Sed qui Senes dicendi ? Qui excedunt sexagesimum annum.]

Quinam *Senum* nomine intelligendi?

Eugenius IV. concessit quod Fratres infirmi , vel Senes aut aliàs inualidi Ordin. Sanct. Hieronym. (& Cistercienses per communicationem) qui Horas Canonicas non possint dicere satisfaciant , dicendo illud quod Prior , vel Vicarius , vel Confessarius eis assignauerit.

De ægrotis.

Idem Eugenius concessit quod Religiosi infirmi seu debiles Ordin. Sanct. Hieronym. (nos per communicationem) satisfaciant de Horis Canonicis ad quas tenentur , audiendo eas ab alio , vel ab aliis recitari. Ita loco citato.

An audiendo horas recitare satisfaciant?

F. Eugenus IV. concessit [fortè meliùs legeres , *declarauit*] *quod Monachi Clerici (Ordinis Sanct. Benedicti) in sacris tamen non constituti , etiam si Professi ad Canonicas Horas recitandas ex debito minimè teneantur. Debeat tamen Prior iniungere vt si omittant Officium , legant aliquos Psalmos , &c.*

An Iuniores tenentur ad horas in Ordine S. Benedicti?

Præfata Concessio (Declaratio) inquit Alphonsus Casarubios Hispanus , deseruit pro Fratribus Minoribus , quia ipsi statim vt professionem emittunt , tenentur ratione voti ad persoluendum Officium diuinum , &c. Poterit tamen huiusmodi concessio prodesse aliis Fratribus mendicantibus , [& confirmant quæ dicta superiùs à n. 1343.

An in Ordine S. Francisci?

SCHOLION.

1845 QVÆST. I. FVNDAMENTALIS? De authoritate Capituli Generalis, & an possit condere Resolutiones practicas, quæ sint in conscientiâ securæ?

PRimò occurrit , *An Capitulum Generale habeat authoritatem definiendi?* nempè, *An eius Authoritas practica sit , an solùm speculatiua ?*

Quidquid sit de authoritate practica , hæ Definitiones conditæ sunt authoritate speculatiua , quæ vt expendi *num.* 1362. non habet certitudinem physicam infallibilem , habet tamen maximam probabilem , nec non moralem certitudinem ; fuerunt enim latæ à doctissimis Viris , quibus sanctiores aut doctiores numquam Comitia celebrarunt , vt vniuersi qui interfuerunt , affirmant.

An hæ Resolutiones verè fuerint conditæ à Generali Capitulo?

Dices , has Definitiones non fuisse cum cæteris editas , & Abbatem Villariensem Belgam (duplex enim Villarium est) testari nunquam fuisse de hoc in pleno Capitulo deliberatum : sed Resolutiones has Abbatibus antequam discederent datas , vt secum ad sua Monasteria deferrent.

Responsio.

Respondeo : illa Dubia fuisse à Reuerend. D.D. Thomâ Salemitano proposita , esse certum : Resolutiones Abbates recepisse , & in suis prouinciis , vt authenticas distribuisse esse etiam certum : Abbatem Salemitanum qui tunc erat Caput Germanicæ Congregationis , transmisisse ad Abbates , qui non interfuerant Capitulo Generali , esse similiter certum. Displicuerint Abbati Villariensi , quid inde ? Cognoui hominem. Erat optimus : at , nec Philosophiæ , nec Theologiæ studuerat ; & , vt illarum diminueret authoritatem , illa interdum submurmurasse , quæ in obiectione proponuntur. Fatebor tamen, illas in multis me Monasteriis vidisse , nec percepisse vnquam aliquem (aut Monachum) de illarum authoritate dubitasse. Supponemus igitur meritò illas esse authenticas , & easdem ipsas Commentario opportuno breuissimè dilucidabimus.

De Abbate Villariensi.

De cæteris.

QVÆST. II. FVNDAMENTALIS. An in materiam grauem cadere possit culpa leuis?

SEcundò occurrit , *An illa omnia , quæ in Articulo primo recensentur , obligent sub veniali ?* Negatiuè respondeo : quoniam re bene considerata omnia illa ne venialiter quidem obligant : quia cùm materia sit magna , obligarent grauiter , si in conscientia

obligarent, iuxta ea quæ doceo *n.*42.& conſequenter *diſp.*104. *n.*1360. Petis vtrùm probabiliter defendi poſſit, ea obligare ſub peccato veniali.

Probabiliter poteſt, ſi Legiſlator velit.

Reſpondeo affirmatiuè. *Primò*, defendi hoc poſſet, ſupponendo poſſe Legiſlatorem obligare leuiter etiam ſi materia ſit grauis: quæ eſt ſapientum plurimorum opinio.

Si finem leuẽ huic præcepto proponat.

Secundò, ex hypotheſi, quod grauis materia non poſſit cadere ſub culpam leuem, propugnari hæc definitio poterit aſſerendo omnia inibi recenſita, non præcipi propter ſe ſed propter finem leuem, quia tunc recipient ſpeciem à fine.

Si illud ad finem grauem leuiter conferat.

Tertiò, ſi iuberentur ob finem magnum ad quem leuiter conducerent; tunc eſſent venialiter peccaminoſa. Conſonat huic doctrinæ Baſſæus, qui hoc (nempe materiam grauem ob finem grauem præceptum præceptam, ſi ad illum leuiter conducat, obligare ſub veniali) aſſerit *in Florib. pag.*430.*b.* & citat Commentarij huius *num.*43. quem recognoſce.

Si aliam rem præcipiat vt ſubſtantiam, & hanc vt modum.

Quartò, ſi non præciperentur per ſe, ſed compræciperentur, hoc eſt, ſi eſſent accidentia rei præceptæ quà talis. Puta, ſi eadem ſanctio, quæ Canonicum præcipit, etiam indiceret Officium Marianum, tanquam Canonici accidens & modum, tunc enim, qui lecto Canonico Marianum omiſiſſet, diceretur ſatisfeciſſe quoad ſubſtantiam, & omiſiſſe rei præceptæ accidentarium modum, & propterà peccauiſſe venialiter.

Omitti hæc ratio poteſt, cùm ob alia, tũ quia Generale Capitulum hoc mortale peccatum non agnoſcit.

Quintò, ſi ſupponeretur dari vnum ſimplex præceptum, quod plurium dierum lectionem Marianam indiceret, puta ſi ſingulis menſibus nouum præceptum reſpõderet, dicendum foret eſſe peccatum veniale omittere vnius diei officium Marianum, ſed mortale integro menſe omittere, id perſuadente diſcurſu analogo, quem expendo *n.*1332. ſed hoc peccatum mortale numquam Capitulum Generale admiſit.

Reſolutio. Vtraque pars prudenter & probabiliter aſſeri poteſt.

Ergo eliminato grauis obligationis onere, prudenter Patres Conſcripti leuem Art.1. adſtruxerunt; prudenter quidem, quia omnia quæ Articulo illo primo recenſentur, obligare ſub peccato veniali, probabiliter defendi poteſt, imò quatuor, vel quinque modis, vt vidimus. Cæterùm, inſiſtendo principiis illis ſolidioribus quæ ſtatuo, & confirmo *n.*42. & 1360. probabilius eſt non ſolum illa, quæ in art.2.continentur, ſed etiam illa, quæ in primo, nedum venialiter obligare. Lege attentè diſp.104. citatam.

THEOLOGIÆ REGVLARIS

PARS TERTIA.

COMMENTARIVS IN REGVLAM EQVITVM DE TEMPLO, COMPOSITAM A D. BERNARDO.

ILLVSTRISS. ET REVEREND. D. D.

ANGELO MANRIQVE,

CISTERCIENSIS ORDINIS GENERALI, Salmaticenſis Vniuerſitatis Profeſſori primario. Pacis-Iuliæ Pontifici, &c. Domino & Magiſtro ſuo obſeruandiſſimo, &c. Reuerentiam & Laudem.

Ad Empyreum,

SVMO calamum, vt de Templariis diſſeram; nempe, de hominibus; quorum hiſtoria videtur vniuerſis mira; quorum fatum à diuerſis, prout affectus obludunt, monochromatis diuerſis pingitur. An ipſi coram Deo, cadant aut ſtent, neſcimus: at, quia ſcis Tu, ILLVSTRISSIME ANGELE, quia in Verbo (ſic ſpero) omnia vides, hanc ob cauſam Notas has, quibus illorum Regulam & vitam dilucido, Tui Nominis aris appendo: vt litterarius Orbis videat, me etiamnum Tuas virtutes vereri, & Ingenium mirari. Te Salmanticæ (quod ſummæ gloriæ duco) Præceptorem ſum nactus. Tibi debeo, quod Theologicè poſſim, aut ſaltem audeam. Tibi quod ſciam, Humanam omnem ſcientiam eſſe tenebras; & illum cenſeri doctiorem, qui ex fundamento libero, adeoque incerto, ſecuriori conſequentiarum filo dialecticatur. Eccleſiæ, Ordini, Hiſpaniæ, & Vniuerſitati ſeruiuiſti, dum viueres, & vbique ad ſummas Dignitates euectus. Te creauit Eccleſia Pacis-Iuliæ Pontificem, Ordo Reformatorem Generalem, Hiſpania Senatorem Regium, Salmantica Profeſſorem Primarium. At Mors, inquiunt, omnes hos ſplendores extinxit! ſed non video: nam vt Sol in nouâ Tuorum Librorum Editione poſt occaſum renaſceris.

1816 De Templariorum Hiſtoriâ.

Omnia Cœlites videnè in Verbo.

Author fuit Manriqui diſcipulus.

Quales humanæ ſcientiæ?

Quis in ſcholâ doctor?

Ad quantas Manrique fuerit dignitates euectus?

Vtrùm nunc viuat?

Κάτθανε δηιόων ἠὲ ἄλκιμος, ἀλλὰ θανών περ
Ἄφθιτος εἰν ἄλλοις ἦεν ἀρηϊφάτοις.
Ἄφθιτος ἐνδεκάτοισι, δυωδεκάτῳ δ' ὑπ' ἔπεφνε
Ἦμαθ' ὑπὲρ πυρῆς, ὡς φάτις, αὖτε δίω.

Obiit bellando ſtrenuus Erus; attamen, etſi mortuus,
Incorruptus remanſit inter alios interfectos.
Incorruptus remanſit *ad vndecimum diem: duodecimo autem*
Die, extenſus ſuper rogo, rurſus (vt fama eſt) reuixit.

Plato lib. 10. de Republ. prop. fin.

Hiſtoriam dedit Plato, & numeros Ioannes Cottunius.

Cottunius Epigrammatum Græc. l. 2. pag. 107.

Aut fallor aut tuum fatum Athenienſis deſcripſit, Verienſis cecinit: quoniam bellãdo obiiſti, nobiliſſimas, dum viueres, victorias nactus. Pugnaſti contra Hæreticos ſtylo & calamo: & agon durauit totâ vitâ. Nullam diem egit Euclides ſine lineâ, tu nullam ſine triumpho: Obiiſti: Reuiuiſcis in libris, à quibus etiam poſthumis, habet Orthodoxa Religio, quod Hæreticos atterat. Manet ſtylus Tuus, nam Calami immortales non pereunt: & inter alios noſtri æui Theologos, quorum Memoria occubuit, æternat Tui Nominis claritas, vt illuminet deuios, & ad viam Veritatis reducat. Scripſiſti nonnulla quæ Inuidis diſplicent: & dum illa Heterodoxi ad rogum vocant, ſumus à Te Catholici, Tuarumq; Reſolutionum puritatem tutamur. Ardentes illorum iras vincimus; & quæ æmulorum voto abſumptura erat flãma, euehit Fama, quæ quaſi Phœnix è cineribus naſcitur. Dum vita ſuperſtes, Eccleſiæ cum plauſu ſeruiuiſti; nunc (ſic ſpero) frueris præmio cum gloriâ. In amicitiæ antiquæ teſſeram laudes & orationes offero, & humiliter deprecor, vt interuentu tuo, qui fuimus tui in arenâ litterariâ Diſcipuli, ſimus olim laureæ æternæ conſortes.

Manrique contra Hæreticos dictat & ſcribit.

Lutheranorum & Caluiniſtarum iras triumphat.

REGVLA
PAVPERVM COMMILITONVM SANCTÆ CIVITATIS, SEV MILITVM TEMPLI.

CAPVT I.

Qualiter Diuinum Officium audiant.

1847 VOS Quidem, propriis voluntatibus abrenuncian-
tes; atque alij, pro animarum salute vobiscum ad terminum cum equis & armis summo Regi militantes, Matutinas & omne seruitium integrum secundum Canonicam institutionem, ac Regularium Doctorum sanctæ Ciuitatis consuedinem pio ac puro affectu audire vniuersaliter studeatis. Idcircò vobis, venerabiles Fratres, maximè debetur, quia præsentis vitæ luce despecta, contemptoque vestrorum corporum cruciatu, sæuientem mundum pro Dei amore vilescere perenniter promisistis, diuino cibo refecti ac satiati, & dominicis præceptis eruditi & firmati, post Mysterij diuini consummationem nullus paueſcat ad pugnam, sed paratus sit ad coronam.

CAPVT II.

Quot Orationes Dominicas, si audire nequierint, dicant.

CÆterum si aliquis frater negotio Orientalis Christianitatis fortè remotus quod sæpiùs eueniſſe non dubitamus, & pro tali absentia Dei seruitium non audierit, pro Matutinis XIII. orationes Dominicas, ac pro singulis Horis, septem; sed pro Vesperis IX. dicere collaudamus, ac libera voce vnanimiter affirmamus: isti etenim in salutifero labore ita directi, non possunt accurrere hora competenti ad diuinum Officium; sed si fieri potest, Horæ constitutæ non prætereant ante institutum debitum.

CAP. III.

Quid agendum pro Fratribus defunctis.

QVando verò quilibet fratrum remanentium morti, quæ nulli parcit, impendet, quod est impossibile auferri, Capellanis ac Clericis vobiscum ad terminum caritatiuè summo Sacerdoti seruientibus, creditum Officium & Missam solemniter pro eius anima, Christo animi puritate iubemus offerre: Fratres autem ibi astantes, & in orationibus pro Fratris defuncti salute pernoctantes, centum orationes Dominicas vsque ad diem septimum pro Fratre defuncto persoluant; ab illo die, quo illis obitus Fratris denunciatus fuerit, vsque ad prædictum diem, centenarius numerus perfectionis integritatem cum fraterna obseruatione habeat. Adhuc nempè diuina ac misericordi charitate deprecamur, atque pastorali authoritate iubemus, vt quotidie, sicuti Fratri in vicibus dabatur, & debetur, ita quod est necessarium sustentationi huius vitæ in cibo & potu tantum, cuiquam pauperi, donec ad quadragesimam diem impendatur. Omnes enim alias obligationes, quas in morte Fratrum, & in Paschali solemnitate, cæterisque Solemnitatibus, Domino pauperum commilitonum Christi spontanea paupertas indiscretè reddere consueuerat, omninò prohibemus.

CAP. IV.

Capellani Victum & Vestitum tantum habeant.

ALias verò oblationes & omnia eleemosynarum genera, quoquo modo fiant, Capellanis, vel aliis ad tempus manentibus, vnitati communis Capituli reddere, peruigili cura præcipimus. Seruitores itaque Ecclesiæ victum, & amictum secundum authoritatem tantùm habeant, & nihil ampliùs habere præsumant, nisi Magistri spontè charitatiuè dederint.

CAP. V.

De Militibus Defunctis, qui sunt ad Terminum.

SVnt namque milites in domo Dei, Templique Salomonis ad Terminum misericorditer nobiscum degentes; vnde ineffabili miseratione vos rogamus, deprecamur, & ad vltimum obnixè iubemus, vt interim tremenda potestas ad vltimum diem aliquem perduxerit, diuino amore, ac fraterna pietate, septem dies sustentationis, pro anima eius, quidam pauper habeat.

CAP.

CAP. VI.

Vt nullus Frater Remanens obligationem faciat.

DEcreuimus, vt ſuperiùs dictum eſt, quod nullus fratrum Remanentium aliam obligationem facére præſumat: ſed diu, noctuque mundo corde in ſua profeſſione maneat, vt ſapientiſſimo Prophetarum in hoc ſe æquipollere valeat: Calicem ſalutaris accipiam, & in morte mea, mortem Domini imitabor: quia ſicut Chriſtus pro me animam ſuam poſuit, ita & ego pro fratribus animam ponere ſum paratus. Ecce competentem obligationem: ecce hoſtiam viuentem, Deoque placentem.

CAP. VII.

De immoderata Statione.

QVod autem auribus noſtris veriſſimus teſtis inſonuit, videlicet immoderata ſtatione, & ſine menſura ſtando Diuinum Officium vos audire: ita fieri non præcipimus, imò vituperamus; ſed finito Pſalmo, & *Venite exultemus Domino*, cum Inuitatorio, & Hymno, omnes ſedere tàm fortes, quàm debiles, propter ſcandalum euitandum, nos iubemus. Vobis verò reſidentibus, vnoquoque Pſalmo finito, in recitatione *Gloria Patri*, de ſedibus veſtris ad altaria ſupplicando, ob reuerentiam ſanctæ Trinitatis ibi nominatæ, ſurgere & debilibus inclinare demonſtramus. Sic etiam in recitatione Euangelij, & ad *Te Deum Laudamus*, & per totas Laudes; donec in finito *Benedicamus Domino*, ſtare adſcribimus, & eandem Regulam in Matutinis ſanctæ Mariæ iubemus.

CAP. VIII.

De Refectione Conuentus.

IN vno quidem Palatio, ſed melius dicitur Refectorio, communiter vos cibum accipere credimus, vbi, quando aliquid neceſſarium fuerit, pro ſignorum ignorantia, leniter, ac priuatim quærere oportet. Si omni tempore, quæ vobis neceſſaria ſunt, quærenda ſunt, cum omni humilitate, & ſubiectione reuerentiæ potiùs ad menſam cum Apoſtolis dicat: *Panem tuum cum ſilentio manduca*; & Pſalmiſta vos animare debet, dicens; *Poſui ori meo cuſtodiam*, id eſt, apud me deliberaui, vt non delinquerem, id eſt, linguâ; ideſt, cuſtodiam os meum, ne male loquerer.

CAP. IX.

De Lectione.

IN prandio, & cœna ſemper ſit ſancta Lectio recitata. Si Dominum diligimus, ſalutifera eius verba, atque præcepta intentiſſima aure deſiderare debemus. Lector autem Lectionum vocis indicat ſilentium.

CAP. X.

De carnis Refectione.

IN hebdomada namque, niſi Natalis dies Domini, vel Paſcha, vel Feſtum ſanctæ Mariæ, aut omnium Sanctorum euenerit, vobis ter refectio carnis ſufficiat; quia aſſueta carnis comeſtio intelligitur corruptio corporum. Si verò in die Martis tale ieiunium euenerit, vt eſus carnium retrahatur, in craſtino abundanter vobis impendatur. Die autem Dominico omnibus Militibus remanentibus, nec non Capellanis duo fercula in honorem S. Reſurrectionis bonum, & idoneum indubitanter videtur. Alij autem, videlicè Armigeri, & Clientes, vno contenti, cum gratiarum actione permaneant.

CAP. XI.

Qualiter manducare Milites debeant.

DVos, & duos manducare generaliter oportet, vt ſollerter vnus de altero prouideat, ne aſperitas vitæ, vel furtiua abſtinentia in omni prandio intermiſceatur. Hoc autem iuſtè iudicamus, vt vnuſquiſque Miles, aut Frater æqualem, & æquipollentem vini menſuram per ſe ſolus habeat.

CAP. XII.

Vt aliis diebus duo, aut tria leguminum fercula ſufficiant.

ALiis nam diebus, videlicèt ſecundâ & quartâ feria, nec non, & Sabbatho duo, aut tria leguminum, vel aliorum ciborum fercula, aut, vt ita dicam cocta pulmentaria, omnibus ſufficere credimus; & ita teneri iubemus, vt, fortè qui ex vno non potuerit edere, ex alio reficiatur.

CAP. XIII.

Quo cibo ſextâ feriâ reficere oportet.

SExta autem feria cibum quadrageſimalem ob reuerentiam Paſſionis omni Congregationi, remota infirmorum imbecillitate, ſemel ſufficere à feſto omnium Sanctorum vſque in Paſcha, niſi Natalis dies Domini, vel Feſtum ſanctæ Mariæ, aut Apoſtolorum euenerit, collaudamus. Alio verò tempore, niſi generale ieiunium euenerit, bis reficiantur.

CAP. XIV.

Poſt refectionem ſemperque gratias referant.

POſt prandium verò, & cœnam ſemper in Eccleſia, ſi propè eſt, vel ſi ita non eſt, in eodem loco ſummo Procuratori noſtro, qui eſt Chriſtus, gratias, vt decet, cum humiliato corde referre inenodabiliter præcipimus; famulis, aut pauperibus fragmenta, panibus tamen integris reſeruatis, diſtribuere fraterna charitate debent, & iubentur.

CAP. XV.

Vt decimus panis ſemper Eleemoſynario detur.

LIcet paupertatis præmium, quod eſt Regnum Cœlorum, pauperibus procul dubio debeatur: vobis tamen, quos Chriſtiana Fides de illis indubitanter fatetur, decimum totius panis quotidiè Eleemoſynario veſtro dare iubemus.

CAP. XVI.

Vt collatio ſit in arbitrio Magiſtri.

CVm verò Sol Orientalem regionem deſerit, & Ad Hibernam deſcendit, audito ſigno, vt eſt eiuſdem regionis conſuetudo, omnes ad Completas oportet incedere vos, ac priùs generalem Collationem ſumere peroptamus. Hanc autem Collationem in diſpoſitione, & arbitrio Magiſtri ponimus, vt quandò voluerit de aqua, & quando iubebit, miſericorditèr ex vino temperato competentèr recipiatur. Verùm hoc non ad nimiam ſatietatem oportet, & in luxu fieri, ſed parcius; quia apoſtatare etiam ſapientes videmus.

CAP. XVII.

Vt finitis Completis ſilentium teneatur.

FInitis itaque Completis, ad ſtratum ire oportet. Fratribus igitur à Completorio exeuntibus nulla ſit denuò licentia loqui in publico, niſi neceſſitate cogente; Armigero autem ſuo quæ dicturus eſt, lenitèr dicat. Et verò forſitan, vt in tali interuallo vobis de Completorio exeuntibus, maxima neceſſitate cogente, de militari negocio, vt de ſtatu domus noſtræ, quia dies ad hoc vobis ſufficere non creditur, cum quadam Fratrum parte ipſum Magiſtrum, vel illum, cui domus dominium poſt Magiſtrum eſt debitum, oporteat loqui. Hoc autem ita fieri iubemus; & ideò, quia ſcriptum eſt; *In multiloquio non effugies peccatum.* Et alibi; *Mores, & vita in manibus linguæ.* In illo colloquio ſcurrilitates, verba otioſa, ac riſum mouentia omninò prohibemus, & vobis ad lectulum euntibus, Dominicam orationem; ſi aliquis quid ſtultum eſt locùtus, cum humilitate & puritatis deuotione dicere iubemus.

CAP. XVIII.

Vt fatigati ad Matutinas non ſurgant.

FAtigatos nempè Milites non ita, vt vobis eſt manifeſtum, ſurgere ad Matutinas conlaudamus: ſed aſſenſu Magiſtri, vel illius, cui creditum fuerit à Magiſtro, eos quieſcere, & tredecim orationes conſtitutas ſic cantare, vt mens ipſorum voci concordet, iuxta illud Prophetæ: *Pſallite Domino ſapienter.* Et illud: *In conſpectu Angelorum Pſallam tibi;* vos vnanimes conlaudamus. Hoc autem in arbitrio Magiſtri ſemper conſiſtere debet.

CAP. XIX.

Vt communitas victus inter Fratres ſeruetur.

LEgitur in Diuina Pagina. *Diuidebatur ſingulis, prout cuique opus erat.* Ideò non dicimus vt ſit perſonarum exceptio, ſed infirmitatum debet eſſe conſideratio. Vbi autem, qui minùs indiget, agat Deo gratias & non contriſtetur. Qui verò indiget, humiliter pro infirmitate, non extollatur pro miſericordia, & ita omnia membra erunt in pace. Hoc autem prohibemus, vt nulli immoderatam abſtinentiam amplecti liceat, ſed communem vitam inſtanter teneant.

CAP. XX.

De qualitate & modo veſtimenti.

VEſtimenta autem vnius ſemper coloris eſſe iubemus, verbi gratia, Alba, vel nigra, vel vt ita dicam, burella. Omnibus autem Militibus profeſſis in hyeme & in æſtate, ſi fieri poteſt, alba veſtimenta concedimus, vt qui tenebroſam vitam poſtpoſuerint, per liquidam & albam ſuo conditori ſe reconciliari agnoſcant. Quid albedo, niſi integra caſtitas? Caſtitas, ſecuritas mentis, ſanitas corporis eſt. Niſi enim vnuſquiſque Miles caſtus perſeuerauerit, ad perpetuam requiem venire, & Deum videre non poterit, teſtante Apoſtolo Paulo: *Pacem ſectamini cum omnibus & caſtimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum.* Sed quia huiuſmodi indumentum arrogantiæ ac ſuperfluitatis æſtimatione carere debet, talia habere omnibus iubemus, vt ſolus leniter per ſe veſtire & exuere, & calciare & diſcalciare valeat. Procurator huius miniſterij peruigili cura hoc vitare præſumat, ne nimis longa, aut nimis curta, ſed menſurata ipſis vtentibus, ſecundum vniuſcuiuſque quantitatem ſuis Fratribus tribuat. Accipientes itaque noua, vetera ſemper reddant in præſenti, reponenda in camera, vel vbi Frater, cuius eſt miniſterium, decreuerit, propter Armigeros & Clientes, & quandoque pro pauperibus.

CAP. XXI.

Quod famuli veſtimenta alba, hoc eſt pallia non habeant.

HOc nempè, quod erat in domo Dei ac ſuorum Militum templi, ſine diſcretione ac conſilio communis Capituli, obnixè contradicimus, & funditus, quaſi quoddam vitium peculiare amputare præcipimus. Habebant enim olim famuli & Armigeri alba veſtimenta, vnde veniebant damna importabilia: Surrexerunt namque in Vltramontanis partibus quidam Pſeudo-fratres, & Coniugati, & alij, dicentes ſe eſſe de Templo, cùm eſſent de mundo. Hi nempè tantas contumelias,

melias, totque damna militari Ordini acquisierunt,& clientes remanentes plurima scandala oriri inde superbiendo fecerunt. Habeant igitur assiduè nigra,sed si talia non possint inuenire,habeant,qualia inueniri possunt in illa prouincia, qua degunt, aut quod vilius vnius coloris comparari potest,videlicet burella.

CAP. XXII.

Quod milites Remanentes tantùm alba habeant.

NVlli ergo concessum est candidas Chlamydes deferre, aut alba pallia habere, nisi nominatis militibus Christi.

CAP. XXIII.

Vt pellibus agnorum vtantur.

DEcreuimus communi consilio vt nullus Frater remanens pelles perenniter aut pelliciam, vel aliquid tale, quod ad vsum corporis pertineat, etiamque coopertorium nisi agnorum vel arietum habeat.

CAP. XXIV.

Vt vetusta Armigeris diuidantur.

PRocurator vel dator pannorum,omni obseruantia veteres semper Armigeris & clientibus,& quandoque pauperibus fideliter æqualiterque erogare intendat.

CAP. XXV.

Cupiens optima, deteriora habeat.

SI aliquis Frater remanens ex debito aut ex motu superbiæ,pulchra vel optima habere voluerit, ex tali præsumptione procul dubio vilissima merebitur.

CAP. XXVI.

Vt quantitas & qualitas vestimentorum seruetur.

QVantitatem secundum corporum magnitudinem largitatemque vestimentorum obseruare oportet: dator pannorum sit in hoc curiosus.

CAP. XXVII.

Vt dator pannorum inprimis æqualitatem seruet.

LOngitudinem, vt superiùs dictum est, cum æquali mensura,ne vel susurronum, vel comminatorum aliquid oculus notare præsumat,Procurator fraterno intuitu consideret, & in omnibus supradictis Dei retributionem humiliter cogitet.

CAP. XXVIII.

De superfluitate capillorum.

OMnes Fratres, remanentes principaliter, ita tonsos habere capillos oportet, vt regulariter ante & retrò, & ordinatè, considerare possint; & in barba, & in grennionibus eadem regula indeclinabiliter obseruetur,ne superfluitas, aut facetiæ vitium denotetur.

CAP. XXIX.

De rostris & laqueis.

DE rostris & laqueis manifestum est esse gentilitium. Et cùm abominabile hoc omnibus agnoscatur, prohibemus & contradicimus, vt aliquis ea non habeat,imò prorsus careat. Aliis autem ad tempus famulantibus, rostra & laqueos & capillorum superfluitatem, & vestium immoderatam longitudinem habere non permittimus,sed omnino contradicimus. Seruientibus enim summo Conditori,munditia exteriùs interiusque valde necessaria, eo ipso attestante, qui ait: *Estote mundi, quia ego mundus sum.*

CAP. XXX.

De numero Equorum & Armigerorum.

VNicuique vestrorum Militum tres equos licet habere:quia Domus Dei, Templique Salomonis eximia paupertas ampliùs non permittit impræsentiarum augere, nisi cum Magistri licentia.

CAP. XXXI.

Nullus Armigerum gratis seruientem feriat.

SOlum autem Armigerum singulis Militibus eadem causa concedimus;sed si gratis & charitatiuè ille Armiger cuiquam Militi fuerit, non licèt ei eum verberare, nec etiam qualibet culpa percutere.

CAP. XXXII.

Qualiter ad tempus remanentes recipiantur.

OMnibus Militibus seruire Iesu Christo animi puritate in eadem domo ad terminum cupientibus equos in tali negocio quotidiano idoneos, & arma,& quidquid ei necessarium fuerit, emere fideliter iubemus. Deinde verò ex vtraque parte æqualitate seruata, bonum & vtile appretiari equos iudicauimus. Habeatur itaque pretium in scripto, ne tradatur obliuioni, & quidquid Militi, vel eius equis, vel Armigero erit necessarium adiunctis & ferris equorum secundum facultatem domus,ex eadem domo fraterna charitate impendatur. Si verò interim equos suos Miles aliquo euentu in hoc seruitio amiserit, Magister, prout facultas domus hoc exigit,

alios administrabit. Adueniente autem termino repatriandi medietatem pretij ipse Miles diuino amore concedat, alteram ex communi Fratrum, si ei placet, recipiat.

CAP. XXXIII.

Quod nullus iuxta propriam voluntatem incedat.

COnuenit his nempè Militibus, qui nihil sibi Christo charius existimant, propter seruitium, secundum quod professi sunt, & propter gloriam summæ beatitudinis, vel metum gehennæ, vt obedientiam indesinenter Magistro teneant. Tenenda est itaque, vt mox, vbi aliquid imperatum à Magistro fuerit vel ab illo, cui Magister mandatum dederit, sine mora, ac si diuinitùs imperetur, moram pati nesciant in faciendo. De talibus enim ipsa Veritas dicit: *Obauditu auris obediuit mihi.*

CAP. XXXIV.

Si licet ire per villam, sine iussu Magistri.

ERgo Hospitales Milites propriam voluntatem relinquentes, & alios ad terminum seruientes deprecamur, & firmiter eis iubemus, vt sine Magistri licentia, vel cui creditum hoc fuerit, in villam ire non præsumant, præterquam noctu ad Sepulchrum, & ad stationes quæ intra muros sanctæ Ciuitatis continentur.

CAP. XXXV.

Si licet eum ambulare solum.

HI verò ita ambulantes, non sine custode, id est, Milite aut fratre remanente, nec in die, nec in nocte iter inchoare audeant. In exercitu namque, postquam hospitati fuerint, nullus miles Miles vel Armiger aut Famulus per atria aliorum Militum causa videndi, aut cum aliquo loquendi sine iussu, vt dictum est superius, incedat. Itaque consilio affirmamus, vt in tali domo, ordinata à Deo, quod nullus secundum proprietatem militet aut quiescat, sed secundum Magistri imperium totus incumbat, vt illam Domini sententiam imitari valeat qua dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui me misit.*

CAP. XXXVI.

Quod nullus nominatim, quod ei necessarium erit, quærat.

HAnc propriè consuetudinem inter cætera adscribere iubemus, & cum omni consideratione, ob quærendi vitium, teneri præcipimus. Nullus igitur frater remanens assignanter & nominatim equum aut equitaturum, vel arma quærere debet. Quomodo ergò? Si verò eius infirmitas, aut equorum suorum debilitas, vel armorum suorum grauitas, talis esse agnoscitur, vt sic incedere sit damnum commune, veniat Magistro, vel cui est debitum ministerium post Magistrum & causam vera fide & pura ei demonstret: Inde namque in dispositione Magistri, vel post eum Procuratoris res se habeat.

CAP. XXXVII.

De frenis, & calcaribus.

NOlumus, vt omninò aurum vel argentum: quæ sunt diuitiæ peculiares, in frenis & pectoralibus, nec calcaribus, vel in streuis vnquam appareant, nec alicui Fratri remanenti emere liceat. Si verò charitatiuè talia vetera instrumenta data fuerint, aurum vel argentum taliter coloretur, ne splendidus color vel decor cæteris arrogantia videatur. Si noua data fuerint, Magister de talibus quod voluerit faciat.

CAP. XXXVIII.

Tegimen in hastis & clypeis non habeatur.

TEgimen autem in clypeis & hastis, & furellis in lanceis non habeatur; quia hoc non proficuum, imò damnum nobis omnibus intelligitur.

CAP. XXXIX.

De licentia Magistri.

LIcet Magistro cuiquam dare equos, vel arma, vel quamlibet rem cuilibet dare.

CAP. XL.

De mala, & sacco.

SAcculus, & mala cum firmatura non conceduntur: sic exponuntur, ne habeant absque Magistri licentia, vel cui creduntur Domus post eum negotia. In hoc præsenti Capitulo Procuratores, & per diuersas prouincias degentes non continentur, nec ipse Magister intelligitur.

CAP. XLI.

De Legatione Litterarum.

NVllatenus cuiquam fratrum liceat à parentibus suis, neque à quoquam hominum, nec sibi inuicem accipere, vel dare sine iussu Magistri, vel Procuratoris. Postquam licentiam frater habuerit, in præsentia Magistri, si ei placet, legantur. Si verò, & à parentibus ei quidquam directum fuerit, non præsumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Magistro. In hoc autem capitulo Magister, & domus Procuratores non continentur.

CAP. XLII.

De familiaribus propriarum culparum.

CVm omne verbum otiosum generare agnoscatur peccatum, quid ipsi iactantes

tes de propriis culpis ante districtum iudicem dicturi sunt; Ostendit certè Propheta: Si à bonis eloquiis propter taciturnitatem debet interdum taceri: quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati debet cessari. Vitamus igitur, & audaciter contradicimus, ne aliquis Frater remanens, vt melius dicam, stultitias quas in sœculo, in militari negotio, tam enormiter egit, & carnis delectationes miserrimarum mulierum cum Fratre suo, vel aliquo alio, vel de alio commemorare audeat: & si fortè referentem aliquem talia audierit, obmutescere faciat, vel quantociùs poterit, cito pede obedientiæ inde discedat, & olei venditori aurem cordis non præbeat.

CAP. XLIII.

De quæstu, & acceptione.

VErum enim verò, si aliqua res, sine quæstu cuilibet fratri data gratis fuerit, deferat Magistro, vel Dapifero: si verò aliter suus amicus, vel parens daret, nisi ad opus suum, noluerit, hoc prorsus non recipiat, donec licentiam à Magistro suo habeat. At cui res data fuerit, non pigeat illi, si alteri datur; imò pro certo sciat, quia si indè irascitur, contra Deum agit. In hac autem prædicta regula ministratores non continentur, quibus specialiter hoc ministerium debetur, & conceditur de mala, & sacco.

CAP. XLIV.

De manducariis equorum.

VTtilis res est cunctis hoc præceptum à nobis constitutum, vt indeclinabiliter amodo teneatur. Nullus autem Frater facere præsumat manducaria linea, vel lanea, idcircò principaliter facta, nec habeat vlla, excepto profinello.

CAP. XLV.

Vt cambiare, vel quærere nullus audeat.

NVnc aliquid restat, vt nullus præsumat cambiare sua, Frater cum Fratre, sine licentia Magistri; & aliquid quærere, ni Frater Fratri, & sit res parua, vilis, non magna.

CAP. XLVI.

Vt nullus auem cum aue capiat, nec cum capiente incedat.

QVod nullus auem cum aue accipere audeat, nos communiter iudicamus: non conuenit enim Religioni, sic cum mundanis delectationibus inhærere, sed Domini præcepta libenter audire, Orationibus frequenter incumbere, mala sua cum lachrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. Cum homine quidem talia operante, cum accipitre, vel alia aue, nullus Frater remanens hac principali causa ire præsumat.

CAP. XLVII.

Vt nullus feram arcu, vel balista percutiat.

CVm omni religione ire deceat, simpliciter, & sine risu, humiliter: & non multa verba, sed rationabilia loqui, & non sic clamosa in voce; specialiter iniungimus, & præcipimus omni Fratri professo, ne in bosio cum arcu, aut balista iaculari audeat, nec cum illo, qui hoc fecerit, ideò pergat, nisi gratia cum custodiendi à perfido Gentili; nec cum cane sit ausus clamare, vel garrulare, nec equum suum cupiditate accipiendi feram pungat.

CAP. XLVIII.

Vt Leo semper feriatur.

NAm est certum, quod vobis specialiter creditum est, & debitum, pro fratribus vestris animam ponere, atque incredulos, qui semper Virginis filio minitantur, de terra delere. De Leone enim hoc legimus, quia ipse circuit, quærens quem deuoret, & manus eius contra omnes, omniumque manus contra eum.

CAP. XLIX.

De omni re super vos quæsita, iudicium audite.

NOuimus quidem persecutores S. Ecclesiæ innumerabiles esse, & hos, qui contentionem non amant, incessanter, crudeliusque inquietare festinant. In hoc igitur Consilij sententia serena consideratione pendeat, vt si aliquis in partibus Orientalis regionis, in quocumque alio loco super vos rem aliquam quæsierit, vobis per fideles, & veri amatores iudices audire iudicium præcipimus, & quod iustum fuerit, indeclinabiliter vobis facere præcipimus.

CAP. L.

Vt hæc regula in omnibus teneatur.

HÆc eadem regula in omnibus rebus vobis immeritò ablatis, perenniter iubemus, vt teneatur.

CAP. LI.

Quod licet omnibus Militibus professis terram, & homines habere.

DIuina, vt credimus, prouidentia, à vobis in sanctis Locis sumpsit exordium hoc genus nouum Religionis, vt videlicèt religioni militiam admisceretis, & sic Religio per militiam armata procedat, hostem sine culpa feriat: iure igitur iudicamus, cùm milites templi dicamini, vos ipsos, ob insigne meritum, & speciale probitatis, domum, terram, & homines habere, & agricolas possidere, & iustè eos regere, & institutum debitum vobis specialiter debetur impendi.

CAP.

CAP. LII.

Vt de malè habentibus cura peruigil habeatur.

MAle habentibus Fratribus ſupra omnia adhibenda eſt cura peruigil, vt quaſi Chriſto eis ſeruiatur, vt illud Euangelicum, *Infirmus fui, & viſitaſtis me*, memoriter teneatur; hi etenim diligenter, & patienter portandi ſunt, quia de talibus ſuperna retributio indubitanter acquiritur.

CAP. LIII.

Vt infirmis neceſſaria ſemper dentur.

PRocuratoribus verò infirmantium omni obſeruantia, atque peruigili cura præcipimus, vt quæcumque ſuſtentationi diuerſarum infirmitatum ſunt neceſſaria, fideliter, ac diligenter, iuxta domus facultatem eis adminiſtrent, v g. carnem, & volatilia, &c. donec ſanitati reſtituantur.

CAP. LIV.

Vt alter alterum ad iram non prouocet.

PRæcauendum nempè non modicum eſt, ne aliquis aliquem commouere ad iram præſumat; quia propinquitatis, & diuinæ fraternitatis, tàm pauperes, quàm potentes ſumma clementia æqualiter conſtrinxit.

CAP. LV.

Quomodò fratres coniugati habeantur.

FRatres autem coniugatos hoc modo habere vobis permittimus, vt ſi fraternitatis veſtræ beneficium, & participationem petunt, vterque ſuæ ſubſtantiæ portionem, & quidquid amplius acquiſierint, vnitati communis Capituli poſt mortem concedant, & interim honeſtam vitam exerceant, & bonum agere Fratribus ſtudeant, ſed veſte candida, & chlamyde alba non incedant. Si verò maritus antè obierit, partem ſuam fratribus relinquat, & coniux de altera vitæ ſuſtentamentum habeat; hoc enim iniuſtum conſideramus, vt cum fratribus Deo caſtitatem promittentibus, fratres huiuſmodi in vna, eademque domo maneant.

CAP. LVI.

Vt amplius ſorores non habeantur.

SOrores quidem amplius periculoſum eſt coadunare; quia antiquus hoſtis fœmineo conſortio complures expulit à recto tramite paradiſi. Itaque Fratres chariſſimi, vt integritatis flos inter vos ſemper appareat, hac conſuetudine amodò vti non liceat.

***

CAP. LVII.

Vt Fratres Templi cum excommunicatis non participent.

HOc, Fratres, valdè cauendum, atque timendum eſt, ne aliquis ex Chriſti Militibus homini excommunicato nominatim, ac publicè aliquo modo ſe iungere, aut ſuos accipere præſumat, ne anathema maranatha ſimiliter fiat. Si verò interdictus tantum fuerit, cum eo participationem habere, rem ſuam charitatiuè accipere, non immeritò licebit.

CAP. LVIII.

Qualiter Milites ſæculares recipiantur.

SI quis Miles ex maſſa perditionis, vel alter ſæcularis ſæculo volens renuntiare, veſtram communionem, & vitam velit eligere, non ei ſtatim aſſentiatur, ſed iuxtà illud Pauli, *probate Spiritus, ſi ex Deo ſunt*, & ſic ei ingreſſus concedatur. Legatur igitur Regula in eius præſentia, & ſi ipſe præceptis expoſitæ Regulæ diligenter obtemperauerit, tunc ſi Magiſtro, & Fratribus eius recipere placuerit, conuocatis Fratribus, deſiderium, & petitionem ſuam cunctis animi puritate patefaciat, deindè verò terminus Probationis in conſideratione, & prouidentia Magiſtri, ſecundum honeſtatem vitæ petentis; omninò pendeat.

CAP. LIX.

Vt omnes Fratres ad ſecretum conſilium non vocentur.

NOn ſemper omnes Fratres ad conſilium conuocare iubemus, ſed quos idoneos, & conſilio prouidos Magiſter cognouerit. Cum autem de maioribus tractare voluerit, vt eſt, dare communem terram, vel de ipſo Ordine diſceptare, aut Fratrem recipere, tunc omnem Congregationem, ſi Magiſtro placet, conuocare, eſt competens; auditoque communis Capituli conſilio, quod melius, & vtilius Magiſter conſiderauerit, illud agatur.

CAP. LX.

Quod cum ſilentio orare debeant.

ORare Fratres, provt animi, & corporis affectus poſtulauerit, ſtando, vel ſedendo, tamen ſumma cum reuerentia, ſimpliciter, & non clamosè, vt vnus alium non conturbet, communi conſilio iubemus.

CAP. LXI.

Vt fidem Seruientium accipiant.

AGnouimus nempè complures ex diuerſis prouinciis, tàm Clientes, quàm Armigeros pro animarum ſalute, animo feruenti ad Terminum cupientes in domo noſtra mancipari. Vtile eſt autem; vt fidem eorum

accipiatis, ne fortè veteranus hostis in Dei seruitio aliquid furtiuè, vel indecenter eis intimet, vel à bono proposito repentè exterminet.

CAPVT LXII.

Vt pueri, quamdiu sunt parui, non accipiantur inter Fratres Templi.

QVamuis Regula Sanctorum Patrum pueros in Congregatione permittat habere: nos de talibus non conlaudamus vos vnquam onerare. Qui verò filium suum, vel propinquum in militari Religione perenniter dare voluerit vsque ad annos, quibus viriliter armata manu possit inimicos Christi de terra sancta delere, eum nutriat: dehinc secundum Regulam in medio fratrum pater, vel parentes eum statuant, & suam petitionem cunctis satisfaciant. Melius est enim in pueritia non vouere, quàm posteaquam vir factus fuerit, enormiter retrahere.

CAPVT LXIII.

Vt Senes semper venerentur.

SEnes autem pia consideratione secundum virium imbecillitatem supportare, ac diligenter honorare oportet: nullatenus in his, quæ corpori sunt necessaria districtè teneantur, salua tamen authoritate Regulæ.

CAPVT LXIV.

De Fratribus, qui per diuersas prouincias proficiscuntur.

FRatres verò, qui per diuersas prouincias diriguntur, Regulam, in quantum vires expetunt, seruare in cibo & potu & cæteris studeant, & irreprehensibiliter viuant, ab his, qui foris sunt, bonum testimonium habeant: religionis propositum nec verbo, nec actu polluant, sed maximè omnibus, quibus se coniunxerint, sapientiæ & bonorum operum exemplum & condimentum præbeant. Apud quem hospitari decreuerint, fama optima sit decoratus, &, si fieri potest, domus hospitis in illa nocte non careat lumine, ne tenebrosus hostis occisionem, quod absit, inferat. Vbi autem milites excommunicatos congregate audierint, illuc pergere, non considerantes tàm temporalem vtilitatem, quàm æternam animarum illorum salutem, dicimus. Illis autem fratribus in Vltra-marinis partibus spe subuectionis ita directis, hac conuentione eos, qui militari Ordini se iungere perenniter voluerint, recipere collaudamus, vt in præsentia Episcopi illius prouinciæ vterque conueniant, & voluntatem petentis Præsul audiat: audita itaque petitione, mittat eum Frater ad Magistrum, & ad Fratres, qui sunt in Templo, quod est in Ierusalem, & si vita eius est honesta, talique consortio digna, misericorditer suscipiatur, si Magistro, & Fratribus bonum videtur. Si verò interim obierit, pro labore, & fatigatione, quasi vni ex Fratribus', totum beneficium, & fraternitas pauperum, & commilitonum Christi ei impendatur.

CAPVT LXV.

Vt victus æqualiter omnib. distribuatur.

ILlud quoque congruè, & rationabiliter manutenendum censemus, vt omnib. Fratribus remanentibus victus secundùm loci facultatem æqualiter distribuatur: non enim est vtilis personarum acceptio, sed infirmitatum necessaria est consideratio.

CAPVT LXVI.

Vt Milites Templi decimas habeant.

CRedimus namque relictis affluentibus diuitiis vos spontaneæ paupertati esse subiectos, vnde decimas vobis communi vita viuentibus iustè habere hoc modo demonstrauimus. Si Episcopus Ecclesiæ, cui decima iure debetur, vobis eam charitatiuè dare voluerit, assensu communis Capituli de illis decimis, quas tunc Ecclesia possidere videtur, vobis tribuere debet. Si autem laicus quilibet adhuc illam, vel ex patrimonio suo damnabiliter amplectitur, & se ipsum in hoc valdè redarguens, vobis eandem reliquerit, ad nutum eius, qui præest tantùm, sine consensu Capituli, id agere potest.

CAPVT LXVII.

De leuibus, & grauibus culpis.

SI aliquis frater loquendo, vel militando, aut aliter aliquid leue deliquerit, ipse vltrò delictum suum satisfaciendo, Magistro ostendat. De leuibus, si consuetudinem non habeant, leuem pœnitentiam habeat. Si verò eo tacente per aliquem alium culpa cognita fuerit, maiori, & euidentiori subiaceat disciplinæ, & emendationi. Si autem graue erit delictum, retrahatur à familiaritate fratrum, nec cum illis simul in eadem mensa edat, sed solus refectionem sumat, dispensationi, & iudicio Magistri totum incumbat, vt saluus in iudicij die permaneat.

CAP. LXVIII.

Qua culpa Frater amplius non recipiatur.

ANte omnia prouidendum est, ne quis Frater potens, aut impotẽs, fortis aut debilis, volens se exaltare, & paulatim superbire, ac culpam suã defendere, indisciplinatus maneat: sed si emendare noluerit, ei districtior correptio accedat: quòd si piis admonitionib. & fusis pro eo orationibus emẽdare noluerit, sed in superbia magis, ac magis erexerit, tunc secundum Apostolũ de pio eradicetur grege: Auferte malum ex vobis: Necesse est, vt à societate fratrum fidelium ouis moribunda remoueatur. Cæterùm Magister, qui baculũ, & virgam manutenere debet; baculum videlicèt, quo aliorum vitium imbecillitates sustentet: virgam quoque, qua vitia delinquentium zelo rectitudinis feriat: consilio Patriarchæ, & spiritali consideratione id agere studeat, ne, vt ait B. Maximus, aut solutior lenitas conniuentiam præstet peccatis, aut immoderata seueritas à lapsu non reuocet delinquentem.

CAPVT LXIX.

Vt à Paschali solemnitate vsque ad festum omnium Sanctorum vnam camisiam lineam tantum sumere habeant.

INterea, quum nimios ardores Orientalis regionis misericorditer consideramus, vt à Paschali festinitate vsque ad omnium Sanctorum solemnitatem vnicuique vna camisia linea tantum, non ex debito, sed sola gratia detur; illi dico, qui ea vti voluerit: alio autem tempore generaliter omnes camisias laneas habeant.

CAPVT LXX.

Quot, & quales panni in lecto sint necessarij.

SIngulorum quidem, non aliter, nisi per singula lecta dormientium dormire, nisi permaxima causa, vel necessitas euenerit, communi consilio conlaudamus. Lectualia, vel lectisternia moderata dispensatione Magistri vnusquisque habeat: credimus enim potius saccum, culcitram, & coopertorium vnicuique sufficere. Qui verò ex his vno carebit, carpitam habeat, & in omni tempore tegmine lineo, id est, veluso frui benè licebit. Vestiti autem camisiis, & femoralibus semper dormiant. Dormientibus itaque fratribus, iugiter vsque mane nunquam desit lucerna.

CAPVT LXX.

De vitanda murmuratione.

ÆMulationes inuidas, liuorem, murmur, susurrationes, detractiones, diuina admonitione vitare, & quasi quandam pestem fugere vobis præcipimus. Studeat igitur vnusquisque vigilante animo, ne fratrem suum clam culpet, aut reprehendat, sed illud Apostoli studiosè secum animaduertat; *Ne sis criminator, ne susurro in populo.* Cùm autem fratrem liquidò aliquid peccasse agnouerit, pacificè, & fraterna pietate, iuxta Domini præceptum, inter se, & illum solum corripiat: & si eum non audierit, alium fratrem adhibeat; sed si vtrumque contempserit, in conuentu publicè obiurgetur coram omnibus. Magnæ enim cæcitatis sunt, qui aliis detrahunt; & nimiæ infelicitatis sunt, qui se à liuore minimè custodiunt; vnde in antiquam versuti hostis nequitiam demerguntur.

CAPVT LXXII.

Vt omniumm ulierum fugiantur oscula.

PEriculosum esse credimus omni Religioso vultum mulierum nimis attendere; & ideò nec viduam, nec virginem, nec matrem, nec sororem, nec amitam, nec vllam aliam fœminam aliquis frater osculari præsumat. Fugiat ergò fœminea oscula Christi militia, per quæ solent homines sæpè periclitari, vt pura conscientia, & secura vita in conspectu Domini perenniter valeat conuersari.

DE TEMPLARIORVM EQVITVM CISTERCIENSIVM REGVLA COMPOSITA A MELLIFLVO BERNARDO.

1848 An Templariorum condemnatio fuerit iusta?

AN Deuiuet Regula Hominum, qui deuixerunt? quos, qui condemnem, sæuiam in plura hominum millia; qui absoluam, videbor arguere Pontificem & Regem? Cum possibile sit & plurimos iustè à paucis damnatos, & paucos in multorum damnatione errauisse; hærebo potiùs, quàm meum aperiam in causa sub-obscurâ dictamen. Ardua in hac controuersia resolutio, & ab historia pendens; cuius arbitrium abrogare non velim, satius iudicans carpere in aliis, quæ scripsere animosius, quam scribere, quæ sugillent alij. Sanè Templarij Ordinis exordium ponit Regulæ Prologus in Hugone & anno Domini M. C. XIX. Regulæ lationem, acceptationem, approbationem in Trecensi Concilio, & anno à Christi Domini natiuitate M. C. XXVIII. & ab Ordinis exordio IX. At ponunt excidiũ ann. Christi M. CCC. XIII. sub finem, & Ordinis C.XCIV. multi Authores, & inter ipsos Meyerus *lib. 2. Annal & lib. 7. Chron.* Christianus Massæus & Onuphrius Panuinius *in Epitome de Romanis Pontificibus.* Fulgosus *lib. 1. exempl. cap. 6.* & ex ipsis Hieremias Drexelius *in Tribunalis Christi lib. 2. c. 3.* vbi rem depingit istis verbis.

Quo ipsorũ Ordo anno inceperit?

[Certissimum habetur, quod Clementi IV. Pontifici Maximo euenit. Qui cùm Templarios, cœtum Religiosum, & diu bonum atque vtilem, Viennæ in Concilio damnasset, & in sodales ferro atque igne passim animaduertisset; vel, vt alij loquuntur, sæuiisset, à pluribus eorũ, vno præsertim Neapolitano Equite ad iudicium diuinum est appellatus, ita quidem vt Clem. Pontifex, & Philippus Rex Galliarum ad Tribunal superum citati intra annum se sisterent. Philippo Regi damnationes illæ fuisse bono putabantur. Templariorum bonis

Damnati ad Deum appellant.

An appellatio fuerit cassa?

bonis ad eum deuolutis & confiscatis. Neque vana fuit appellatio, nam intra tempus annuum, vno scilicet eodem anno 1314. tam Papa quam Rex obierunt. Clemens 20. Aprilis, Philippus 29. Nouembris. (Fulgosus Pontificem repentè obiisse tradit.) Quis neget geniale aliquid & diuinum hic interuenisse Supremo Numine conscisente?] Hæc ille Citationis verba ponit Iacobus Marchantius Horti Pastorum tract. IV. Propositione II. videlicet, *Quando inter mortales nullus mihi iam supereſt ad quem appellem, ad iustum Iudicem Christum, qui nos redemit appello, vt ante eius tribunal ante annum & diem vos sistatis, vbi causam meam exponam.*

Formula appellationis & citationis.

1849 Communitas Religiosorum in quâ omnes sint improbi, nõ datur.

Et Ego huius sancti Scriptoris testimonio animatus quid faciam? An non prò Cistercienſibus Equitibus ſtabo, arguamque de inclementia Clementem, de philautia Philippum? Sane ſi aliquos ipſi accuſant, hærebo; ſi vniuerſos, diſſentiam; me enim iudice dari Congregationem, cuius membra vniuerſa ſint mala, impoſſibile eſt. Non diffiteor inter ipſoſmet Apoſtolos fuiſſe Iudam, ſed vnum: & in ſanctiſſimis Congregationibus aliquos fuiſſe aut eſſe peſſimos non ignoro, ſed & ipſi ſunt pauci: at diluuij inundatio mundum, quòd corruperat viam ſuam, deletura, iuſtos inter peſſimos reperit, & hos ipſos humeris ſuſtulit, & ſaluauit, cùm reliquos de medio ſuſtulit.

Cum mali puniuntur, ſemper innocentes ſeruantur.

De Diluuio. De igne illapſo in Sodomas.

Cœleſtis ignis Sodomas deleturus iras cohibuit, ne Lotho & paucis iuſtis noceret, malens innumeris nefariis & ſceleratis hominibus propter iuſtos pauciſſimos ignoſcere; quàm ſceleratorum plurium pœnâ paucos iuſtos inuoluere: cohibuit, inquam, indignationem ſanctiſſimè conceptam, quouſque Lothi familia, quæ regioni erat clypeus, angelitùs monita diſcederet, & peccatores perditiſſimi perdi poſſent. Poſſibile, vt omnes vnius Ordinis Profeſſores, mali eſſent, credidit, à paucis hinc annis Galliæ Rex, & in PP. Ieſuitas incenſus, quos haberi voluit de fidelitate ſuſpectos coëgitque, vt ſolum exilio commutarent: at ipſe intra paucos dies ſui compos, oculos aperuit & vidit probabilius poſſe vniuerſorum innocentiam defendi; vniuerſorum culpam, ne probabiliter quidem poſſe adſtrui. Reuocauit tandem exules; in integrum iniuſtè condemnatos reſtituit, & augendo fauores & honores præſtitit, vt dici poſſent à calumnia felices. Vidimus in Hiſpania ſub Philippo III. Rege pio, impiè Patres Excalceatos traduci; inuidiamque (præter Carmelitanos, ſe tametſi magna maiores, in quos non auſa) Auguſtinianos, Trinitarios, & Mercenarios inſimulare relaxationis priùs, & criminum etiam poſteriùs. Actum in ſanctiore Catholici Regis conſilio, de eorumdem extinctione, actum de reductione; & in re ventilabatur ardua dictaminum ſumma oppoſitio. Erant, qui illorum innocentiam defenderent, puniendos actores decernerent, erant qui illos amarent, ſed remiſſius; adeoque tolerandos, & reformandos pronuntiarent. Erant, qui ſequiore opinione præuenti delẽdos, exinguendos; qui clementiùs ad mitigatos reducendos proponerent: &, vt verbo omnia exprimam, erat confuſum chaos, & ſumma animorum diſcordia. Vt igitur ſalubre ſumeretur conſilium communi omnium decreto rem totam, prout erat ſcriptis conſignata, ad Reuerendiſſ. D. Petrum Lorcam Ciſtercij Ordinis ſub illud tempus Coryphæum, & apud Complutenſes primarium Theologiæ Profeſſorem, deuoluunt, eiuſque Conſilium Regium, non tam conſilium, quàm iudicium aut ſententiam expectat. Recipit ille inuoluntario ſimilis arbitrionus, Deo cauſam, & ſe orationibus ſuorum commendans, reſoluit prudentiſſimè actionem illam contra Excalceatos Ordines inſtitutam talem, vt eſſe iniquam & inuidam poſſet euidenter oſtendi: quoniam, ſi aliquos ſuggillaret in particulari, rem fortè falſam, ſed euidenter poſſibilem obiiceret; at omnes reos agendo, ſe prodere; dari enim, vel vnum Ordinem relaxatum, qui multos viros ſanctos non habeat, impoſſibile eſt. Ex hac ergo generali doctrina multorum annorum experientia fundata reſoluit ſapientiſſimus Arbiter, Primò, *Non poſſe illos extingui*; Secundò, *Non debere ad mitigatos redigi*. Tertiò, *Non poſſe declarari tolerabiles ſub reformationis ſpe. Sed* Quartò, *Debere haberi & dici pios, bene formatos & moratos; cenſeri nihilominus ab inuidia & calumnia traductos: moneri vt ſi fortè vulgo, quod poſſibile, occaſionem aliquis dederit obloquendi, eumdem punirent regulariter.* Adquieuit Rex & ſummi Senatores prudentiſſimo Viri Optimi arbitrio; manſerunt confuſi maleuoli; & ſancti homines, qui oppetebantur à calumnia, in maiori, quàm antea, reuerentia & æſtimatione apud omnes. Et Ego his exemplis prædeterminor, vt omnes Templarios malos fuiſſe credere prudenter non poſſim: quòd, ſi ideò omnes condemnati dicantur, quòd pauci mali putarentur aut eſſent, ſententiam illam fuiſſe iuſtam crediturus non ſum. Pater enim non debet portare iniquitatem filij; nec propter fratris ſcelera poteſt iuſtè innocens damnari confrater; aut aliàs propter noſtra frater noſter Chriſtus iuſtiſſimè damnatus eſt. Sed cur hæc Ego? Iudices duo ſupremi (Summus Pontifex, & Chriſtianiſſimus Rex) à Templariis ad Dei infallibilis Iudicis tribunal ſtato termino citati, aduocati, comparare diuinitus iuſſi, videntur tacitè perſonare, fuiſſe in illa adhuc cauſa aliquid cui reſponderetur; non enim Deus citationem & appellationem admitteret, ſi aliena eſſet à veracitate. Sed quæ tacitè videntur dici, fortè ſubaudiri potiùs quàm audiri dicenda, hoc alij examinent; Tu verò, Lector candide, ad Regulæ, cuius hæc ſunt occaſione dicta, textum contemplandum progredere.

Tempeſtas in Ordines Excalceatos mota in Hiſpaniâ ſub Philippo III.

Causa ad M. Lorcam remittitur.

M. Lorcæ Reſolutio.

Admittitur à Senatu Regio.

An omnes Templarij fuerint mali?

Cùm accepero tempus, inquit Deus, *Ego Iuſtitias iudicabo.*

Sed inquiris, Cur ea ipſa, cùm à Diuo ſit ſcripta Bernardo, S. Benedicti Opuſculis debuerit adiungi? Et reſpondeo, me illius hic meminiſſe, non vt exponatur, ſed vt Regulam & S. Patris Opuſcula vniuerſa dilucidet, multa enim in ipſa per analogiam poſita, quomodo Doctor Mellifluus Regulam intellexerit, haud obſcurè teſtatur. Singula enim, non ſolum ad mentem D. Benedicti, ſed eiuſdem ferè verbis ſolet pronunciare; nam vt alias prætereamus, videtur mihi hæc periodus, *Omnibus in primis ſermo noſter dirigitur, quicũque*

Ex Templariorum Regulæ textu colligitur quomodo S. Bernardus S. Benedicti Regulam intelligebat.

Melleus Doctor ex Regulâ S. Benedicti non solùm sententias, sed & verba desumit.

proprias voluntates sequi contemnunt, & summo ac vero Regi militare animi puritate cupiunt, vt obedientiæ armaturam præclaram adsumere intentissima cura implendo præoptent, & perseuerando impleant, esse similis isti. *Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuncians propriis voluntatibus, Domino Christo vero Regi militaturus, obedientiæ fortissima atque præclara arma assumis.* Et ex collatione infero primò, quid respondendum sit interrogantibus, An D. Benedictus *voluntatibus* scripserit, an *voluptatibus*, quoniam asserente Balduino Moreau, qui triginta aut amplius contulit exemplaria, priori lectioni fauent impressi libri, & manuscripti posteriori? Infero, inquam, D. Benedictum de voluntate & non de voluptate egisse, quoniam *abrenuntiare propriis voluntatibus*, D. Bernardo est, *proprias voluntates contemnere.* Infero etiam *armorum* nomine non intelligi debere offensiua, quoniam Mellifluus Doctor apponendo *armaturam* docuit nos, neminem iustè offendi posse, quod Decalogo & Regulæ magistræ bene obedias, quoniam obedientia tametsi armata lege, caret armis quibus nocere possit; non caret tamen, quibus possit actiones suas, etsi ab æmulis carpantur, defendere.

Ex D. Bernardo litera Regulæ S. Benedicti restituitur.

An *arma* apud S. Benedictum sint offensiua?

Cum igitur Templariorum Regulam esse vtilem Benedictinæ intelligendæ demonstrauerim, video te amore & sancta nescio qua ambitione succensum illam desiderare. Nec ego totam, licet sæpius reperiatur impressa, sed dilucidabo solummodo periodos illas, quas iudicabo necessarias. Titulus igitur Regulæ est.

Cur non totam Regulã Templariorum illustrẽ?

REGVLA PAVPERVM, Commilitonum Christi, Templique Salomonici.

Horum Religiosorum nomina.

Hinc patet huius militiæ Professores nominari, *Commilitones Christi, Templi milites.* sed communiore nomine *Templarios.*

PROLOGVS.

1850 IN ipso S. Bernardus periodis ex Regulâ Benedictinâ assumptis Templarios ad virtutem hortatur, & huius militiæ exordium describit hisce verbis.

Ordinis exordium.

Nos ergo cum omni gratulatione ac fraterna pietate precibusque Magistri Hugonis, in quo prædicta Militia sumpsit exordium cum Spiritu sancto intimante ex diuersis Vltramontanæ Prouinciæ mansionibus in solemnitate S. Hilarij anno M.C. XXVIII. ab incarnato Dei Filio, ab inchoatione prædictæ militiæ nono, ad Trecas, Deo duce in vnum conueniens, & modum & obseruantiam equestris Ordinis per singula capitula ex ore ipsius Magistri Hugonis audire meruimus, &c. Qua authoritate & Concilium illud coactum, & Regula approbata aut potiùs data fuerit, subiungitur, his verbis, *Non leuitate, sed consulta prouidentiæ & discretione venerabilis Patris nostri Honorati ac inclyti Patriarchæ Hierosolymitani Stephani... nec non Pauperum Commilitonum Christi consilio communis Capituli vnanimiter commendauimus.* Vbi nota hanc Regulam trium consensu fundari; nimirum Summi Pontificis, sine quo canonica esse non potuit: Patriarchæ Hierosolymitani, qui audiendus erat: & ipsorum Religiosorum, qui inuiti non poterant strictiùs aut rigorosiùs obligari. Sanè D. Bernardum fuisse huius Regulæ authorem testatur Concilij Secretarius in fine Prologi hisce verbis, *Ego Ioannes Michaelensis, præsentis paginæ iussu Concilij ac Venerabilis Abbatis Claræ vallensis* (S. Bernardum subintelligit) *cui creditum ac debitum* (fortè *deditum*) *hoc erat, humilis Scriba esse diuina gratia merui.*

Quorum authoritate Regula fuerit scripta & approbata?

An illam S. Bernardus composuerit?

SECTIO II. PROLOGI.

Nomina Patrum residentium in Concilio Trecensi.

1851 DE hoc Concilio in Chronico Cisterciensi Aubertus Miræus ad ann. 1128. his verbis. [Trecis in Gallia habitum est Concilium à plurimis Episcopis & Abbatibus, Ordinis præsertim Cistercienſis, vt à Stephano Cistercienſi, Hugone Pontiniacenſi, Bernardo Claræuallenſi, & aliis, In quo Concilio Militibus seu Equitibus Templariis Regula & vestis alba est adsignata. Meminit huius Concilij Guil. Tyrius *lib. 12. de bello sacro cap. 7.* sed perperam ibi, vt in tomis Conciliorum à Seuerino Binio Coloniæ editis legitur *Concilium Cretense* pro *Trecense.* Idem Binius authoritatem Baronij sequutus hoc Concilium anno 1117. celebratum tradit, ex Guilielmo Tyrio, malè; vt arbitror, intellecto.]

De Concilio Trecensi.

Quo anno sit celebratum?

CAPVT I.

Qualiter Diuinum officium audiant.

CAPVT II.

Quot Orationes dominicas, si audire nequiuerint, dicant.

1852 SIcut de audienda Missa datur lex, quæ vniuersos obstringit, sic etiam hic lego specialem sanctionem de audiendo Canonico Officio. Conueniunt hæ duæ leges, primò in hoc, quòd vtraque de audiendo sit, secundò etiam in hoc, quod sicut Missam non tenetur audire ab alio Sacerdos qui illam legit, sic etiam non tenetur Templarius Horas audire, quas velit ipse legere; nempe aut secundum rubricas Cistercienſis Breuiarij, aut saltem iuxta huius secundi Capitis institutionẽ.

Templarij Diuinũ Officium audire tenebantur.

1853 Sed inquiris. *An ad auditionem aut lectionem sub mortali fuerint obligati?*

An hæc obligatio fuerit grauis?

Et ego respondeo negatiuè; & ratione fortissima persuadeo. Nam strictiùs omninò tenentur ad Officium diuinum Moniales, & Iuniores nostri Ordinis, quàm Equites; at hi non tenentur grauiter: ergo nec illi. Minorem probo *num. 1343. & 1775.* F. & *1844. liter.* F. §. *Eugenius.* Cæterùm hæc ratio nihil probat in opinione illorum, qui Moniales & Iuniores obligari pronunciant: nam hæc propositio, *Iuniores & Moniales non tenentur*, est nimis vniuersalis; & nisi contrahatur,

non

non est vera : vt benè Censores Romani sub ann. 1655. adnotabant.

An Equites Religiosi, qui Commẽdam habent, teneantur ãd Officium Diuinum?

Hinc patet Equites (nisi fortè ratione prouentuum particularium, quos *Commendam* vocant, aliqui teneri dicantur; de quo nihil definio) ratione habitus & professionis ad Officium diuinũ nõ teneri. De Equitibus S. Iacobi id docet expresè Th. Sanch. *in Consiliis*; & de reliquis pariformiter debet philosophari.

An Religiosi satisfaciant Officiũ Diuinum auscultando?

Inquiris etiam, *An Religiosi Benedictini satisfaciant audiendo canonicas Horas?* hoc est, *An ille, qui interfuit horis, si non legit, teneatur omissa resumere, an verò sufficiat audiuisse?*

Respondeo omnes omninò Franciscanos ad priuatam lectionem teneri : de aliorum Ordinum Religiosis varia esse Theologorum iudicia : Eugenium tamen Pontificem magnum declarasse Benedictinos, nondum ad Ordines maiores promotos, non teneri moraliter ad lectionem auditionemve. Addo Promotos ex præcepto teneri ad lectionem suæ partis iuxta ea quæ superiùs notauimus, num. 1380. & 1383. Subiungo tamen ratione Priuilegij benignius multò obstringi; quoniam Leo X. concessit Fratribus Minoribus, vt possint satisfacere Officio Diuino dicendo mentaliter : ergo legendo intra se, vel audiendo, modò attentè. Quod nos & multi etiam alij Religiosi possumus participare.

An mentaliter illud legendo? Vide *num.* 1844. *liter. C.* §. *Idem Leo.*

CAPVT III.

Quid agendum sit pro Fratribus defunctis.

De suffragiis pro defunctorum animabus.

QValiter Cistercienses ad Missas defunctorum teneantur declarauit Generale Capitulum ann. 1618. vide n. 1767. & 1844.

CAPVT IV.

Capellani victum & amictum tantùm habeant.

1854 De oblationibus, ad quos illæ pertineant?

IN Ecclesia N. subdita Monasterio Mariennensi, magnæ oblationes fieri solent, & quæritur, *An illæ necessariò ad Capellanos pertineant? an omnes debeant fabricæ Ecclesiæ appropriari? an tandẽ possint cedere Monasterio?*

Respondeo Capitis IV. Regulæ Templariorum ad litteram subscribendo. *Capellani*, ait Legislator Mellifluus, *victum & vestitum tantùm habeant; alias verò oblationes, & omnia eleemosynarum genera, quoquo modo fiant, Capellanis vel aliis ad tempus manentibus, vnitati communis Capituli reddere peruigili cura præcipimus. Seruitores itaque Ecclesiæ victum & amictum secundum authoritatem* (hoc est qualitatem suam) *tantum habeant, & nihil amplius habere præsumant nisi Magister sponte charitatiuè dederit.* Sensit ergo D. Bernardus eleemosynas pertinere ad Communitatem, cui subest Ecclesia; nimirum, daturam victum amictumque famulis, quos in ministerio occupauerit.

CAPVT V.

De militibus Defunctis.

1855 Cibi, quos mortuus deberet comedere, erogãtur pauperibus.

IVbet, vt portiones, quas ille deberet septem diebus comedere, dentur pauperibus. Nos id facimus diebus triginta.

CAPVT VI.

Vt nullus frater remanens oblationem faciat.

Quomodo milites orare debeant?

PRiuatas oblationes inhibet, orationes concedit, non enim grata Deo munera à priuatis Religiosis contra obedientiam data. Declarat optimè illum orare pro fratre occiso, qui illius exemplo paratus est animam pro Ecclesia & Patria ponere, si fuerit necessarium.

CAPVT VII.

De immoderata statione.

1856 Quales communes leges esse debeant?

HOc Legislator Capite statuit, leges communes debere tales esse, quæ possint à cunctis seruari; vnde ait, *Auribus nostris verissimus testis insonuit, videlicet immoderata statione, & sine mensura stando diuinum Officium vos audire.* (quid leuius? nota leges sanciendi suauitatem) *ita fieri non præcipimus, imò vituperamus; sed finito Psalmo,* & Venite exultemus Domino, *cum Inuitatorio & Hymno, omnes sedere, tam fortes quàm debiles, propter scandalum vitandum nos iubemus.* Vituperatur ergo à Mellifluo Doctore non lex modo, sed etiam consuetudo, quæ debilibus nimis onerosa videatur, mauultque fortes citra vires, quàm debiles supra vires impendi.

Leges debent omnibus attemperari : vnde puer, etsi fortis sit ante annũ 21. ad ieiunia Ecclesiæ non tenetur.

CAPVT VIII.

De Refectione Conuentus.

An signis loqui debeant?

VT omnes simul in vno loco comedant, & silentium obseruent præcipit, & quia signorum Regularium ignari, si quid necessarium fuerit leniter & priuatim, hoc est, suppressa voce, & quæ ab omnibus audiri nequeat, postulare concedit. Locum, in quo omnes comedunt *Palatium* aut *Refectorium* dici constat ex prima linea. Sanè à reficiendo Refectorium, à palato Palatium. Et fortasse nullibi aliàs hæc vox *Palatium*, in tali accipitur significatione.

Palatium, quid significet, & vnde dicatur?

CAPVT IX.

De lectione.

1857 An lectio à mensa Ecclesiasticorũ abesse possit?

HOc caput Ecclesiasticorum, & Religiosorum Sacerdotum non paucas mensas arguit; quod lectione careant, qua militum mensam Mellifluus Doctor carere non voluit.

CAPVT X.

De refectione carnis.

De comestione carnium.

CArnes trib. dieb. singularum hebdomadum, nec non festis Pascha, & Natalitia Domini immediate sequentibus, Beatæ Mariæ Virginis solemnitatib. & festo omnium Sanctorum, nisi aliàs ab Ecclesia interdictis, carnes concedit.

An præstet ter in hebdomada carnibus vesci, quàm semper abstinere?

Experientia docuit hoc obseruantiæ genus esse valetudini conseruandæ aptum, & quia videbatur dictamini Mellifluj Legislatoris consonum, acceptatum fuit à Cistercien sibus,

& à ferè omnibus Benedictinis. Multi mores antiquos restituendos desiderant, multi iuniores retinendos, & quia pro vtraque parte grauia sunt rationum momenta, hanc ego alibi quæstionem radicitùs examinabo.

CAPVT XI.

Qualiter manducare Milites debeant.

1858 Furtiua ieiunia sunt mala.

QVando communi mensæ assidere non possunt, singulos seorsim prandere non permittit. Sed cur? Sanctus ipse respondeat. *Duos, & duos manducare generaliter oportet, vt solerter vnus de altero prouideat, ne asperitas vitæ vel furtiua abstinentia in omni prandio intermisceatur.* Censuit igitur S. Bernardus melius esse cibos positos comedere, quàm furtim & sine Superioris licentia ieiunare: & optimè, nam primus actus fragilitatis est, aut si manelis, leuis nonnunquam gulæ, at superbiæ pernicioſæ posterior.

CAPVT XII.

Vt aliis diebus duo aut tria leguminum fercula sufficiant.

Quid sint *Pulmentaria* in Regulâ S. Benedicti?

ALios dies vocat illos, quibus non liceat carnes edere; nimirum feriam secundam, quartam, sextam & sabbatum. Et quid D. Benedictus CAP. XXXIX. intellexerit pulmentariorum nomine indigitat his verbis, *Duo aut tria leguminum vel aliorum ciborum* (puto piscium) *fercula, aut vt ita dicam, cocta pulmentaria omnib. sufficere credimus.* Putauit igitur S. Bernardus herbas coctas *Pulmentarium* vocari, & D. Benedictum non iussisse vt præter legumina duæ piscium apponerentur scutellæ, sed quod duæ solùm apponerentur; videlicet, aut vtraque ex leguminibus quod durius; aut vtraque ex piscibus, quod laxius, aut tandem altera ex leguminibus, altera ex piscibus quo videretur conuenientius.

CAPVT XIII.

Quo cibo feria sexta reficere oportet.

1859 An die veneris Monachi comedant lacticinia?

QVadrageſimalem concedit, & insinuat Monachis tali fuisse die lacticinia interdicta; cur enim aliàs S. Pater caueret militi, quæ concedebantur Sacerdoti?

CAPVT XIV.

Post refectionem semper gratias referant.

De gratiarũ actione post mensam.

ET in Ecclesia præcipit, si permiserit locus & tempus. Non est expressa in Regula hæc gratiarum actio, at omitti non debet. *Gratias, vt decet,* ait Bernardus, *cum humiliato corde referre inenodabiliter præcipimus.* Igitur si Milites ab hoc onere enodari non possunt, Religiosi non debent.

CAPVT XV.

Vt decimus panis semper Eleemosynario detur.

1860 Quãtæ eleemosynæ pauperibus sint erogandæ?

PRæter fragmenta, quæ Capite præcedenti erogari pauperibus voluit, in hoc decimam partem illis cedere præcipit. Cùm igitur hac Milites lege obstringi voluit, Cistercij & Clara-valle multò plura pauperibus data, quis neget? Stat igitur dedecere Cistercienses Abbates, Melliflui Doctoris discipulos, auaritiam tenacitatémque, sed debere singulos vltra prouentuum partem decimam erogare pauperibus, aut permittere, quod illos Templariis militibus minùs obseruantes dicamus.

CAPVT XVI.

Vt collatio sit in arbitrio Magistri.

De Cistercienſiũ Militum & Religioſorum collatione.

COncedit, vt si Magister iudicet expedire, possit in collatione aut aquam puram aut vino misericorditer temperatam concedere, & docet Monachos non debere laxiorem sumere, quàm solebant homines militares. Hodie apud Hispanos Cistercienses satis rigida & austera est Collatio: dantur paucæ nuces sine pane, aut si benigniùs parum panis sine nucibus, & aqua vinumque conceditur, pro singulorum arbitrio aut deuotione temperanda.

CAPVT XVII.

Vt finitis Completis silentium teneatur.

De silentio.

CORresponder Capiti XLII. Benedictinæ Regulæ, vbi ne quis loquatur post Completorium præcipit S. Benedictus.

CAPVT XVIII.

Vt fatigati ad matutinas non surgant.

An fatigatos agere supra vires sit laudabile?

MElliflui nostri Patris benignitas constat ex periodo sequenti, *Fatigatos milites,* ait, *non ita, vt vobis est manifestum, surgere ad Matutinas collaudamus.* Vituperat igitur illos, qui supra vires frequentant actus Communitatis; & concedere videtur licentiam Superioribus, vt & fatigato Religioso Matutinorum tempore in lecto manere permittant. Illis autem, qui quiescere permissi, orationes constitutas sic recitare consulit, *vt mens ipsorum voci concordet,* iuxta Caput XIX. Regulæ S. Benedicti.

CAPVT XIX.

Vt communitas victûs inter Fratres seruetur.

1861 An in rerum distributione sit æqualitas, an potiùs proportio obseruanda?

DEsumptum est ex trigesimo quarto Benedictinæ Regulæ, in quo exponitur. Debeant-ne omnes æqualiter necessaria recipere? & commendans geometricam analogiam, arithmeticam æqualitatem condemnat, subueniendum enim vnicuique est pro necessitate cuiuscumque. Clauditur caput istis verbis. *Hoc autem prohibemus, vt nulli immoderatam abstinentiam amplecti liceat, sed communem vitam instanter teneant.* Immoderatam nominat, quæ irregularis, quæ inconsulto, aut contradicente Superiore.

CAPVT

CAPVT XX.

De qualitate, & modo veſtimenti.

Omnes vno vtentur colore. Sed quo?

HInc video quinquageſimum quintum Benedictinæ Regulæ iam eiſdem iam ſimilibus verbis reſcriptum, ſed quia de colore nihil S. Benedictus ſtatuit, quid S. Bernardus diſpoſuerit, audiamus. *Veſtimenta*, ait, *vnius coloris ſemper eſſe iubemus verbi gratia, alba, vel nigra, vel, vt ita dicam, burella. Omnibus autem Militibus profeſſis in hyeme, & æſtate, ſi fieri poteſt, alba veſtimenta concedimus, vt qui tenebroſam vitam poſtpoſuerint, per liquidam, & albam ſuo conditori ſe reconciliari agnoſcant. Quid albedo, niſi integra caſtitas? Caſtitas ſecuritas mentis, ſanitas corporis eſt. Niſi enim vnuſquiſque miles caſtus perſeuerauerit, ad perpetuam requiem venire, & Deum videre non poterit, teſtante Apoſtolo Paulo*, Pacem ſectamini cum omnibus, & caſtimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum.

Albo, nigro, aut burello.

Quàm ſit neceſſaria caſtitas?

CAPVT XXI.

Quod famuli veſtimenta alba, hoc eſt, pallia non habeant.

1862 Famuli ab heris debent veſte diſtingui.

ET duæ huius Sanctionis occurrunt rationes; duo motiua. Primò enim rationi conſentaneum videtur famulos ab heris diſtingui; Secundò cùm facilius ſit mentiri perſonam famuli, quàm heri, expedire videtur, vt dominorum ſit ſecurior opinio, nec ita latronum transfigurationibus obnoxia. Hoc ipſum bene exponit Bernardus, cùm ait, *Surrexerunt in Vltramontanis partibus quidam pſeudofratres, & coniugati, & alij dicentes ſe eſſe de Templo, cùm ſint de mundo. Hi nempe tantas contumelias, totque damna Ordini militari adquiſierunt, & clientes remanentes plurima ſcandala oriri inde ſuperbiendo fecerunt.* Et fortè propter ſimiles homines Ordo poſteà infamatus, & extinctus.

Multi ſe eſſe Templarios mentiti, ſuis criminibus innocentem Ordinem infamarunt.

An Monachorum & Conuerſorũ veſtes eſſe debeant diuerſæ?

Hinc patet ad D. Bernardi mentem Conuerſos, ſeu Fratres laicos, (qui famuli religioſi ſunt) debere habere veſtem, qua à Choriſtis diſtingui poſſint; non enim ita ingenuæ domui præiudicat error, qui à famulo commiſſus, quàm qui à domino.

CAPVT XXII.

Quod milites Remanentes tantùm alba habeant. XXIII. Vt pellibus tantùm agnorum vtantur. XXIV. Vt vetuſta armigeris diuidantur.

Quid veſtes candidæ ſignificent. Vide c. 20.

HIs tribus Capitibus de veſtibus ſpecialiùs diſponit. Animorum candorem vult S. Pater in veſtibus repræſentari. Pellium ſuperbiam, & raritatem interdicit; multæ enim nimis pretioſæ ſunt, nec pauperibus aptæ: armigerorum etiam, qui famuli ſunt militares, curam habet, ipſoſque iubet externis pauperibus præponi; ſic enim ait. *Veteres* (veſtes) *ſemper armigeris, & clientibus, & quandoque pauperibus..... intendat erogare.*

Pauperes domeſtici exteris anteponendi ſunt.

1863 Hinc ſatisfit Quæſtioni facili, ſi ſincerè tractetur, ad difficultates tamen redactæ propter Prælatorum imprudentiam, inquirenti nimirùm: *An Epiſcopi, Abbates, & Prælati quicumque, poſſint Eccleſiarum ſuarum bona donare cognatis?* Et quidem ratio dubitandi firmatur oppoſitis exemplis; Vidi enim homines ergà externos, aut liberales, aut ſi ſincerè loquar, prodigos, erga cognatos auaros, & crudeles: & vidi etiam oneratos cognatis, Religioſis ſuis neceſſaria negantes, vt conſanguineis poſſent miniſtrare ſuperflua. At vtrique damnandi, virtus enim conſiſtit in medio, & extrema non amat.

An Epiſcopi poſſint ſuos cognatos ditare?

Reſpondeo igitur Superiorem in eleemoſynarum, & donationum materia debere *primò* ſe accommodare ſui Ordinis, & Eccleſiæ ſtatutis; pietas enim, quæ contra Regulam, aut ſtatuta Ordinis, non eſt ſecundum Deum. *Secundò* exiſtimo omnibus peregrinis pauperibus, Religioſorum cognatos, iſtiſque Monaſterij famulos iri præpoſitum. Et ratio eſt, quia erga famulos ex iuſtitia, erga cognatos, & peregrinos ex mera Charitate tenemur. Et Iuſtitia ſemper Charitatem præcedit. Inter opera tamen Charitatis illa videntur Deo gratiora, quæ ſimiliora ſunt Iuſtitiæ, & talia ſunt, quæ cognatos reſpiciunt, & affines. At monendus Superior, ne erga hos ipſos limites clementiæ pertranſeat: pertranſibit, ſi erogarit ſuperflua: & ſuperflua erogabit, ſi vel obolum non indigenti. Cognati pauperes, ſi mediis careant, habent ſaltem pedes, manuſque & poſſunt in Monaſterio impendi; nec eſt dicendus pauper, qui nihil habet, ſi laborare, & lucrari neceſſaria poſſit: qui enim vacanti otio ſpontaneo ſubminiſtraret alimenta, erraret proculdubio, illum in otio, & in hoc vitia ſubſequentia fouendo.

De ordine charitatis erga pauperes. Qui ſint cæteris anteferendi?

Virtus ſine prudentiâ non datur.

Sed quia audis, Patrem, Matrem Prælati poſſe ali ex bonis Monaſterij ſecundum qualitatem ſuam, interrogas, *An hoc ita intelligi debeat, vt alantur tanquam parentes Epiſcopi aut Abbatis; an vero ſecundum qualitatem illam, quam ipſi habebant, antequam filius promoueretur.*

Quid ſit parentes ſecundum ſuam qualitatem alere?

Reſpondeo hunc vltimum ſenſum admittendo. Alitur igitur mechanicus ſecundum qualitatem ſuam, ſi impenditur, quamdiu poteſt operari, nec reperit quid operetur; aut ſi operari nequeat, ſi dentur illi cibi quales ſolebat habere quando operabatur.

Sed quia hic datur occaſio rem altius examinandi, nec antea data, aut in poſterum danda, doceri vis, *Quid facere debeat Religioſus, cuius Pater, Mater, aut Conſanguinei, ad paupertatem redacti non habent à Monaſterio victui & amictui neceſſaria? an ipſe egredi poſſit, vt illorum indigentiæ ſubueniat?*

An Religioſus egredi poſſit vt parentes nutriat.

Reſpondeo Religioſum nec debere nec poſſe egredi ex Monaſterio propter neceſſitatem Conſanguineorum aut Affinium, imò neque propter miſeriam, & paupertatem Fratrum; his enim nec vitam, nec commoditatem vllam ex rei natura debet. Et ſubiungo erga Parentes dari rationes ſpeciales, illis enim vitam alimenta, & educationem debemus.

An, vt conſanguineos?

Propter Parentum ergo inopiam non tenebitur *Primò*, ſi ipſe incapax ſit, qui poſſit illam

Qui reſpectu parẽtum excuſentur.

illam ſubleuare. Noto tamen incapacitatem eſſe duplicem; videlicet morum & ſcientiæ. Prima laboraret, qui ſine æternæ damnationis proximo & euidenti periculo eſſe extra monaſterium non poſſet. Secundâ, qui careret induſtria, qua poſſet neceſſaria lucrari: Simplex enim Sacerdos, qui nullam artem ſcit, miſſarum ſtipendio victurus, alienis egebit eleemoſynis, nec poterit fauere Parentibus. Hunc igitur ab obligatione egrediendi ex ſuo Monaſterio liberat ignorantia, & iuuandi impotentia; qui enim non poteſt, non obſtringitur. *Secundò*, in Monaſteriis, quæ non ſuccedunt in hæreditate, qualia vbique Capucinorum ſunt, & in multis locis vniuerſa, non datur obligatio ſuſtentandi parentes, hæc enim hæredi neceſſariò incumbit. Rationi enim eſt abſonum Ioannem eſſe tibi hæredem neceſſarium, ſi diues ſis; & ſi depaupereris, nullo tibi titulo, aut obligatione teneri. *Tertiò*, in Monaſteriis, quæ ſunt hæredes ex triente (multa ſunt talia) non poteſt maior eſſe quàm ſubtripla obligatio, quam ob rem in tali caſu ſatisfaceret Monaſterium, ſi tertiam partem congruæ ſuſtentationis contribueret, & alias duas tertias partes ſœcularis ille hæres, qui deberet neceſſariò ſuccedere. Hic omnia videtur poſtulare æquitas, & moralis filiatio; quia cùm Iuris naturalis ſit, vt filij in hæreditate ſuccedant [aut aliàs debile eſt Pauli illud argumentum, *Filij, ergo hæredes.*] vbi moraliter incipit aliquis eſſe: non-hæres, incipit moraliter eſſe non filius, & eo ſenſu, quo incipit eſſe ſemi-hæres, incipit eſſe ſemi-filius.

Inepti, & artium ignari.

De Monaſteriis, & Religioſis, qui in hæreditatem non ſuccedunt.

De iis, quæ ex triente ſuccedunt.

An filij ex naturâ rei ſint hæredes?

1864 Igitur, vt poſſit egredi Religioſus, vt alat ſuos Parentes, requiritur, vt ipſi verè in graui ſint neceſſitate [conſultò *in graui* dixi: quoniam homini conſtituto in extrema non Filius ſolus, ſed & quicumque ethnicus debet opitulari.] quòd Monaſterium ſit ex aſſe hæres, & nolit illos ſecundum eorumdem qualitatem tractare: & tandem ex parte Religioſi egreſſuri, quod ſit talis, qui poſſit lucrari neceſſaria Parentibus, ſine æternæ damnationis periculo, aut communis authoritatis detrimento.

Colliguntur omnes cauſæ, ob quas poſſit Religioſus, vt alat parentes, exire.

Hæc omnia ſpeculatiuè vera ſunt: &, ſi fiant, vt in ſpeculatione ponuntur, etiam licita, aut obligatoria. Sed quomodo reducuntur ad praxim? Nunquam vidi Religioſum probum & bonum, cuius Parentes ſuo egreſſu indigerent. Boni ſciunt illos alio modo iuuare; & Monaſteria malunt ſubuenire illis, quàm pio & docto Religioſo carere. Qui ergo ſunt, qui has licentias ſolicitant? Dyſcoli: quos tædet clauſuræ monaſticæ, & vitam libertinam deſiderant. Poſſem id exemplis non paucis probare: imò volebam hîc vnum aut alterum nominare, quorum dimiſſionem ſolicitaui & obtinui, ab amicis rogatus; & ita proceſſerunt extra clauſtrum, vt debuerim iterum ſolicitare, vt reuocarentur. In praxi res non bene fluit: ergo Prælati omnes maturè circumſtantias conſiderent, antequam ob eiuſmodi cauſam egrediendi ex Monaſterio licentiam concedant alicui.

De praxi. An hæc doctrina, quæ ſpeculatiuè bona eſt, bene ſoleat mandari praxi?

CAPVT XXV.

Vt cupiens optima, deteriora habeat, XXVI. Vt quantitas, & qualitas veſtimentorum ſeruetur. XXVII. Vt dator pannorum æqualitatem ſeruet.

ISta tria Capita, ſicut & præcedentia ſunt illuſtrationi quinquageſimo-quinto Regulæ S. Benedicti: vbi obſeruari velim, vt qui ſartoribus, & cellerariis nimia ſunt curioſitate moleſti, deteriora, deformiora, & viliora reciperent, vt vel ſic remitterent vanam curioſitatem.

De his, qui nimis curioſi ſunt.

CAPVT XXVIII.

De ſuperfluitate capillorum. XXIX. De roſtris, & laqueis.

LEgant modeſti Monachi; nam ſi Bernardo placent milites capillorum incurij, placere non poterunt Religioſi curioſi. Eram Francandaliæ anno 1644. dum circumſederetur ab hoſte: & inter Centuriones illi, quibus cura publica non erant commiſſa, calamiſtratis crinibus ornabantur: at Chiliarchæ & cæteri, qui ſaluti publicæ inuigilabant, erant intonſi, impexi, velut vrſi. Nimia crinium & veſtium cura otioſi hominis eſt: qui enim grauioribus rebus ſtudent, quod ſe ornando conſumant, tempus non habent. Optimus miles fuit Iulius Cæſar, nec vnquam tempus habuit, vt togæ plicas componeret, & cingulum decorè ſtringeret: vnde celebrari ſolet illud Catonis Monitum, *Cauete à Iuuene malè præcincto.*

De cæſariei cultu.

Crinium & veſtium curas negligûr, qui altioribus rebus intenti.

CAPVT XXX.

De numero equorum, & armigerorum. XXXI. Vt nullus armigerum gratis ſeruientem.

PAupertati militari conſulens, tres vnicuique militi equos concedit; alterum pro famulo, duos pro domino, & ſatisfacit illi Quæſtioni, quæ inueſtigat: An famuli percuti poſſint? nam cum exceptio firmet Regulam in contrarium, qui ſtatuit non debere percuti Armigeros, qui ex deuotione ſeruiunt, videtur ſatis clarè docere conductos pretio poſſe corripi intra terminos modeſtiæ, & prudentiæ: nimirum, itavt correptio nec moraliter ignominioſa ſit, nec phyſicè nimis acerba. Primo enim modo excederet Eques, quia Armigerum more puerili flagellaret; ſecundo, qui aut caput frangeret, aut grauiter membrum aliquod læderet.

An famuli, ſi malè ſeruiãt, poſſint percuti?

CAPVT XXXII.

Qualiter ad tempus remanentes recipiantur.

EX hoc capite conſtat, Templarios bifariam militiam profiteri ſolitos; nimirùm, perpetuam, & ad tempus; & de profeſſis ad tempus agit S. Bernardus in hoc capite, & Tu inquiris: An in vita Monaſtica poſſet hæc varietas admitti? hoc eſt: An poſſet aliquis ſolem

1866 An aliqui Templarij profiterentur ad tempus?

solemniter profiteri se victurum secundum Benedictinam, Franciscanam, aut quamcumque aliam Regulam decennio, aut quocumque alio tempore determinato?

Oratoristæ votis carent.

Respondeo *laudando* Oratoristas, & Begginas (vtrique in Belgio florent) apud quos nemo detinetur inuitus: Professi Religiosi non sunt; agunt tamen vitam communem, piam, & commendabilem, & sunt optimo exemplo Reipublicæ. *Addendo* solemnia vota, quæ hodie fiunt, perennitatem tanquam solemnitatis circumstantiam inuoluere, sine qua non essent valida, non enim alia, quàm perpetua vult Ecclesia solemnia nominari. *Subiungendo* posse Ecclesia instituere nouam Religionem, in qua ad tempus vota distinguantur; & hæc esset multò imperfectior institutis, non tamen minus vtilis, præcipuè, si ex illa ad perpetuas promouerentur. Quid, si dixero, Nouitios ex Benedictinæ Regulæ præscriptos vota eadem emisisse, quæ nos, sed ad tempus; hoc est, aut seruanda illo anno, aut quod verosimilius quadrimestri? Sanè magnam lucem dedero difficultatibus grauissimis, & consonuero veterum moribus, & Regulæ magistræ contextui. Vide quæ superiùs dicta *num*, 521. *ad Caput LVIII.* & hinc intellige, & concilia veteres, qui circumstantiam mutantem speciem in nouitij fornicatione repererunt. Huc pertinere possunt Religiosi Societatis Iesu, nondum solemniter professi: qui per votorum simplicium emissionem veri Religiosi redduntur; & tamen cùm legitimè dimittuntur, ab illis votis liberantur. Vouent igitur non absolutè pro totâ vitâ: sed quamdiu fuerint in Societate.

Monachi perpetuis obstringuntur.

An possint alij inter hos & illos medij institui, qui vota distinguant ad tempus?

De Nouitiis nostri Ordinis. An vota emiserint ad 4. menses?

An vota, quæ in societate emittuntur, perpetua sint?

An matrimonia temporanea repugnent?

PEtis, *Vtrùm hinc ad matrimonium possit argumentum deduci?* videlicet, *Vtrùm aliquis vxorem ducere possit ad tempus?*

Respondeo illam Thomistarum sententiam, quæ docet matrimonia esse necessaria & perpetua ex naturâ rei, me nunquam potuisse intelligere: nam, qui vel omnia matrimonia tolleret, aut temporanea subrogaret, non teneretur duo admittere contradictoria. Dantur matrimonia, quia illa Deus liberè instituit: sunt perpetua, quia Institutor (Deus) esse perpetua liberè voluit: matrimonio opponitur polygamia, quia Deus liberè iussit, vt vnus non nisi vnicam duceret: vnde Gentes, quæ hanc institutionem ignorarunt, sine Philosophiæ præiudicio aliter de matrimonio disposuerunt: & nostro æuo Abas Persarum Rex, in suis regnis polygamiam à Prædecessoribus institutam retinuit, & matrimonia triennalia aut quadriennalia esse voluit, vt Petrus de Valle recenset in suâ peregrinatione per Persidem: & tamen, licèt multi ex Sacrâ scripturâ hæc omnia meritò condemnarent; nemo proposuit Philosophicam demonstrationem, quâ Abatem Persasque de errore naturali conuinceret.

***

Cur dentur matrimonia? cur sint perpetua? & cur sit illicita polygamia?

CAP. XXXIII.

Quòd nullus iuxta propriam voluntatem incedat. XXXIV. *Si licet ire per villam sine iussu Magistri.*

OBedientiam & clausuram his duobus Capitibus complectitur: & ad vtramque etiam teneri Monachos regulariter, manifestum est: quoniam præceptis sunt Prælatorum obnoxij, & egredi Monasterio non possunt sine Superioris licentia.

De obedientiâ & clausurâ.

CAP. XXXV.

Si licet eum (Militem Templarium) ambulare solum.

HIc moueri posset illa Quæstio, *An Religiosi debeant egredi soli, aut cum socio?* sed illam examinabo inferiùs *n.* 1972. nunc noto quoad Templarios D. Bernardum respondere negatiuè hoc est, solos non posse egredi.

1867 An permittì debeat, vt vnus Religiosus vadat solus?

CAP. XXXVI.

Vt nullus nominatim, quod ei necessarium erit, quærat. XXXVII. *De frænis, & calcaribus.* XXXVIII. *Quòd tegimen in hastis, & clypeis non habeatur.* XXXIX. *De licentia Magistri.* XL. *De mala, & sacco.*

REs omnes quærendas, procurandas pro communitate statuit S. Pater, & ex bonis communibus singulis subueniendum: pugnat enim aliquem esse solemni Paupertatis voto obstrictum, & nomine proprio aliquid possidere, vel quærere. Cætera, quæ adduntur obedientiam, resignationem voluntatis, & actionum concernere videntur modestiam.

De paupertate & proprietate.

CAP. XLI.

De legatione litterarum.

EXponit hic S. Bernardus quinquagesimum quartum Regulæ S. Benedicti. Et resoluit illud dubium, quod rogat: *An, qui litteras ex licentia Superioris receperit, teneatur exhibere Prælato? an verò recipiendi licentia sit etiam licentia litteras non ostendendi?* Verba Melliflui mei Bernardi hæc sunt, *Postquam licentiam Frater habuerit* (nimirùm, recipiendi, aut scribendi litteras) *in præsentia Magistri, si ei placet, legantur.* Monendi tamen Superiores sunt, vt illa, quæ in Epistolis legunt, retineant in secreto; sæpè enim honorem alienum tangunt, nec possunt vulgari sine culpa.

Quo Religiosi modo debeãt litteras recipere & mittere?

CAP. XLII.

De fabulatione propriarum culparum.

1868 Ædificare audientes nõ solet peccatorum narratio.

EXponitur Capitis LXVII. illa periodus, *Nec præsumat quisquam alio (aliis) referre, quæcumque foris monasterium viderit, aut audierit, quia plurima destructio est. Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subiaceat.* Nam cùm D. Benedictus quæcumque extra Monasterium visa, aut audita taceri iubeat, posset quis opinari etiam Bona, & quæ ædificare possent, similiter esse tacenda, cùm tamen D. Bernardus hoc caput de peccatis commissis, visis, aut auditis, quæ possint scandalizare alios, intelligat cui ego consonui *num.* 1648. e.

CAP. XLIII.

De quæstu, & acceptione. XLIV. *De manducariis equorum.* XLV. *Vt cambiare, vel quærere nullus audeat.*

1869 De Paupertate.

OMnia materiam Paupertatis concernunt, de qua satis fusè superiùs *à n.* 815.

CAP. XLVI.

Vt nullus auem cum aue (accipitre) *capiat, nec cum capiente incedat.* XLVII. *Vt nullus feram arcu, vel balliſta percutiat.* XLVIII. *Vt Leo semper feriatur.*

De venatione & aucupio.

COncernunt, & ista modestiam; alienus enim à religiosa videtur venatorius strepitus; qui interdictus militibus, Monachis non deberet concedi.

De occisione ferarum.

Vbi leonem feriri præcipit, & bestias alias quæri inhibet, nociuas belluas à non nociuis videtur S. Bernardus distinguere, & præcipere, vt noxiæ vbicumque occidantur, innoxiæ conseruentur, aut tolerentur.

CAP. XLIX.

De omni re super vos quæsita iudicium audito. L. *Vt hæc regula in omnibus teneatur.*

Templarij non erant exempti à tribunali sæculari.

VErba textus sunt hæc. *Si aliquis..... super vos rem aliquam quæsierit, vobis per fideles, & veri amatores iudices audire iudicium præcipimus: & quod iustum fuerit* (nimirùm, illorum, iudicum sententia) *indeclinabiliter vobis facere præcipimus.* Ergò iudicauit S. Pater Bernardus non semper esse vtilem immunitatem, sed vtiliùs solere corrigi, qui ab omnibus iudicibus possent. Sed quæ hominibus militaribus essent vtilia, fortè essent sacerdotalibus disconuenientia, aut pernicioſa; æquiùs enim, & sanctiùs Ecclesiasticus ab Ecclesiastico; quàm à sæculari iudicatur.

***

CAP. LI.

Quo licet omnibus Militibus professis terram, & homines habere.

1870 Habuerunt bona in communi, non in particulari.

QVod singulis seorsim ratione Paupertatis deuotæ negat, omnibus simul sumptis concedit; benè enim stat, quòd singuli sint pauperes, & communitas diues; benè, quòd singuli incapaces dominij, & Communitas proprietatis sit capax, iuxtà ea, quæ tradidimus *à n.* 820.

CAP. LII.

Vt de malè habentibus (ægris) *cura peruigil habeatur.* LIII. *Vt infirmis necessaria semper dentur.*

1871 De ægrotis.

COnsonant ista omnia Religiosæ pietati, Capiti XXXVI. Regulæ S. Benedicti, & moribus totius Ecclesiæ.

CAP. LIV.

Vt alter alterum ad iram non prouocet.

De mansuetudine.

CORrespondet Capiti LXIX. & LXX. Regulæ Benedictinæ; qui enim studet, ne aliquem ad iram prouocet, debet neminem priuatâ authoritate defendere, aut excommunicare.

CAP. LV.

Quomodò Fratres coniugati habeantur.

1872 An expediat sæculares in Monasterio habitare?

COniugatis, modò honestam agere vitam proponant, non claudit aditum ad fraternitatem, non quod S. Doctor illos velit votis obstringere essentialibus; sed quod cohabitare, & conuiuere Militibus Templariis permittat, vt, & hodie fit in multis Monasteriis, in quibus viri sæculares emunt suam mensam, & gaudent vitam agere Religiosam, tametsi nec Religiosi sint, nec votis velint initiari.

CAP. LVI.

Vt amplius sorores non habeant.

An Religioso debeat soror cohabitare.

SEd cur? An non sorores extra omne periculum culpæ, extra omnem detractionis inuidiam, & obloquutionem sunt positæ? Putant multi, at non omnes, & inter hos vltimos S. Bernardus. Imò dum apud Monachium in Bauaria hæc scribo, adueni oppidum cuius Parochus de incœstu cum sorore commisso conuictus, & publicè ab Episcopo, punitus, Romam iuisse, & rediisse dicitur, & à pudore absolutus Iudicibus insultare, & contra proscriptionis legem ad suam domum, imò & sororem redire. Rem ipsam non discutio; scandalum video, & Episcopo, Viro sancto, condoleo, quod armatum Romanis, tametsi subreptitiis litteris, punire non valeat. Turbantur sæculares, dum vident incœstum ab ipsis

Etiam in primo gradu incestus aliquando contingit.

Quâ pœnâ expietur?

ipsis commissum, solere lui capite, & commissum à sacrilego Parocho tolerari. Hinc immunitas Ecclesiastica summa pericula, hinc maximas iacturas passa. Sed hoc alios concernit, ipsi viderint: nos doceamur nullum Religiosum permittere cohabitare suspectæ fœminæ, tametsi soror, aut cognata dicatur.

CAP. LVII.

Vt Fratres Templi cum excommunicatis non participent.

An liceat agere cum excommunicatis?

INtelligit excommunicati nomine hominem nominatim, & publicè à communione Christianorum expunctum legitima Antistitis authoritate.

CAP. LVIII.

Qualiter Milites recipiantur.

An Probationis in Religione tempus necessariò sit annuum?

AGit de receptione Nouitiorum, & Caput LVIII. Regulæ Benedictinæ illustrans, ostendit sub illud æuum probationis tempus non debuisse esse annuum præcisè, sed potuisse esse breuius ex concordia, & voluntate partium. Imò dum dicit, *Terminus verò probationis in consideratione, & prouidentia Magistri, secundum honestatem vitæ petentis, omninò pendet*, videtur vni, & soli Superiori temporis huius determinationem committere. Iam omnia post Tridentinam Synodum, aliter disponuntur; Ecclesia enim irritas, & nullas declarat professiones, quæ antè completum annum probationis sunt factæ.

CAP. LIX.

Vt omnes Fratres ad secretum consilium non vocentur.

Cùm agitur de rebus grauibus, quæ secretũ non postulãt, omnes Religiosi vocantur: cùm de leuibus, sufficit Consiliarios audire. Cæterùm, si res secretũ postuler, non debet omnibus communicari.

CApite suæ Regulæ tertio S. Benedictus præcipit, ne quidquam temerè aggrediatur Prælatus, sed singula consilio, & prudentia; grauia omnibus conuocatis, leuia auditis Senioribus. Sed, quia negotia grauia occurrunt, quæ non possunt omnibus manifestari, meritò quis interrogaret, *An, & ipsa deberent Conuentui toti capitulariter congregato proponi; an solùm illis, qui sunt Abbatis Consiliarij?* Et respondet Mellifluus Legislator in titulo, *Omnes Fratres ad secretum consilium non vocandos.* Sed quia multi dubitant, An voces eorumdem sint consultiuæ, aut decisiuæ, subiungam aliquas periodos. *Cùm de maioribus* (agit de publicis) *tractare voluerit* (Magister) *vt est, dare communem terram* (fundum) *vel de ipso Ordine disceptare, aut Fratrem recipere* (incorporare) *tunc omnem Congregationem, si placet Magistro* (non ergo, si non placet) *conuocare est competens, auditoque communis Capituli consilio, quod melius, & vtilius Magister considerauerit* (non ergo quod melius Conuentus iudicauerit) *illud agatur.* Nec iudico potuisse statuere S. Bernardum, vt voces Militum essent consultiuæ, si Monachorum decisiuas crederet.

An Prælatus probabiliorẽ sententiam sequi debeat? Vide supra *numero* 1604.

An Monachorum voces sint consultiuæ?

CAP. LX.

Quòd cùm silentio orare debeant.

Quomodo debeamus orare?

ET rationem adiungit: nimirùm, ne confratrem impediat. Et totum ad litteram, aut saltem ad sensum desumptum ex Capite LII. Regulæ Benedictinæ.

CAP. LXI.

Vt fidem seruientium accipiant. LXII. *Vt pueri, quamdiu sunt parui, non recipiantur.* LXIII. *Vt senes semper venerentur.*

Fides hîc quid significet?

PRima lex œconomica est, & *fidei* nomine, non incongruè fidei iussionem, & etiam iuramentum fidelitatis intelligere poteris. Secunda videtur esse contra Benedictinæ Regulæ Caput LIX. exceptio. Permittit enim S. Benedictus nobilium, & etiam ignobilium filios, adhuc infantes, aut pueros ad conuictum Monasticum, imò ad nouitiatum admitti: inhibet Mellifluus Doctor in Templariorum Ordine; vita enim militaris, quæ adolescenti bene educato esse potest conueniens, est nociua educando: nam inter armorum strepitum multa desunt, quæ puellorum sunt educationi necessaria.

Cur pueri nõ admittendi sint?

CAP. LXIV.

De Fratribus, qui per diuersas prouincias proficiscuntur.

1873

Ad quæ hospitia possint Religiosi diuertere?

EST simile sexagesimo-septimo Benedictinæ Regulæ de Fratribus in viam directis, & in eo hanc ego periodum calamo dignam iudicaui. *Apud quem hospitari decreuerint, fama optima sit decoratus, &c.* Nam aliquando video Religiosos, tenui viatico præditos, non posse ad magna hospitia diuertere: sed debere ad vilia, & parua, vbi vel tabacum sumitur à milite, vel scandalum datur à pellice. Nec excusari à paupertate possunt, quoniam Abbas, qui nequit sufficiens Monacho in viam directo ministrare viaticum, vt ad hospitium honestum diuertat; poterit saltem illum eumdem Religiosum in Monasterio retinere; non enim est omninò necessarium, vt currere hac illac permittatur.

An dirigi in viam sine sufficienti viatico?

CAP. LXV.

Vt victus æqualiter omnibus distribuatur. LXVI. *Vt milites Templi habeant decimas.*

1874

Ciborum portiones sunto æquales in refectorio.

ÆQualiter, hoc est, vniformiter sine acceptione personarum, sed cum consideratione, & examine necessitatum, iuxtà Benedictinæ Regulæ, Caput XXXIV. Vtriusque igitur Regulæ Decretum sic intellige, (1) vt in Refectorio æquales cibi

omnibus distribuantur seruatâ æqualitate Arithmeticâ. (2) at extra Refectorium, cum pueris, ægrotis, & senibus seruari debeat proportio. Geometrica iuxta singulorum necessitatem [At in ipso Refectorio vidi vinum, aut Iunioribus non dari; aut in minori quantitate dari; aut etiam aqua temperari: quod omnes prudentes laudabunt: iuniores enim aut vino non indigent, aut minore mensurâ possunt esse contenti. At cùm hoc moneo, non expensas respicio, sed ætatem.]

An in vino æqualitas sit etiam seruãda?

An Monachi possint habere decimas?

Decimas posse à Templariis possideri decernit, & hoc non sine causa, nam tempore S. Bernardi quærebatur. *An D. Benedictus habuerit homines ligios, seruos, vasallos, decimas?* & quod erat acrius, *An Cistercienses illos, illas habere, & possidere possent?* & ne apud Templarios disputatio similis successu temporis excitaretur, declarat S. Pater eos esse capaces, quibus decimæ ab Episcopis concedi possent.

CAP. LXVII.

De leuibus, & grauibus culpis. LXVIII. *Qua culpa Frater amplius non recipiatur.*

1875

An consuetudo peccãdi leuiter, sit culpa grauis?

NOto hanc periodum Cap. 67. *De leuibus, si consuetudinem non habeant, leuem pœnitentiam habeant.* Et cùm video ob peccandi leuiter consuetudinem, grauem pœnam imponi, subdubito, an ad mentem S. Bernardi consuetudo peccandi leuiter, sit res grauis? At ego grauem illam non puto, reor tamen indigere notabili remedio, vt eradicetur ex animo; sæpè enim contingit dari maculam paruam, à qua difficiliùs purgeris, quàm à magna.

Quid incorrigibilitas sit?

Culpam, ob quam aliquis dimitti debeat, est incorrigibilitas, cùm nec obedire mandato frater vult, nec acceptare pœnitentiam. Legislator sic ait. *Ante omnia prouidendum est* (nihil magis necessarium occurrere in Conuentu potest) *ne frater potens, aut impotens* (sunt qui in ipsamet impotentia, & miseria habent superbiendi occasionem) *fortis, aut debilis* (sed & ipsa debilitas vanæ gloriæ occasio solet esse) *volens se exaltare, & paulatim superbire, ac culpam suam defendere, indisciplinatus maneat. Sed si emendare noluerit, ei districtior correctio accedat quod si piis admonitionibus, & fusis pro eo orationibus, emendare noluerit, sed in superbiâ magis, ac magis erexerit, tunc secundum Apostolum de pio eradicetur grege.* Auferte malum, ex vobis. *Necesse est, vt à societate fratrum fidelium ouis morbida remoueatur.* Quæ omnia dilucidant Caput XXVIII. Regulæ S. Benedicti.

Qui nec se emendare vult, nec pœnitentiam implere, ex monasterio expellatur.

1876

Cæterùm sequentibus lineis optimè S. Pater vnum Superiorem depingit, coloresque, quos S. Benedictus Capite II. expressit, ipse pulchrè resumit, & sic ait.

Quo debeat Prælatus modo Communitatem gubernare?

[*Magister* (Abbas, Superior) *baculum, & virgam manu tenere: baculum videlicet, quo aliorum virium imbecillitates sustentet: virgam quoque qua vitia delinquentium zelo rectitudinis feriat, consilio Patriarchæ, & spirituali consideratione id agere studeat, ne, vt ait B. Maximus, aut solutior lenitas conniuentiam peccantis, aut immoderata seueritas à lapsu non reuocet delinquentem.*] Vnde obiter patet, quo Rex Propheta sensu dixerit. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.*

De virga & baculo.

Psalmo lxx.

CAP. LXIX.

Vt à Paschali solemnitate ad festum omnium Sanctorum vnam camisiam lineam tantùm sumere habeant. LXX. *Quot, & quales panni in lecto sunt necessarij.*

De indusiis lineis.

QVamuis Monachis interdicta sint linea, militibus in æstate ob æstum, & sudorem videntur prudenter concedi: esset enim nimis difficile arma, & equum gerere, & laneum indusium gestare. Vide Caput LV. Regulæ S. Benedicti.

CAP. LXXI.

De vitanda murmuratione, & adhibenda fraterna correctione.

1877

Curandum, ne detur murmurationi occasio.

QVàm mala murmuratio sit, & quàm malos effectus ipsa inferat, exploratum habebat Benedictus, qui multa indulget contra suam voluntatem Religiosis, ne occasionem præbeat murmurandi. Optimè Mellifluus Legislator murmurationem cum fraterna correctione coniungit, quasi oppositos terminos, sæpè enim, quæ fraternè corripere quis posset, peiora reddit murmurando. Textum consideremus. Murmurationes sic proscindit.

Verba S. Bernardi.

Æmulationes inuidas, liuorem, murmur, susurrationes, detractiones, diuina admonitione vitare, & quasi quamdam pestem fugere vobis præcipimus. Studeat igitur vnusquisque vigilante animo, ne fratrem suum clam culpet, aut reprehendat, sed illud Apostoli studiosè secum animaduertat, Ne sis criminator, nec susurro in populo.

Quo Murmuratio modo ab aliis vitiis, quæ sunt illi similia, distinguatur?

Murmurationem nos *num.* 1808. à Confusione, Exprobratione, Detractione, & Calumnia distinximus, & meritò subdubitare possumus, *An hic aliquid noui doceamur?* id est, *An in his D. Bernardi verbis lateat aliquid, quod numero illo* 1808. *dictum non sit?* Et nulla alia melius via quæstioni respondere potero, quàm singulas voces explicando. Singulas igitur consideremus.

1878

Quid æmulatio sit? An aliquando sit licita & bona?

Quid est *Æmulatio*? animosa imitatio nec mala, si intra iustitiæ, & æquitatis terminos se contineat, *æmulemini* enim *charismata meliora*, inquit & Paulus, & iterum, *æmulor vos Dei æmulatione.* Meritò igitur æmulatio in sanctam, & iniquam diuiditur; illa Deum respicit, hæc gloriam vanam, quæ subdiuidi potest in inuidam, & concupiscentem. Ex concupiscentia dignitatum subnascitur virtutum ambitio, quæ virtus non est, sed virtuti

De hypocrisi

virtuti simillima,& in promotionem collimat. Et etiam ex inuidia solent nonnunquam perditissimi viri Sanctos seriò, aut iocosè imitari, vt qui non nisi contemptibiles sunt, non nisi contemptibiles illos reddant, quorum similes haberi gestiunt. Et hæc ipsa æmulatio inuidia est, quoniam habenti physicè inutilis, & aliis solet esse nociua: adeoque in genere morum detestabilis, vt plerumque mortaliter peccaminosa.

Quid Liuor sit?

Liuor malcuolentia quædam est, odio lenior, quando quis non mortem, aut annihilationem proximo, sed incommoditates molitur.

Quid Murmuratio? quid susurratio?

Murmur videtur à *Murmuratione* non distingui, sed quid est *Susurratio?* Aliquid murmuratione minus, quod solet per accidens esse multò maius. Murmurat, qui clarè, apertis verbis, & sine fuco, impatiens veritatem, quibus non deberet, exponit; susurrat, qui insinuat, qui grauidis periodis obuoluit; & præbet occasionem audientibus multa considerandi; qui peiora solent ex verborum obscuritate deducere, quàm possent ex ipsa claritate.

Vtra magis nociua?

De *Detractione* & *Calumnia*, iam suprà *numero illo* 1808. quæ vtiliter perlegi poterunt.

An murmuratio seu susurratio pestes sint?

Sed cur hæc vitia Mellifluus Legislator *pestem* appellat? quoniam contagiosa, scandalizantia, adeoque inficientia circumstantes: talia, vt qui huiusmodi laborant ægritudine, prudentius fugiantur, quam curentur: fuga enim est facilis, omnis medicina inefficax, familiaritas periculosa.

Hæc de contagiosis vitiis hisce sufficiant, iam Bernardo duce ad Fraternam correptionem transeamus. Doctor Mellifluus sic.

De correctione fraternâ.

[*Cùm autem fratrem* (frater) *liquido aliquid peccasse agnouerit, pacificè & fraterna pietate, iuxta Domini præceptum, inter se & ipsum solum corripiat, & si eum non audierit, alium fratrem adhibeat: sed si vtrumque contempserit, in conuentu publicè obiurgetur coram omnibus.*]

1879 Proponuntur Quæstiones duodecim, quarum decisio omnibus Monachis prodesse possit.

Hinc multis quæstionibus fit satis, quibus vix aliunde posset. Quæritur. *Primò*, An correctio fraterna sit præcepta an consulta? *Secundò*, An apud Templarios probabiliter omitti potuerit? *Tertiò*, An apud Cistercienses, aut reliquos Benedictinos? *Quartò*, An qui dubitat: vtrùm frater peccauerit, aut vtùm grauiter, eum teneatur fraternè corripere? *Quintò*, An teneatur, si culpa sit merè probabilis? *Sextò*, An adhibendus sit testis correctionis, an delicti? *Septimò*, An qui fratrem correxit fraternè coram vno, teneatur iterum illum coram duobus corrigere? *Octauò*, An qui duos contempserit testes, possit in Capitulo publicè proclamari, aut accusari? an debeat secretò denuntiari? *Nonò*, An accusari aut proclamari possit, qui tres testes contempserit? *Decimò*, An accusare vtilius sit quàm proclamare? *Vndecimò*, An, qui nullam culpam vidit, quam possit aut fraternè corripere, aut ad Superiores deferre, teneatur aut possit inquirere & aliorum vitas in hunc sanctum finem examinare? *Duodecimò*, Quî debeat Abbas procedere, culpam sui Religiosi euangelicè admonitus. *Hæc sunt* duodecim dubia, quæ frequenter occurrunt, quibus omnibus conabor ex verbis Melliflui Doctoris satisfacere.

Datur præceptum de correctione fraternâ.

Ad primum, respondeo ordinem fraternæ correctionis esse diuinitus præceptum, vt constat ex illis verbis, *Juxta Domini præceptum*; consonantibus Capiti XXIII. Benedictinæ Regulæ, quod exposui superiùs *à num.* 1678.

Apud Templarios obligabat.

Ad secundum, respondeo negatiuè; non enim iure secreti & huius correctionis cedere sunt dicendi, qui ad fraternam correctionem ex Regula propria obligantur. Vnde si in præcepto illo Euangelico Christus dispensaret, adhuc Templarij Regulæ iure tenerentur.

Apud omnes Benedictinos etiamnum obligat.

Ad tertium, respondi numero 1689. vsus ratione analoga, quoniam correctionem fraternam etiam præcipit Sanct. Benedictus. At nunc à Benedictina Regula præscindendo, sic arguo. Si Diuus Bernardus nociuam Religiosis fraternam correctionem crederet, numquam illam præcepisset militibus (verosimilius enim est, viros militares tali correctione abusuros, quàm Monachos) at iniunxit militibus; ergo & in suo Monasterio Claræuallensi eam obseruari curauit, & credidit in Benedictinis vniuersis debere.

An corripi fraternè possit proximus ob peccatum veniale.

Ad quartum, *quintumque* respondeo, neminem teneri corripere fraternè peccata venialia, & demonstro, nam illa ita occulta, vt liquido constare non possint, & Bernardo asserente tunc quis frater tenetur fraternè corripere, cùm eum peccauisse, non coniecturaliter, non probabiliter, sed liquido & euidenter, hoc est, certò cognouerit. Sanè neminem posse certò & liquidò aliena venialia cognoscere, vel inde constat, quod sua vix possit. Multa sunt in graui materia, quæ certò, multa quæ probabiliter à mortifero excusant, adeoque plura in leui quæ à veniali; quæ omnia cùm sæpè operantem lateant, alteri patere non possunt. Stat igitur ad mentem Bernardi, neminem teneri corripere fraternè proximum ob culpas leues. Videatur *n.* 1692. vbi alias rationes ex propriis principiis præmitto; sed modò placuit vestigiis Melliflui Doctoris insistere.

Quàm sit difficile pecta venialia cognoscere?

An in materiâ dubiâ aut probabili debeat adhiberi correctio?

Si materia sit grauis, & operatio proximi dubia, aut probabiliter peccaminosa, liquido mala non, adeoque non teneberis ex Bernardi doctrina correctionem fraternam adhibere. Sed doceri vis, vtrum saltem in tali casu possis? Respondi superiùs *num.* 1698. 1696.

Testis, qui adhibetur, debet esse delicti conscius.

Ad sextum respondet S. Pater; *Si eum non audierit, alium fratrem adhibeat*, subintellige, *vt relapsum obseruet*, non enim corrigi quis fraternè poterit coram homine, qui testis peccati non fuerit. Vide *n.* 1717.

Sufficit, si sit vnus.

Ad septimum, assertiuè respondet Sotus, Floresque; negatiue Nauarrus & Tostatus. Sanchez vtrumque iudicauit probabile: At ego *numero* 1716. negantibus adhæsi, & nunc meam sententiam authoritate Melliflui mei Doctoris confirmo, qui duorum testium nullam mentionem facit, sed correctum coram vno, si contumax maneat, statim sine nouæ correctionis molestia præcipit denuntiari.

An accusari possit reus, quando sunt duo testes?

Ad octauum, respondeo illum, qui fraternè correptus in peccatis suis manserit, si duo tantum sint oculati contestes, à neutro posse aut accusari aut proclamari, ratio est manifesta, quia cùm accusatoris testimonium sit nullum, crimen poterit vno teste probari; & duo requiruntur omninò, vt aliquis conuictus dicatur. Posset tamen accusari aut proclamari ab alio tertio, qui producens duos oculatos contestes, illum de peccato conuinceret, & ad satisfactionem legalem prouocaret. Sed quis ille tertius, qui volet subire actoris ignominiam, & periculo talionis exponi? Ipse viderit. Quamobrem asserendo tutiùs institui actionem cum tres fuerint contestes *ad nonum*, quod proponis, respondeo.

An quando tres sint?

1880

An proclamationes, quæ in Capitulo fiunt, sint vtiles?

Ad decimum, dico omnes, aut ferè, proclamationes esse expositas summis periculis: nec ideò volo Viros sanctos, qui illas inuenerunt, damnare: bonæ enim ipsæ, si moderatio illa obseruetur, quæ ab Institutoribus posita; vel supposita. Me iudice vtiliter proclamari poterit vir pius & suæ salutis studiosus à Viro sancto & pio; & si tales fuerint ipsi, materia aut erit regularis, quæ ad peccatum non obliget, aut saltem quæ venialem culpam non excedat. At quando agitur de peccatis mortalibus reus supponitur non esse sanctus, imò potiùs esse suæ salutis negligens, adeoque passionum suarum seruus; ergo talis, qui impatienter ictum recipiat, & maleuolè vindictam moliatur, reclamationem etiam iniustam meditetur. Ergo in hoc casu expedit, vt actorem, imò & testes, si confratres ipsi, accusatus ignoret. Igitur si materia sit grauis, actio proclamatione vtilior est.

An Confrater, an Superior examinare possit vitam Confratris, vt illum fraternè corrigat?

Ad vndecimum, respondi olim (*n.* 1705. 1706.) concedendo aliquid Superioribus, quod Religioso simplici negaui, & modò meam resolutionem firmo sententia Melliflui Præceptoris. *Cum ignouerit*, inquit, non *cum repererit*; quia qui quærit inuenit aut potius reperit; at sæpè in multarum rerum agnitionem contra opinionem, & expectationem deuenimus. Vel si hæreas, voces singulas examinato.

Quomodo verba *inuenire* & *reperire* differant inter se?

Inuenire est in rem venire, incidere, & videtur, non industriam, sed fortunam supponere. *Reperire* est iterum parere, perditam rem ad vsus humanos reducere: illam enim natura peperit cùm condidit, & videtur idem fuisse ac perdi (res enim perdita virtualiter non est in rebus) & cùm reperitur, virtualiter paritur, hoc est, moraliter producitur. Vnde cum partus diligentias supponat, labores & dolores adnexos habeat, inueniri dicentur, quæ sine dolore aut labore; reperiri autem, quæ cum fatigatione, diligentia & studio.

Quid sit *noscere*?

Cæterùm *noscere* abstrahitur ab istis circumstantiis, & sonat præcisè habere rei notitiam; & additis præpositionibus alterat significationem: nam, *Agnoscere*, *Cognoscere*, *Ignoscere*, non differunt in significationis substantia, sed in modo. *Cognoscere* est simul cum alio noscere: *Ignoscere* est non noscere, & sumitur pro parcere; quoniam qui ignoscit ita se habere vult ac si culpam non noscet. *Agnoscere* autem idem est ac *Adnoscere*, ad aliquem effectum noscere, & quidem omnes vtiles solent esse notitiæ, siue diuinitùs infusæ, siue casualiter sint haustæ. Sed de hoc satis.

Discrimen inter *Cognoscere*, *ignoscere*. & *Agnoscere*.

1881

De correptione publicâ. Quomodo debeat institui?

Ad duodecimum respondet disputatio CXXXVI. *numero* 1721. & nunc Diuus Bernardus dicens, *Si vtrumque contempserit, in conuentu publicè obiurgetur coram omnibus*, non tamen temere, sed causâ deductâ ad litteras & testibus examinatis, & sententiâ maturè conceptâ, in scriptis positâ, & non sine prudentiorum consilio, facile enim in materiâ iudiciali delinquitur; sed datur, *qui cùm assumpserit tempus, ipsas iustitias iudicabit.*

Sanè, vt cautiores reddantur Superiores, subiungam casum particularem, quem à Reuerendiss. meo Bernardo Campmans non sine admiratione auditum, dignum qui legeretur iudicaui.

Malderus laudatus.

Fuit Malderus apud Duacenos sacræ Professor Theologiæ, Doctor, & multorum opinione primarius, virtutibus & doctrina conspicuus; & tandem ob præclara merita ad Episcopatum Antuerpiensem promotus. Quis crederet posse Virum tam doctum in iudicio delinquere aut errare? voluntatis fideiussor est pietas; mentis, scientia; & tamen Sacerdotem reum & conuictum pronunciauit, quem innoxium deberet. Res sic accidit. Innocentem ex errore condemnat.

Pastorem de fornicatione, vt dicebatur, infamatum, capi iussit: auditur ipse, audiuntur octoginta rustici; negat ille, asserunt isti, & negatiuus à Maldero damnatur. Sententia notificatur reo, & ipse modestè & prudenter, Se nec illam acceptare, nec appellationem instituere, sed inducias paucarum horarum petere, vt quatuor suo Episcopo verba dicat, aut si indignus iudicetur colloquio, rescribat. Nuntiatur Maldero viro pio lene condemnati responsum, & accersiri iubet filium reum, nec aures recusat homini pœnitentiam impositam non recusanti, Adest damnatus Pastor, & præmissis amicæ ciuilitatis præludiis, dicit se noluisse appellare inconsulto suo iudice, ne illum in causam induceret, à qua non posset explicari. Addit se damnari vt conuictum virtute informationis quæ nondum erat semiplena: obrui testium numero, non veritate, neminem ex illis octoginta oculatum, neminemque posse testibus auritis conuinci. Subiungit omnes illos & adhuc plures alios crimen illud fornicationis, imò etiam alia insolentiora habuisse ex ore talis vetulæ, sibi ante aliquot

An octoginta auriti testes faciat informationē plenam?

menses

menſes à ſeruitiis, iam ob furtum dimiſſæ. Obſtupuit hæc audiens Malderus, amicè illum dimittit, ſed ad carcerem. Recognoſcit proceſſum, nec videt in illo, quantus erat, vel vnum oculatum teſtem, imò nec aurium, ſed ſingulorum teſtimonia ſine expreſſione iſtius neceſſariæ circumſtantiæ. Mittitur, qui ruſticos ſecundò examinet; illi ſuæ depoſitioni conſtant, fornicationem à Paſtore commiſſam referunt; At rogati vnde ſcirent? an viderint actum aut indicia; linguam illius vetulæ furis allegant, vel fortè alios, qui audiuerunt à vetulâ. Reuertitur Antuerpiam Commiſſarius; tradit acta Maldero cogitabundo, mirabundo. Quid Epiſcopus faceret? Reuocat ſententiam heſternam; Parochum innocentem declarat, in vetulam animaduertit. Et quia putabat illi aliquam iniuriam illatam, veniam orat, amicitiam offert; promotionem promittit.

Debet Iudex diligenter examinare cauſam ſciâtiæ: an videlicet teſtis viderit, aut audiuerit, quæ deponit.

1882 Hæc hiſtoria Malderi gloriâ non minuit, ſed vniuerſos monet.

Hæc etiam auritus Ego teſtis, bona fide prout à Diu. Bernardo Campmans habuit, expoſui, quæ Malderi viri laurea, promotione, & ſcriptis clariſſimi æſtimationem diminuere non poterunt, ſed vniuerſos Superiores inſtruere, ne temerè ad ſententiæ pronuntiationem procedant, cum ſe minùs doctos ignorare non poſſunt, & vident doctiſſimos viros, qui nihil ignorant, errare. Requiri teſtes oculatos non ignorabat ille Epiſcopus, vtpote ſapientiſſimus; nolebat innocentem opprimere, nam erat integerrimus; ſed contra mentem errauit, vel ex inaduertentiâ: vel quod veroſimilius, quia per Vicarium teſtes examinauit, & Vicarij relationi, quod multi Epiſcopi faciunt, nimiùm detulit. Cauſa ſit hæc, vel illa, interim vir pientiſſimus & doctiſſimus errauit in materiâ clariſſimâ; timeant igitur indocti homines, vbi ſapientes, timeant fragiles, vbi integerrimi viſi nonnumquam dormitare.

In rebus practicis non ſolum ſcientia, ſed & aduertētia requiritur. Et in hanc multi ſub initum peccant experientiæ defectu.

1883 Corrioneri prudentia.

Corrionerus Epiſcopus Salmanticenſis, iam ſenior, in hoc iudicabatur prudentiſſimus, quod ſuæ diſſideret prudentiæ. Se multos ſenes vidiſſe deliros decrepitoſque dicebat ſæpiùs, ſeque iam ſenem, & timere ne fortaſſis decrepitus, adeoque proceſſum expunctis nominibus propriis mittebat vni aut alteri Doctori examinandum, & academico prædeterminatus iudicio ſententiam proferebat. Hoc illius etiam exemplo faciebant multi alij Antiſtites tametſi docti; vt mirum ſit omnia eſſe clara indoctis, cùm docti in ſingulis habeant rationes dubitandi.

1884 *Conſilium vnius, conſilium nullius*, dicit Axioma: ergo reformari Tribunalia (Eccleſiaſtica, ſæcularia ſint) deberēt, in quibus ſēntia definitiua ab vnius voluntate dependet.

Si Iudices? qui non ſtuduerunt, premerent Corrioneri veſtigia, numquam errarent; at errant ſæpè aut ſemper, quia vel ſibi confidunt, aut ſuo ſocio, qui tametſi nunquam ſtuduerit, expenſis miſeri Monaſterij in Vniuerſitate habitauit. Quid conſilij habere poterunt à iuuene indocto, qui vult doctus videri? ab adoleſcente non ſancto; ſi enim ſanctus eſſet, non prodegiſſet tempus, quo debuit impalleſcere chartis? Dicam. Obtinebunt, vt ſiue ſeuerè, ſiue remiſsè iudicent, ineptè iudicent. Vt in viſitationibus extra iudicij ſtrepitum ſe procedere dicant; hoc eſt, ſe ſine albedine albos, quoniam viſitatio ipſa iudicium eſt, vt ſubditos innocentes infament, vt viſitatores ante reſtitutionem honoris iniuſtè ablati mortui ad infernum deſcendant.

1885

Sancte Deus, quale tribunal tuum; ſi quale fides docet, ratio probat, & optimè Drexelius deſcribit, cadent in tuo omnes illi, in quorum tribunali cecidere innocentes. An excuſabantur excuſationes in peccatis? An contra ſententiam tuam excipient, & ignorantiam, cauſam iniquitatis, appellabunt? Fortè nec ſe ignorantes cognoſcent. Fortè malent maleuoli, quàm indocti vocari. Vt fateantur inſcitiam, damnandi neceſſariò ſunt: nam ignorantia craſſa non excuſat, & in materia officij non datur ignorantia non craſſa. At Petrum video: ad ſtuporem vſque ſe ſtupidum eſſe fatetur, incapacem qui diſcat, ergo ſaltem iſte inſuperabiliter ignorat. At non adquieſco: nam ſi non potuit addiſcere, qui deberet ius dicere, potuit non accceptare iuris dicendi dignitatem, adeoque errores & omnes iniuſtitiæ ipſi liberæ ſunt, qui illas potuiſſet non commiſiſſe, ſi non acceptaſſet qualitatem oblatam.

Coram Deo in ſimilibus caſibus ignorantia non excuſat.

Non acceptet Iudicis dignitatem, qui ſcientiam ſufficientem non habet.

1886 Multi errores in viſitationibus, multi in publicis correctionibus ſolent committi.

O quot in viſitationibus iniquitates olim! ô quot etiam nunc committuntur! Petrus ad vnius hominis eloquentioris inſtantiam in carcerem negatiuus detruditur. Officialis ille non placere confratribus dicitur, adeoque deponendus; cùm videndum omninò fuiſſet, an ideò diſpliceat, quòd iuſtus ſit, & confratres minore iuſtitia contenti, habere hominem velint, qui ſuis negligentiis, ne dicam peccatis, condeſcendat. Huic in Capitulo exprobratur feciſſe propter quæ deberet deponi, at ſub ſpe correctionis benigniſſimè manuteneri; cùm tamen ipſi ante ſententiam nihil dictum. An inauditus, conuictus declarari poterit? Scandaloſa hæc, & mihi cogitanti moleſta: & inter alia æternæ reprobationis indicia, quæ humanitùs rimari poſſumus, fortiſſimum ſemper iudicaui, indigni promotionem, & ignorantis tribunal; tolli namque videntur in altum, vt lapſu maiore ruant. Sed pono calamum, aliàs liberior reſumpturus. Lege interim Cæſarij *lib. 4. dialog. cap. 24.* & ora Deum ne multi in Ciſtercienſi Ordine Viſitatores tam ſtupidi & indocti admittantur.

Inauditus nemo damnari poteſt.

CAP. LXXII.

Vt omnium mulierum fugiatur oſcula.

1887 De oſculo ſalutatorio.

HInc lux Capiti LIII. Benedictinæ Regulæ, & præcipuè huic periodo. *Vt ergo nuntiatus fuerit hoſpes, occurratur ei à Priore, vel à Fratribus cum omni officio charitatis: & primitùs orent pariter, ac ſibi ſocientur in pace; quod pacis oſculum non priùs offeratur, niſi oratione præmiſſa propter illuſiones diabolicas.* Circa quam duo occurrunt dubia. *Primum*. An S. Benedictus oſcula fœminarum permiſerit? *Secundum*, Quid oſculi nomine

nomine intelligendum veniat, cùm viro virum oſculari permittitur.

1888

Oſculo non debet Monachus fœminas ſalutare.

An primum, reſpondebo verba Melliflui Legiſlatoris producendo. Capite enim hoc LXXII. Templariæ Regulæ ſit ait. *Periculoſum eſſe credimus omni Religioſo* (ſi omni, etiam ſeni, etiam docto) *vultum mulierum nimis attendere. Et ideò nec viduam, nec virginem, nec matrem* (mirum hoc) *nec ſororem* (ſed hoc non ita mirum ob dicta *numero* 1872.) *nec amitam, nec vllam aliam fœminam* (& hoc omninò neceſſarium) *aliquis frater oſculari præſumat. Fugiat ergo fœminea oſcula Chriſti militia, per quæ ſolent homines ſæpe periclitari.* Vide *n.*979. 1654.

Quid *oſculi* nomine in ſalutatione intelligatur?

Ad ſecundum reſpondeo à S. Benedicto nomine oſculi intelligi actum illum vrbanitatis, qui ſecundum patrios mores ſeruit amicis ſalutandis. Solebant veteres oſculari genam; collum poſteà; tandem manum. Iam Caſſinenſes brachiis oſculum ſignificant, non dant; vnde oſculi nomine intelligi volunt amplexum. Hiſpani oſculum pacis dant, ſed puro verbo, dicunt ſuperuenienti amico, aut hoſpiti, *Beſo à V.m. las manos*, ſi æqualis aut inferior ſit; ſi ſuperior, *Beſo à V. S. la mano.* hoc eſt, *Oſculor Dominationis veſtræ manus* (*manum*) accedunt manum oſculaturis ſimiles, ſed ſuam & non amici, aut neutram oſculantur.

NOTA.

De numero capitum huius Regulæ.

Quot ſint S. Benedicti Regulæ capita?

VLtimum Caput Benedictinæ Regulæ multa exemplaria præmittunt, ita vt ipſa habeat duos Prologos & ſeptuaginta-duo Capita; ſic videtur habuiſſe illud exemplar quo Mellifluus Doctor vtebatur, nam in huius Regulæ compoſitione Benedictinam imitatus, duos præmittit Prologos, & addit Capita ſeptuaginta-duo.

Et hæc de hominum extinctorum Regula, ne penitus extinguatur, ſint dicta.

THEOLO

THEOLOGIÆ REGVLARIS

PARS QVARTA.

DE REGVLA MAGNI BASILII, RELIGIOSORVM ORIENTALIVM PATRIARCHÆ.

THEOLOGIÆ REGVLARIS

DE REGVLA

MAGNI BASILII,

RELIGIOSORVM

ORIENTALIVM

PATRIARCHÆ

THEOLOGIÆ REGVLARIS

PARS QVARTA.

DE REGVLA MAGNI BASILII,

RELIGIOSORVM ORIENTALIVM PATRIARCHÆ.

1889 Quales sunt Patres Ordinis S. Basilij in Hispaniâ.

SANCTI Basilij seueram Regulam obseruauerunt Monachi Græci multis annis, ad quos hic fortè Commentarius non veniet. Reperiuntur in Hispania Basiliani nonnulli, nescio, an extra, pauci tamen. Habent Viros Sanctos & Doctos, & inter ipsos mihi recensendus est Nissenus, Concionator Eximius, quem non solùm Nostrates, sed etiam Galli & Itali in linguas suas vertendo summis laudibus condecorarunt. Natus sum Madriti in platea, cui nomen (de la puebla) apud S. Basilij monasterium aperta, & commoditatis (vtinam & deuotionis) gratia illam Ecclesiam frequentaui, & ab infantia cum Sanctis illis Viris egi, & non sine fructu notabili. Compluti Ego liberior paucas horas, quas discendi naturalis ambitio concedebat animo restaurando, consumebam nonnunquam in eorundem refugio, vbi ab Studiosis illius Ordinis potui simul & litteras & virtutes addiscere, meliùs enim illorum præceptis imbuimur, quos amamus. Quam ob rem credi mihi potest, quidquid de illorum doctrina & sanctitate dixi, vtpotè homini vtramque habenti accuratè exploratam.

P. Nissenus laudatus.

Cur B. Basilij Regulam nõ diucidauerim.

Volui illorum Regulam explicare, sed Typographi me turbat importunitas & festinatio, qui quoniam in Germania Basilianos non videt, huiusmodi non curat Commentarios. Dabitur, vt spero, occasio, in qua possim affectui respondere. & ne dicar nihil ex Basilio dedisse, subijciam breuem Orationem de Regularium legum obseruantia ad mentem Basilij conceptam, quæ prodesse poterit vniuersis.

Multa vocabula nonnulli malè proferunt? &, si corrigantur, respondent, se vti accentu Ecclesiastico: inter alia sunt *Ambrosius*, *Gregorius*, & *Basilius*, *Darius*, *Cæsarea*, &c. Porrò in vocatiuis *Ambrosi* & *Gregori* penultima est breuis: ergo accentus acutus in antepenultimâ, quidquid Ecclesiastici objiciant. Βασίλειος & Δάριος penultimam longam & acutam habent. Καισάρεια more Græco scribitur.

REVERENDISSIMO D.D.

HILARIONI FRANCATIO,

ROMÆ APVD SANCTAM CRVCEM ABBATI MERITISSIMO, &c. REVERENTIAM ET LAVDEM.

Ad Empyreum.

1890 Appellationum efficacia

SCRIPSERAT de Appellationibus doctum & eruditum Opus D.Franciſcus de Cueua, in quo docemur ab omni grauamine per Iuridicam ſententiam inuecto, Iuridicæ appellationis virtute liberari: & tamen magno Scholarum & Tribunalium damno tandem obiit. Et dum Muſæ incomparabili Ingenio parentant, ad Leges & Iura Lupus de Vega recurrit, & hanc ſententiam definitiuam in Iure Diuino.

Ouidius ad Liuiam. *Tendimus huc omnes, metam properamus ad vnam: Omnia ſub leges Mors vocat atra ſuas.* A ſententiâ à Deo latâ Appellatio non datur.

Omnibus hominibus conſtitutum eſt ſemel mori. ad Hebr.9.27.

Et exclamat. O, ſi Iuris Cæſarei, aut etiam Pontificij illa eſſet! noſter quidem Franciſcus appellaret, & ingenio ſuo & doctrinâ ſententiæ exequutionem in æternum ſuſpenderet! Addo eius numeros.

Paulo Iuriſconſulto ſoberano,
Que del Ceſar de eterna Monarquía,
Y el ſupremo Pontifice tenia
Todo el Digeſto en la Diuina mano:
El que al Hebreo, al Griego, y al Romano,
La Inſtituta Catholica eſcribia,
En vna Deciſion dixo, Que avía
De morir una vez el hombre humano.
O iluſtre D.Franciſco; o ſiempre clara
Luz de las Letras; ſi la Muerte oyéra,
Y tu Diuino Ingenio la informára,
A la ley de morir Réplica huviera;
Que tu Diuina voz la dilatára,
Si menos, que Dios, ſentencia fuera.

An obierit Hilarion?

At tu Hilarion doctiſſime, in ipſis Iuris Diuini Pandectis Replicam inueniſti, & annuente Numine à ſententiæ rigore appellaſti, & iam immortalis & æternus perennas.

Reg.14. An homines vniuerſi moriantur?

Illa Lex, quæ diuinitùs Regia videtur vniuerſos comprehendere: videlicet, *Omnes morimur; & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertentur:* vel te Iudice exceptioni eſt obnoxia: nam feliciſſimè Moralem à Metaphyſicâ Vniuerſalitate diſtinguis: & ideò rigidæ moriendi ſententiæ, contra humanam fragilitatem latæ, indultum à Deo Iuſtis, Priuilegium opponis. Ipſe Legiſlator, qui ob Adæ peccatum vniuerſos vltimâ ſententiâ condemnauit, Diuini Iuris rigorem temperauit dicens, *Iuſti in perpetuum viuent.* At moriuntur, hoc priuilegio non obſtante, dices: Ego autem, & Te, & omnes, qui illos mori iudicant, decipi affirmo: quoniam *viſi ſunt oculis inſipientium mori, ipſi autem ſunt in pace.*

An Virtus ab extrinſeco poſſit extingui?

Hæc veritas tam eſt manifeſta, vt Philoſophis & Poëtis fuerit nota. Veterum ratiocinium eſt hoc.

Virtus eſt vera vita hominis.
Virtus non moritur.
Ergo vera vita hominis non moritur.
Ergo, qui Virtute præditus, æternus eſt.

Maiorem expreſsè aſſeruit Plautus *in Amphitr.* Eius verba ſunt hæc.

Virtute, dixit, vos Victores viuere.

Minorem, in vtramque Illationem, *in duob. cap.* ait enim.

Qui per Virtutem peritat, non interit.

Vtramque

Vtramque ob oculos ponit Ouidius dicens:

Viuitur ingenio, cætera mortis erunt.

Ingenium igitur non solùm est hominis vita, sed immortalis est æterna. Consonat Euripidi *in Androm.*

Οὔ τοι λείψανα τ' ἀγαθῶν
Ἀνδρῶν ἀφαιρῆται χρόνος,
Ἀλλ' ἀρετὰ καὶ θανοῦσι λάμπει. &c.
Neutiquam reliquias bonorum
Virorum aufert tempus;
Sed Virtus etiam morte peremptis lucet.
Ἀρετὴ δὲ κἂν θάνῃ τις οὐκ ἀπόλλυται, &c.
Virtus autem, etsi moriatur quis, non interit.

Ingenium nō moritur.

Lactantius Firmianus in hanc eamdem veritatem collineat, punctum tamen non tangit, tametsi non multùm exorbitet; inquit enim *Diuin. Inst. lib.* 1. [Seneca quoque nullum aliud Virtutis præmium, quàm Immortalitatem fatetur. Laudans Virtutem, in eo libro, quem de immaturâ morte conscripsit, *Vna*, inquit, *res est Virtus, quæ nos Immortalitate donare possit; & pares Diis* (θείοις) *facere.* Sed & Stoïci, quos secutus est, negant sine Virtute effici posse quemquam beatum. Ergo Virtutis præmium beata vita est; si virtus, vt dictum est, beatam vitam facit. Non est igitur, vt aiunt Philosophi, propter se ipsam Virtus expetenda, sed propter vitam beatam, quæ Virtutem necessariò sequitur. Quod argumentum docere eos potuit, in quo esset summum bonum.] Ecce vitam beatam Homo Eruditus à Virtute distinguit: vnde meritò infert, Virtutem non esse amandam propter se, sed propter vitam, quâ suos Assecias donat. At Philosophi, & cum illis Plautus, Ouidius, & alij, vt vidimus, vitam illam, quâ immortales viuunt, asserunt Virtutem esse: atque ideò, idem omninò erit Virtutem propter immortalitatē diligere, quàm propter se.

Virtutis præmium.

Deus, Græc. θεὸς, idem ac *Diuinus* vel *Diuus.*

Cur Virtus diligenda sit?

An Virtus ab Immortalitate distinguatur?

Sanè Virtus est vera hominis vita: nam corporea vita, non meretur hoc nomen: quod etiam testatur Philemon: quoniam, si bene examinetur.

ὁ βίος ἀληθῶς ὁ βίος, ἀλλὰ ξυμφορά.

Vita (hęc mortalis & caduca, quæ corporibus ineſt) *verè nō est vita, sed calamitas.*

An hæc vita sit vita?

Oportet ergo, vt indipiscamur veram, vitam falsam & caducam despicere: nec corporis mortem horrere; nam Interitus est ad Immortalitatem Introitus.

Etymologicū Trilingue Lugdunense pag. 495.

Omnia hæc (Felicissime Hilarion) vniuersos nos doces: errat enim, qui מות *Much* Mortuum, & *Mutum* ex eadem radice deriuant; nec enim fauet Gallus dicens, *Muet, qui ne dit mot.* Non sunt mortui, qui moriuntur in Domino; adeò nec muti. Concionaris in feretro; famæ & gloriæ Immortalitate donatus.

Viuis adhuc, quoniam viuit post funera Virtus.

Iusti nunquā moriuntur: & scelerati nunquam viuunt.

Sanè *Virtus* & *Vita* duo sunt nomina, quæ obiectiuè coïncidunt: & hanc ob rem, nisi moriatur Vita, Virtus mori non poterit. Ergo Virtute prædíti, etsi post fatum insipientum oculis videantur mortui, æternum viuunt: vnde & Virtute vacui, etsi ante fatum insipientium oculis videantur viui, mortui sunt, nihil sunt. Quod efficaciter persuadet Paulus dicens, *Si linguis loquar hominum & Angelorum*, &c. *Charitatem autem non habeam, nihil sum.*

A Pueritia in Scholis vixisti scientiis, quas in Hispania, Gallia, Italia, disputationibus tuis nobilitasti. Ab adolescentia in Cistercienſi Ordine vixisti Pietati & Virtuti, quas velut fax ardens & lucens, assidua deuotione exercuisti, & sine inuidia plurimis communicasti. Ab ætate fortiori, per quadraginta duos solidos annos, in negotiis grauissimis quotidie impensus, vixisti Ecclesiæ, nullam difficultatem aut periculum fugiens, nulli labori parcens. Hodie S. Theresiæ solemnitatem agimus, & in Choro audiuimus, *Vigesimum ætatis annum agens, ad Moniales Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo se contulit: ibi per duodeviginti annos grauissimis morbis & variis tentationibus vexata, constantissimè meruit in castris Christianæ Pœnitentiæ, nullo refecta pabulo Cœlestium earum consolationum, quibus solet etiam in terris Sanctitas abundare. Angelicis ditata virtutibus, non solùm propriam, sed publicam etiam salutem sollicitâ Charitate curauit.* Aut fallor, aut sicut Theresiam Christus, sic Hilarionem etiam habuit Christi Vicarius. *Vigesimum ætatis annum agens, tunc enim de Chaldæorum erroribus apud Sedem Apostolicam disputabatur, vocatur Romam, vt ingenio, doctrinâ & exactâ linguarum Orientalium notitia, Consiliarios Sacræ Inquisitionis iuuaret. Ibi per quadraginta duos annos mansit. Interim Pontificis*

Virtuti semper vixit Hilarion.

Seruit Ecclesiæ 42. annos.

Lect. VI. ad Matutin.

Voluit Deus in Theresia in hac vitâ sibi sine præmio seruiret.

Hilarion venit Romam, & cur?

Affligitur variis in prouinciis Ecclesia: & ab Hilarione defenditur.

Ministri, non solùm à Saracenis in Asiâ, à Lutheranis in Germaniâ, & à Caluinistis in Galliâ, sed ab ipsismet Catholicis in Italiâ vexantur: quibus exagitatis ipsummet supremum Sacerdotium curarum tempestate non caruit. Omnia tamen Hilarion consilio, authoritate, verbis, literis, sedat: mereturque gloriam & laudes. Manſit, vt dixi, Romæ tanto tempore: omnibus Pontificibus charus, nullo tamen refectus pabulo debitarum Virtuti promotionum, quibus solent in Vrbe præstita Apostolicæ Sedi seruitia frequenter abundare. At ille omni ambitione vacuus, seruiebat Ecclesiæ, vt seruiret: & Angelicis ditatus virtutibus, propriam valetudinem negligens, salutem publicam, Ecclesiæ exaltationem, Fidei propagationem, assiduâ deuotione curauit. At tamen non vixit inglorius: nam Innocentio X. ad vitam meliorem suscepto, vt esset Summus Pontifex, voces habuit. Magno Ecclesiæ bono, Alexandro VII. ad summum Sacerdotium euecto; pergit & ἄθλα exsors, nouis resumptis animis, seruit Ecclesiæ, de nullius negligentiâ conquestus; est enim sibi præmium Virtus, & perseueraſſe tot annis sine extrinseco præmio, Virtutis intrinsecæ magnitudinem prodit, & generosam fidelis animi resolutionem laureâ & gloriâ immortali coronat.

In Cardinalium conclaui, tametsi priuatus Religiosus, vt summus esset Pontifex voces habet Hilarion.

Vt augeam igitur tuam apud mortales famam, tuamque apud immortales gloriam, folia hæc, quæ de Magno Basilio differunt, tui Nominis æternitati consecro, & cordis oculos ad illum conuertens sic inquam.

Ioannes Cotunius Veriensis lib. 1. Epigram. pag. 85.

Ὦ μέγα βασιλέων ἐπώνομε Καππαδοκείης
Ὄρχαμε, μεναδικῆ βαθροδέτα βιότε,
Δέρκεο ἐρανόθεν σὸν μύστιν Ἱλαρίωνα,
Ἁγνὸν μὲν ζωῇ, ἔργμασι δ' ἀγνότερον.
Ἐσθῆς τρηχεία, καθαρὰ δαῖς, ἦματ' ἄσιτα,
Νύκτες δ' ἀγρυπνοι, ᾄσματα, ἱκεσίαι.
Θεῖός οἱ ἐν κραδίῃ, ἐν ῥήμασιν, ἔντε ὀπωπῇ
Πνεῖ ἔρως, θείων ἐργοτελὴς καμάτων.
Ἀγλαϊκὸν πάμπαν σχῆμ' ἔστλετο, ἦ ῥὰ πφάσκοις,
Ἀνδράσι τοιούτοις σφόδρα ἀρεσκόμεθα.

N. B. Putat hic Author Hebræorum צ Tsade, æquiualere nostro Latino ç; nam *Cigála*, ipse scribit Τζιγάλα. Qualem egerit vitâ Hilarion?

O Magne, qui (Basileon) *Regum habes cognomentum: Cappadociæ*
Dux, Monasticæ Institutor vitæ.
Despice cœlitùs tuum asseclam Hilarionem:
Purum quidem vita, operibus verò puriorem.
Vestis erat illi *aspera, purus victus, dies ieiuni,*
Noctes insomnes, cantus, deprecationes.
Diuinus huic in corde, in verbis, in aspectu,
Spirat Amor, Diuinorum patrator operum.
Planè Angelica Figura Profectò dices,
Talibus Viris valde oblectamur.

Quibusnam viris Cœlites oblectẽtur?

Ita est, Patriarcha sanctissime, Viris Angelicis etiam dum viueres oblectabaris: & nunc Hierarchiæ Angelorum adscriptus, eorumdem Manibus oblectaris. Te in terris suspexit Hilarion: libros tuos Asceticos, sic S. Benedicto iubente, non solùm legit oculis, dilucidauit labio & calamo, sed moribus & vitâ expressit: supereſt igitur, vt qui tuarum virtutum fuit humanitùs imitator assiduus, sit cœlitùs tuæ gloriæ consors. Hoc illi voueo: &, vt feliciùs assequar, apud supremum Numen interpono tua merita: & de clementi tuo patrocinio confidens, pono calamum, non tamen animum te amandi, venerandi, laudandi; non solum quamdiu vixero, sed quamdiu fuero.

Homines ad mortem vsque viuimus? post vitam tamen adhuc erimus.

ORATIO
HABITA IN CAPITVLO S. BASIL. I. DIE.

1891 An S. Basilio Benedictini debeant *Patrem nostrum* vocare? Quomodo Sancti nobis & in nobis nascantur.

PATRIARCHÆ illius, quem Patrem nostrum debemus Cistercienses vocare ex Regulæ nostræ præscripto [c. 73.] hodie à Romanâ Ecclesiâ Matre nostrâ celebratur Natalis, & qui à mille ampliùs annis natus cœlo, nascetur hodie nobis, si eius confirmemur doctrinâ in obseruantiâ Regulari. *Collationes & Instituta & Vita eorum* (sanctorum Patrum) *& Regula sancti Patris nostri Basilij, quid aliud sunt, nisi bene viuentium & obedientium Monachorum exempla & instrumenta virtutum? nobis autem desidiosis & malè viuentibus atque negligentibus rubor confusionis est.* Hæc S. Benedictus sub suæ Regulæ

Regulæ finem, quæ hodie in S. Patriarchæ Basilij gloriam & vitæ nostræ reformationem debebunt breuiter explicari.

An S. Basilij Regula omnium legum Monachaliū sit basis?

Basis totam columnam sustinet, & ædificiū totum lapidi fundamentali inest; & inde doceor, cur Patrum Collationibus, Catholicorum Institutis, Sanctorum Viris supponat S. Benedictus Basilij Magni Regulam. hæc enim basis est, quæ Patres Catholicos & Sanctos sustinuit: hæc fundamentalis ille lapis, cui insunt Collationes, Institutiones, Vitæ. Proponit conuersationis Religiosæ Theoremata fundamentalia, quibus non solùm vita, sed & leges aliorum Patriarcharum subsistunt. Tradita est à Basilio.

Qualis Basilius fuerit?

Sed iste qualis? Luculenter Diuus expressit Benedictus. At velim omninò doceri, Cur ita illi Sanctitatem & Paternitatem adscribat, vt nolit illam tam inhærere Personæ, quàm Paternitati? *Sancti* enim *Patris nostri Basilij* commendat Regulam, non verò *S. Basilij Patris nostri*. Et respondeo, non omnes Sanctos eiusdem esse ingenij aut genij. Sunt aliqui personaliter probi, qui malè regunt, scientiæ aut experientiæ defectu: sunt & alij personaliter mali, qui sanctè regunt. Priores illi, si amicorum errore promoueantur, zelo reformationis æstuant, & indiscretè omissis mediis requisitis ad finem intentum festinant. Posteriores, non cauent sibi vitia, quæ aliis; & tamen quamdiu secretè mali, vt Sanctis antistent apti sunt. Neutri tamen vocari aut boni aut mali possunt simpliciter & absolutè, sed, si liceat terminis cathedræ vti in suggestu, boni secundum quid. Vnusquisque enim illorum meo Philarcho similis, cuius tetigi mores hoc disticho.

Cur illum S. Benedictus dixerit *Sanctum Patrē*?

Eucho, quem carpo; celebro, quem damno Philarchum,
Semimalumque bonum, semibonumque malum.

Alij bene viuunt, & malè regunt: alij male viuunt, & bene regunt: alij male viuunt, & malè regunt: alij bene viuunt & bene regunt.

siue enim bene vixeris & malè rexeris, siue malè vixeris & bene rexeris, Philarcho poteris adnumerari. Tyranno & Regi interest. Ille nequam, quoniam nequaquam bonus; hic simpliciter bonus, quoniam, vt dicitur, ex causa integra, vt nullo defectu. Tyrannus dicitur qui malam vitam peiore regimine inuestit: Rex, græcè *Basileus*, qui exemplo præit, & honestis suos legib. incolumes ad salutem conducit. Vtrumque olim depinxi hoc tristicho.

Nequam vnde dicatur.

Inter Regem & Tyrannū discrimen.

Discere vis quantū distans à Rege Tyrannus?
Moribus hic perdit, perdit & imperio?
Ille regit vita, quos regit imperio.

Βασιλεὺς, *Rex*: quasi Βάσις λαῶν. *Fundamentū populi*. hinc Βασιλεῖος, *Basilius*.

Basilius igitur, Regis nomine præditus, vt doceamur, vita & lingua præfuisse, docuisse, prædicasse. Profecit vitæ sanctitate, & profuit sanctitate doctrinæ: & quia hanc nobis legendam & meditandam proponit D. Benedictus, non tam personæ, quam paternitatis & regiminis sanctitatem commendat.

[Βασιλείδης, Hæreticus 365. esse cœlos opinabatur.]

Cur hîc *Sanctus* & non *Magnus* dicatur?

Sed statim inquiret studiosa deuotio, cur *Sanctum* noster Legislator eum dicat, quem alij *Magnum*? Aut fallor, aut vt doceamur Quantitatem esse substantiæ Magnitudinem; omniaque de Magnitudine dicenda, quæ de Quantitate dicuntur. Hæc duplex: Molis, Virtutisque. Quantitas virtutis est bonitas, nam in corporeis hypostasibus, idem est maiorem quàm meliorem esse. Igitur in Spirituali rerum ordine idem magnum quod bonum; in morali, quod sanctum. Et laudandus S. Benedictus, qui nominando *Sanctum*, quid omnes *Magni* nomine intelligi velint, nos docuit.

Quantitas duplex: alia molis, alia virtutis est.

Cùm laudauit Antistitem Basilium Benedictus, ad discipulos illius conuertit oculos, & illos *bene viuentes & obedientes Monachos* nominat, & insinuat non posse dici bene viuere qui malè obedit; nec Monachum, qui male viuit. Oportet gerere mentem obedientissimam; debes enim aut subsistere Regulæ, aut si per surreptionem defeceris, veniam & pœnitentiam exorare. Nam, vt in suo Capite X. (mihi *num.* 1973.) Augustinus definit, *Qui non vult petere veniam, aut non ex animo illam petit, sine causa est in Monasterio, etsi inde non proiciatur.* Et vt libro de præcepto, & dispensatione Bernardus, *sine obedientissimâ resignatione frustra de loci stabilitate confiditur.* Qui enim in Monasterio non tamen monasticè viuit, tunc demum dicendus est Monachus, si neganda illa Assertio, *Habitus non facit Monachum, sed Monachus habitum.*

Bene viuere, est secundum legem viuere. Ergo bene viuit, qui bene obedit.

Obedientia vitæ Monasticæ fundamentum est.

Per plateas discurrimus, & inuenimus infantes & puellos habitu religioso inuestitos, nec illos Monachos vocamus; isti enim ab habitu mero non fiunt. Videntur Monachi, nec tales sunt; nam illam vestem ob alienam deuotionem circumferunt. & ideò à vulgo *Monachi deuotionis* (Hispanicè *Frayles de deuocion*) vocantur. Bone Deus! Quàm pauci in Monasteriis veri & deuoti, & quam multi sunt Monachi deuotionis; videlicet, alienæ: vel quod alij Deum ament, vel quòd ipsi aliud ament quàm Deum. Veniunt sine Deo nonnulli, nonnulli sine Deo inducuntur in claustra, & hoc non rarò à personis indiscrete respicientibus Deum. Habui Compluti condiscipulos, quos miseria & paupertas ab orbe sæculari proscripsit, & in mundum regularem inuexit; sunt enim qui mundum quærant inueniant extra mundum. Habui socium, cuius sororem Pater inuitam damnarat religione, & mihi contradicenti sic fuerit quasi ex tripode locutus. *Timendus Deus, & interponendæ sanctæ animæ, vt ab illius nos indignatione, & furore defendant. Ego audiri à Deo indignus, genui filium multò peiorem me. Et si pro vtroque hæc virgo non intercedat apud Deum, miserrimè periclitabimur. Sit igitur sancta, velit nolit: sit religiosa, vel inuita: commendet nos Deo, licèt inuoluntaria; & tandem beatitudinem, quam nostris meritis non valemus, eius patrocinio adsequamur.* Audiui à meo Bernardo Campmans Moniales etiam strictiùs, & seueriùs, quàm monachos solere in cœnobia detrudi. Semel ipse professionem solemnem ingenuæ adolescentis admissurus, petiit, Vtrùm Spiritus sancti impulsu deuenisset in claustrum? Hæsit Virgo imperita, & decrepita Antistes sic affatur. *Venit Reuerendissime Domine, Spiritus sancti impulsu: sicut aliæ Moniales; tametsi in hoc fœlicior, quòd duos solùm, cùm aliæ plures Spiritus sanctos passæ. Ego enim acta ab vndecim, inter quos mea nouerca, sicut authoritate proximior, sic etiam*

De infantibus, qui ex deuotione Parentum habitu Religioso vestiuntur.

Frayles de deuocion, Hispanicè.

Est in Adagio. *Desperatio* (quæ ex nimiâ paupertate aboritur) *tria* M *facit*, videlicet, videlicet, Militem, Monachum, &c.

Multæ fœminæ in claustra inuitæ protruduntur.

Multæ non Spiritus sancti impulsu, sed parentū violentiâ coguntur habitum Religiosum induere,

An ad omnes Electiones Spiritus sanctus concurrat?

etiam impulsu potentior. Ita aguntur humana, & in generalibus Comitiis, & statu electione se frequentissimè ingerunt Spiritus sancti multi bipedes.

Verus Monachus mundum relinquit propter Deum.

Oportet verum Monachum nec propter homines, nec propter humana sæculum deseruisse, sed propter vnum Deum. Et in claustro oportet Regulam diligentissimè obseruare: nam, qui in vno delinquit, factus est omnium reus. Debet Monachus fidem Deo, fidelitatem Regulæ, & vtramque tenetur analogicâ perfectione seruare, quod Magni Basilij exemplo confirmabo. Cæsareæ Cappadocum Præsul factus, à Valente qui Arianis fauebat iubetur deserere dignitatem & in exilium ire. At ipse non obstante mandato Cæsaræo, oues sibi commissas non deseruit. Agitur reus; sed minas Principis terreni non curat, nec ideò se suis ouibus negat. *Cùm Præfectus Valentis Imperatoris*, ait apud Iacobum Marchantium Horti Pastorum tract. 1. lect. V. propos. II. Theodoretus, *Cæsaream venisset ad se accersitum Basilium honorificè tractauit, & placidè est adloquutus.* (si videas Principem adulantem, discede; illa enim suauitas in tuam perditionem collimat) *hortabatur, vt tempori cederet* (quod multi hodie Prælati) *neque tot Ecclesias vellet in discrimen adducere tenui exquisitione dogmatis* (vide qualiter ipsamet iniquitas virtutis nomen, & figuram adfectet) *promittebat ab Imperatore amicitiam, & multa beneficia* (& cautè, nam quos fulmina non tangunt, munera fortissimè prosternunt) *At ille, adolescentulis* (hi faciliùs decipi, & reduci videntur) *tales sermones congruere respondit hos, & his similes* (dantur etiam senes repueraſcentes) *inhiare huiusmodi rebus*; *At verò qui diuinis nutriti essent litteris* (tales sunt qui Euangelica consilia seruant propter Deum) *eos nullam illarum syllabam in discrimen venire pati posse: solereque, si res poscat* (offerre sine necessitate vitam gladio est temeritas) *nullum genus mortis pro illis recusare. Imperatoris quidem amicitiam magni se pendere cum pietate, quâ remotâ perniciosam esse dicebat* (& videbatur esse velle, non tamen vltra aras amicus) *Præfectus hoc ægrè ferebat* (nihil enim ingratius peccatori virtute, adulatori constantia) *& denuntiato exilio* (felices boni, cùm coguntur deserere malos) *iubet eum cogitare quid agat: & postero die suam explicare sententiam. hisque sermonibus crebrâ minâ intermiscebantur* (est enim magna virtus verbis, herbis, lapidibus; summa verbis, si fustibus, & saxis armata.) *Respondit Basilius se postridiè eumdem futurum* (adamantem suspicio) *videret ipse, ne animum mutaret, minas exsequi nollet* (citiùs fatigatur iniustè vim inferens, quàm pro Deo patiens) *Post illud colloquium occurrit Imperatori Præfectus* (nam hæc est palatij miseria. Si homo pius quæratur, non comparet; si adulator, sceleſtus, malesuadus, statim inuocatus occurrit) *exponitque quid dixerit Basilius, & qua animi virtute* (sæpè enim plus defertur dicendi constantiæ, & fortitudini, quàm verbis) *sicque Imperator quiescere est coactus* (nimirùm ab eo, quem ipse cogere nunquam potuit; fortior enim est nuda veritas, quàm armata, & communita falsitas.) Adest suis Sanctis Deus: nam illâ nocte, vt ab historiâ habemus, dum Ecclesiam suam Basilius commendat Deo, Imperatoris vxor doloribus maximis corripitur: filiola extinguitur, & Cæsar rogatum mittit ad Basilium, vt precibus ad Deum fusis ipsum saltem seruarit. Seruatur Valens oratione Basilij, & suborta persecutio sedatur. Sic Ruffinus.

De summa Basilij constantiâ.

An cedẽdum sit tempori?

Quanta Episcopi obligatio sit?

Tempora mutantur, sed non mutatur in illis Optimus Antistes.

Imperatoris Resolutio.

Sicut fides, sic & fidelitas seruanda. Omne potiùs genus mortis tolerandum, quàm patiendum, vel vnam de Regularibus obseruantiis, ad quas religione, & voto tenemur, relaxari. Vnam sequitur altera; nec florentissimæ Communitates ictu oculi collapsæ sunt. Incipit somnus sibi aliquas horas superfluas vendicare ex mandato Expertissimi Medici; cibus esse lautior, & melior prætextu pietatis; confabulatio extendi amicitiæ colore: chorus non frequentari, discretionis specie; & tandem Deus deseri, & vt credi volumus, propter Deum. Attende, obsecro, & vide, pax dicitur, & non est pax. Si Monasterio præficeris, antiquas obseruantias conserua, & contradicentes ne cures. Si te conueniat aliquis, qui videatur Deum loqui, Deum gerere, & tamen tibi relaxationem suadeat, scias Lucifero solemnem esse transfigurationem, nec omnes esse lucis Angelos, qui videntur. Si cœlestis spiritus dixerit ignauiã gratam Deo, illum apostatam cense, nec ab ipso iudicari permittas. Si honorificè tracteris ab aliquo, debitor es; si illum sanctiorem feceris, satisfeciſti. Si placidis verbis circumueniaris, suauibus nega quæ iniustè petuntur. Hortabitur, vt cedas tempori, qui etiam tempori cesserit; Tu verò si generosus es, tam sanctè viuas, vt tempora, & abusus præscripti cedant Tibi. Si nimius rigor Ecclesiam totam Tuam in discrimen adducere dicatur, modò nihil noui introducas, perge audacter, nimius enim rigor non est, omnia exactè seruare, nec permittere, quòd aliquis peccet impunè. Si promittuntur promotiones, ne hæreas, semper enim pestifer panis, quem non sudore vultus, sed iniquitate lucreris. Loquar sincerè; Si Præpositus sis, ad Abbatiam non Tibi viam aperiet conniuentia; nam Monachis, non enim irrationales sunt, relaxatio ipsa placet, displicet qui concedit, nec vnquam suffragiũ vtile illi conferent, cuius potuerunt conniuentia peccare. Guberna Magno Basilio similis, nec permitte vel vnam Regulæ Benedictinæ syllabam, provt à nobis hodie intelligitur, in discrimen venire posse. Non sufficit in discrimen non veniat; opus est ita omnia disponere, vt non possit: docemur enim experientiâ, accidere vniuersa, quæ possunt. Multum à primitiuo nostræ institutionis rigore, & quidem per gradus descendimus, si adscendere non permittamur, nec nos per aliquem permittamur descendere. Sed vitâ, exemplo, linguâ, calamo singulos in obseruantiâ contineamus, vt Basilio Magno similes, tremendo Iudici villicationis nostræ congruam reddere possimus rationem, & in tribunali tremendo ad votum nostrum iudicari. DIXI.

Quantâ curâ manutenendæ sint Monasterij obseruantiæ?

Senſim relaxatio ſpecie virtutis ſubrepit.

Interdum ſe Lucifer in Angelum lucis transfigurat.

An tempori cedendum ſit?

Rigor non eſt, rigorem antiquum conſeruare.

Rarus aut nullus per conniuentiã promouetur.

Baſiliũ imitari debemus.

Relaxatio in monaſteria ſeſe inſinuat per gradus.

THEO

THEOLOGIÆ REGVLARIS

PARS QVINTA.

COMMENTARIVS IN REGVLAM D. AVGVSTINI.

THEOLOGIÆ REGVLARIS

COMMENTARIVS

IN REGVLAM

D. AVGVSTINI

ILLVSTRISS. ET REVEREND. D.D.

IOSEPHO CIANTES,

DIGNISSIMO MARICENSIVM EPISCOPO.

RELIGIOSÆ vitæ Institutiones, quas Doctor Diuinus scripsit, & Ordo Prædicatorius profitetur, ideò Tibi consecrare decreui, quòd Te habuerim ob oculos, vt illas Commentario illustrarem. Vitæ rigorem, quem in Ordine didicisti Adolescens, hodie ad Episcopatum adsumptus, tam religiosè obseruas, vt sis vniuersis exemplo. Abeant ergo, qui docent Episcopos ad Regulares austeritates non teneri, Religionis legibus non obstringi; nam sola statûs Monastici & Pontificæ Dignitatis oppositio dispensat, quæ in Oratione, Ieiunio, & aliis pœnalitatibus & austeritatibus, quibus Religiosi exercentur, minimè reperitur. Adsit quisquis Optimi Præsulis Imaginem videre velit. Ineat Pietatis Lyceum; ibi enim tuæ vitæ præsidet Innocentia, & hoc tristichum, Asceticis Monitis grauidum, dictat Theophilis, qui mores reformare conantur: nam vnicuique fauere & prodesse desiderans, sic inquit.

1892 Patrum Dominicanorũ Religio obseruat Regulam S. Augustini.

An Episcopi Regulares teneãtur obseruare Regulam?

Idea optimi Præsulis.

Disce quidem Virtutem ex me, verúmque laborem,
Fortunam ex aliis: nunc te mea dextera bello
Defensum dabit, & magna inter præmia ducet.

Virgilius Æneid. lib. 2.

Laborant Prælati & Prælati: aliqui vt arces, alij vt animas erigant & ædificent: illi Deum quærunt, hi fortunas. Illorum labor verus est; horum, si mediocris, tolerabilis fortè; adulterinus autem & spurius, si in excessu peccetur. Audio Sanct. Benedictum, qui his verbis Antistitem virtutis studiosum instituit. *Ante omnia, ne dissimulans aut parui pendens salutem animarum sibi commissarum, non plùs gerat sollicitudinem de rebus transitoriis & terrenis, atque caducis; sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus rationem redditurus est. Et ne causetur de minori fortè substantiâ, meminerit scriptum, Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc omnia adiicientur vobis. Et iterum, Nihil deest timentibus eum.* Et quia hoc à te fieri video, quod omnibus Sanct. Benedictus persuadet, tibi μαθητιάω. &

Diuersa diuersorum Prælatorum studia.

S. Benedictus cap. 2. suæ Regulæ.

Qualis esse debeat Antistes?

Quid illustrissimus D. Ciantes nos doceat?

Disco priùs virtutem ex te, verúmque laborem;
Fortunam ex aliis. Si hanc addisco.

Porrò Insulæ non debent ad bilancem venire; nam qui opes diligit, & oues negligit, tua vestigia non sequitur, nec *Episcopus* vocari debet. Et quidem Ἐπισκυθίζων, & Ἐπισκοπὸς, voces sunt similes; at prior à tondendo & potitando ducitur, & ab inspiciendo posterior. Tondeant Scythico more oues suas, qui vt laute viuant, fortunas sectantur. Eò tyrannidem euexerint, vt tondere tantùm, & non deglubere apud illos sit virtus. Subscribant Fausto, qui olim cecinit,

Quomodo *Episkythizon* & *Episcopus* differant?

Optimus est habili tondet qui forfice Pastor,
Nec proprio miseras vellere glubit oues.

Non hæc Episcoporum cura, qui Deo & virtuti studeant. Hi vigiles & inspectores sunt; & ab Apostolo docti dicunt subditis, *Non quærimus vestra, sed vos.* Hos Liber hic concernit; hos instituit; & vt perfectiùs possit, singulo-

Pro quibus, & contra quos hic liber prodeat?

rum affectus ad tuos mores elimat. At vbi prælum subit, prælium init, & ἐπισκοθίζοντας, hostes patitur: quorum impotentiæ succumbet, ni sit eximium Mecœnatem, & magnum Protectorem indeptus. At, quia ab illo tu stas, timore vacuus audet in publicam lucem exire; quoniam

Nunc hunc tua dextera bello
Defensum dabit, & magna inter præmia ducet.

S. Thomas Hebraicè loquitur Illustrissimi D. Cianres industriâ.

Tua inquam dextera; illa videlicet, quæ Sanct. Thomam in idioma Hebræum vertit, & contra Rabbinorum technas versutiasque mundo defensum dedit: illa ipsa Commentarium hunc defensum dabit contra ἐπισκοθίζοντας qualescumque.

Quod præmium scriptores ambiant?

Sed *& magna inter præmia ducet.* Sed quæ? Scriptus est, vt legatur à doctis: nec labor ille assiduus, qui impenditur, vt exornetur, sublimius ambire præmium potest, quàm ad manus & oculos Virorum doctorum venire. Ducitur igitur inter magna præmia iste liber, cùm à te legitur, & à te cæteris commendatur: quia cætera, (lauri, palmæ, coronæ) si hoc non adsit, sunt nulla. Breuiter discurramus per singula.

Præmia ingeniis præparata, quæ? *Laurenzo Gracian* en el Tratado Agudeza, discurs. 7. pag. 23.

Lauru coronantur Ingenia (iam scio.) Ergo folia fructu plena scribendo, folia infrugiferæ arboris pro præmio adquirunt. Quam ob rem quidam Eruditus Hispanus, ausus est dicere, *Que la Corona de Laurel, era premio en oxarasca de los grandes Ingenios.* Quod persuasit his numeris.

Para coronar Poëtas
Escogiò sus ramas Phebo;
Que de Arbol, que no da fruto
Se coronan los ingenios.
Præmia dat Musis, laurus celeberrima. Sed cur?
Luxuriat foliis, fructibus ipsa caret.

Studia ergo, quæ in præmium Laurum indipiscuntur, præmio carent.

De palmæ naturâ vide *Plinium* l. 23. cap. 5. & l. 13. cap. 4. *Dioscoridem* l. 1. cap 10. & *Theophr.* l. 1. cap. 2. & l. 3. cap. 5.

At donantur interdum etiam Palmâ. At hoc non tam præmio donari est, quàm palmari. Sanè in Italiâ fructum nullum exhibet Palma, in maritimis Hispaniæ immitem, citò euanescentem in Africâ, dulcem in Indiâ. Ergo, vel hinc cognoscent docti, quale præmium labori litterarum assiduo Europæi Principes destinauerint: & nisi ad Garamantas & Indos ire velint, esse contenti debent, si Virorum Illustrium obtinuerint applausum. Et quia tu aduersus me honorum liberalis, aut veriùs prodigus, meorum qualiumcumque studiorum authoritatem promoues, & Viris eximiis commendas; & quia aliud ego præmium, diu noctuque chartis impallescens non ambio; *à te magna inter præmia duci* meos labores profiteor; &, ne videar ingratus, hoc publico testimonio asseuero esse.

Dat. Romæ 4. Calend. Iunias ann. 1656.

Tuæ Illustrissimæ Dominationis addictissimum & obligatissimum seruum

IOANNEM CARAMVEL.

INDEX

Capitum, & Materiarum.

CAP. I.

1893 De Charitate Dei, & proximi; de Vnitate cordium, & communitate rerum, *n.* 1890.

In vniuersis Religionibus obligationes essentiales, aut eædem, aut similes. 1891. *Omnia à Deo incipiunt physicè.* 1892. *Actiones omnes debemus à Dei inuocatione auspicari.* 1892. *Proximi amor an difficilis? an saltem iniqui habendi odio?* 1893. *Amor proximi est diuini proprietas, & extensio.* 1894. *Infert cordium vnitatem, & amicitiam, quam stabilitas, & communitas bonorum sequitur.* 1894. *Deus ante omnia amandus.* 1899. *Id ipsum, quibus possit modis intelligi.* 1895. *Deus maioris faciendus, quàm omnia; an etiam intensius diligendus?* 1895. *An in primo illo instanti, in quo homo vti ratione incipit, teneatur diligere Deum super omnia?* 1895. *Oratio matutina.* 1896. *An obliget sub culpa Regula Augustiniana?* 1897. *confertur cum Benedictina.* 1898. *An omnia, quæ in Augustiniana sunt, habeant præcepti vim?* 1899. *an saltem aliqua?* 1900. *ad veniale obligantia?* 1901. *An ex hypothesi, quod S. Augustſ. singulos voluerit obligare, singuli ad culpam obligarentur?* 1902. *An si omnia, & singula Superior præciperet?* 1903. *An si omnia, & singula priuatus Religiosus voueret?* 1904. *De contemptu rerum regularium.* 1904. *Finis vitæ communis. De Paupertate.* 1906. *An debeant omnes æqualiter necessaria accipere.* 1907. 1908. *An debeant Nouitij condere testamentum? An omnia, si condant, Monasterio legare?* 1909. *de illis, quos Paupertas in claustra abegit: Qui in illis soleant viuere, qui ad Monasteria, non vt benè sed vt laute viuerent, confugerunt.* 1910.

CAP. II.

De Humilitate. *num.* 1911.

Omnium virtutum ipsa est finis. Superbiæ opponitur. Species huius vitij. 1912. *Superbia, & grauitatis discrimen.* 1913. *Non omnem animositatem, & imprudentiam esse peccaminosam.* 1914. *Superbiæ proles Inurbanitas, Detractio, Inobedientia, Contemptus.* 1915. *requisita, vt iste formalis dicatur.* 1915.

CAP. III.

De Oratione, & Ieiunio. *n.* 1915.

Orationis, & ieiunij cognatio. 1916. 1921. *In Oratorio nihil, nisi orare, faciendum,* 1917. *probatur à nominis etymo.* 1918. *De attentione interna.* 1919. *De mutatione officij.* 1920. *De ieiuniis. Quid sit ieiunare vltra vires?* 1921. *De illo, qui nequit ieiunare.* 1922. *De senib. infantib. quibuscũq;* 1923. *De Theol. Doct. aut Profess. De illo, qui dicit se ægrotare* 1923. 1971.

CAP. IV.

De refectione vtriusque hominis. *n.* 1924.

Homo ex corpore, & animo componitur. 1925. *vtrumque reficitur.* 1926. *Quid sit audire sine tumultu, aut contentione?* 1927. *An delicatè nutriti debeant benignius tractari, quam alij?* 1928. *Consuetudo potest adquiri. Exemplum nobile, & appositum,* 1919.

CAP. V.

De infirmis curandis. *n.* 1931.

Quis ditior sit? quis melior? Religiosi ditissimi, 1932. *An ægris, pueriſque plures, an verò pauciores sunt cibi ministrandi?* 1933. 1934. *Pharmacorum non meminit S. Benedictus,* 1934. *Optimæ medicinæ regula: moralis, naturalis,* 1935. *Honorandus medicus propter necessitatem: non ergo sine necessitate adhibendus.* 1936.

CAP. VI. SECTIO I.

De pudicitia interna, *num.* 1941.

De delectationibus morosis. 1022. *de Castitate multa à n.* 973.

CAP. III.

De habitu interiori, & exteriori. *num.* 1937.

An imperfectioribus ad perfectiora. 1938. *S. Augustinus in vestibus modestissimus fuit,* 1938. *item S. Benedictus,* 1939. *Modestissimus fuit S. Bernardus,* 1940.

CAPVT VII. SECTIO II.

De correctione fratrum, *n.* 1943.

An sit contra Regulã B. Augustini fraterna culparũ correctio? an possit licitè omitti? 1945. *An possit relapsus denuntiari?* 1946. *De testibus delicti, & correctionis,* 1947. 1948. 1949 1950. *Quid Abbas debeat facere admonitus de peccato Religiosi?* 1951. *An correctio fraterna apud Augustinianos sit præcepta?* 1952. *Possit-ne Religiosus alienam vitam examinare, vt corrigat fraterne?* 1955. *Qui debeat erga contumacem procedi?* 1956. *Oeconomia correctionis fraternæ.* 1956. *De epistolarum receptione.* 1957. *Epistola duplex, Eulogium, Litteræ. An recipere leuia sit mortale peccatum.* 1958. *Summæ in Monasteriis miseriæ ex epistolis ortæ.* 1959. *munuscula rosaria, icones, orationes,* 1959.

CAP. VIII.

De rerum communium custodia. *num.* 1960.

An celare, & furari idem sit? 1962. *an*

idem sit celare substantiam, ac modum ? 1963. Resolutiones aliquæ benignæ circa paupertatis materiam, 1962.

CAP. IX.

De munditia vestium, & corporum. *num.* 1964.

Mundities non est virtus, si nimia. 1695. vestes non possunt lauari sine licentia 1966. An concedenda balnea ? 1967. Quid sancti Patriarchæ balneorum nomine intellexerint? 1968. An aliquis teneatur vti medicinis ante Abbatis præceptum ? an teneatur præcipiente Prælato ? An in probabilitatis materia ? 1960. Prodesse creditur quod delectat, licet noceat. 1970. An in morbo occultò credi debeat agroto ? 1923. 1971. Quid intelligat nomine famuli Dei Augustinus 1971. Differentia dictaminum, & opinionum summa ? 1972. An præstet singulos Religiosos, an binos ? 1972. De infirmorum Magistro. 1972. b. De Communitatis administris. 1972. c. Omnia horis competentibus petenda, & danda. 1972. d. De litibus. 1972. e. An idem sit odisse, & occidisse ? An sine odio lites haberi possint ? 1972. f.

CAP. X.

De venia postulandâ, & offensa remittenda. *num.* 1973.

Sine causa est in Monasterio, qui veniam non petit, cùm errat. 1973. b. c. Quid sit leuiter sentire ? 1973. c. Quid debeat facere Superior, si in modo correctionis excesserit? 1973. d. An possit ita excedere, vt & peccet mortaliter ? 1397. 1497.

CAP. XI.

De obedientia. *num.* 1972.

Cur de obedientia agat sub finem Augustinus. 1975. De Priore, Prouinciale, Generale, 1975.

CAP. XII.

De iugi Regulæ meditatione. *n* 1976.

An hæc Regula debeat singulis septimanis legi tota simul, an singulis diebus bina capita ? 1977. Regula Speculum. 1977. Aliud est vouere obseruantiam Regulæ, aliud Obedientiam secundum Regulam. 1978. Forma Professionis. 1978. Quid sit promittere obedientiam Beatæ Virgini? 1978. An si aliquis Religiosus à mortuis diuinitus excitaretur, posset vxorem ducere ? 1979.

D. AVRELII AVGVSTINI EPISCOPI HIPPONENSIS REGVLA.

CAPVT I.

De Charitate Dei, & proximi : de Vnitate cordium, & Communitate rerum.

1894 Constans est S. Augustinus in ea sententia, quæ docet, Decalogum, non ex naturâ rei, sed quia à Deo præcipitur, obligare.

ANte omnia Fratres charissimi diligatur Deus; deindè proximus; quia ista præcepta sunt principaliter nobis data. Hæc igitur sunt, quæ vt obseruetur præcipimus in Monasterio constituti. Primum propter quod in vnum estis congregati; vt vnanimes habitetis in domo : & sit vobis anima vna, & cor vnum in Deo. Et non dicatis vobis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia : & distribuatur vnicuique vestrum à Præposito vestro victus, & tegumentum. Non æqualiter omnibus : quia non æqualiter valetis omnes : sed potius vnicuique sicut cuique opus fuerit tribuatur. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum : *quia erant illis omnia communia, & distribuebatur vnicuique, sicut cuique opus erat.* Qui aliquid habebant in sæculo : quando ingressi sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in Monasterio : quæ nec foris habere potuerunt : sed tamen eorum infirmitati quod opus est, tribuatur, etiamsi paupertas eorum quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire. Tamen non ideò putent se esse felices, quia inuenerunt victum, & tegumentum quale foris habere non potuerunt.

Distribuenda sunt omnia prout necessitas postulat.

De proprietate in communi.

Qui pauperiores in mũdo erant, interdum sunt in claustro molestiores Prælato.

COMMENTARIVS.

Omnes Religiones sunt similes.

HAnc ergo post Viros magnos Regulam exponendam suscipio, quod expositam putem in Benedictinæ Commentario, quem præmisi. Omnes obligationes regulares eædẽ sunt,

ſunt, aut ſimiles, adeoque, vel eodem omninò modo, vel ſaltem ſimili exponendæ. In religioſis omnibus Communitatibus debet eſſe corporum ſtabilitas, animorum concordia: ſeruari conſilia Euangelica, Obedientia, Caſtitas, Paupertas; & Officium Diuinum priuatim, vel publicè legi. Omnes, vt benè gubernari dicantur, habere debent Superiores, & Adminiſtros; illos, vt diſciplina vigeat; hos, vt temporalia adquirantur, diſtribuanturque. Ne intereant Monaſteria, debent gignere in Domino nouam prolem, religionis, & virtutum hæredem, qua ſemper admiſſa, tametſi mortali, immortalia ipſa ſint. Hæc omnia libris duodecim complexus, quid hic addam vix habeo; Sed quia non omnes ſcient in priori Commentario inuenire, quod quærunt, operæ pretium iudicaui Lectorem ab hoc ſubleuare labore, & ad certos illum locos remittere, vbi materiam, quam D. Auguſtinus prælibat, videat vberiùs pertractatam, Addam nonnulla interim, vbi ratio vberiorem doctrinam videatur poſtulare.

Quænã ſint vniuerſis cõmunia?

Tametſi ſinguli Religioſi mortales ſint, eſt ipſa Religio immortalis.

TEXTVS. *De charitate Dei, & Proximi, de Vnitate cordium, & Communitate rerum*, Caput I.

A Ioue principiũ. Adag.

MEritò à Dei amore incipit; quoniam & ipſimet Gentiles à Deo omnium rerum initium phyſicè ſumi, & debere ciuiliter, moraliterque non ignorarunt, quod ego vberiùs expendo *diſp.76. n.1126.* & alibi.

Homo in ſtatu naturæ lapſæ amandũ eſſe inimicũ, niſi Deus iuſſiſſet, neſciret: & niſi Deus ſua gratiâ adiuuarit, non faceret.

Poſt Dei amorem ponitur amor proximi, quem multi difficilem iudicant, pauci enim ſuis meritis amore digni, & ſinguli debent amari propter Deum; adeóque non alio, quàm illo eodem amore, quo Deus. Vel dicito; Cur amaturus eſſes falſos fratres, inimicos, æmulos, calumniatores, detractores, tyrannos, viros ſcandaloſos, ſi legibus naturæ ſtares; omnes enim hi mali, & in malum voluntas tendere non poteſt? Fateor, nec illos amare deberes, ni præcepiſſet Deus: nec poſſes, niſi gratiam cooperantem concederet: res enim ardua, inuaſorem diligere. At quod naturæ lapſæ arduum aut fortaſsè impoſſibile; facile eſt reſtitutæ per gratiam.

Quid pia affectio ſit? quãtum poſſit & valeat?

Pia affectio (lampas eſt, quæ fidem præmouet, ſpem excitat, charitatem conducit) eſt doctiſſima virtus, & docet in viro iniquo duo diſtinguere; perſonam, & iniquitatem; hancque à perſona præciſam, aut perſonam iniquam quà talem, odio habere, id enim non inhibet Deus: vnde Pſalmiſta Rex: *Iniquos odio habui*, ait, *& legem tuam dilexi*, & optimè, odium enim peccati ex legis diuinæ amore, & dilectione exoritur: at perſonam à culpa, & iniquitate præciſam, ſecundum ſe ſumptam peramare; nimirùm in Deo, & propter Deum.

Amor proximi videtur eſſe, aut amoris Dei proprietas, aut quædam extenſio.

Amor igitur proximi amoris diuini eſt proprietas, & neceſſaria quædam extenſio; non enim in creaturis (in ſe illum non vidimus) poteſt diligi, quin & hæ in ipſo, & ratione ipſius, modo tamen proportionato, diligantur. Amorem cordium vnitas, & corporum ſimultas conſequitur. Cordium vnitas, quoniam charitas maiorem Dei gloriam intendit: & ſi vniuerſi hanc habent, ſicut in amore ipſo, ſic etiam conueniunt omnes in amoris obiecto, ipſe enim, aut inuenit ſimiles, aut facit. Hunc ipſum animorum conſenſum, ſequitur loci ſtabilitas, & propoſiti perſeuerantia, qui enim defectionem facit, ſchiſmaticus eſt, hanc vnitatem exſcindit. Conſenſum tandem ſequitur rerum vnitas, vera enim amicitia in conſenſu voluntatis conſiſtit; & amicorum ſunt, ſi verè tales, vniuerſa communia.

1895

Quid ſit diligere Deum ante omnia?

TEXTVS. *Ante omnia, fratres chariſſimi, diligatur Deus, deinde proximus: quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data.*

Plus quam creaturæ amandus eſt Deus appretiatiuè.

ILlud *Ante omnia*, diuerſimodè poteſt exponi: nimirum, appretiatiuè, intenſiuè; & tempeſtiuè. *Primo ſenſu* non eſt noua lex, aut ſanctio hæc, ſed Decalogi diuinitùs lati, repetitio; Deum enim maioris debeo facere, quàm omnia, & proximum immediatè poſt Deum: peccaturus aliàs, ſi Deo creaturam præponerem, aut Deo proximoque interponerem rem aliquam tametſi pretioſam, quam penderem minoris, quam Deum, & maioris quàm proximum. *Si ſenſus ſecundus* teneatur, omnia ambigua. Fortè, qui Deum diligit, non poteſt intenſiùs diligere creaturam. Fortè illi habitus ſupernaturales ita ingenio ſuo ordinati, vt ſicut mala nequeunt amare, ſic nec male. Fortè ſemper operantur quod poſſunt, & quantum poſſunt, & ſola eſt in noſtra voluntate operandi, aut non operandi libertas, non tamen modus operandi. Quam ſententiam videtur habere Bernardus, & ego exemplo oculorum dilucido; mihi enim illos claudere, & aperire liberum, adeoque videre, & non videre, non tamen iſtam chartam in debita, & inuariabili diſtantia poſitam videre intenſiùs, & remiſſiùs: aut enim non videbo illam, aut videbo ſemper eodem modo. Vndè ſimiliter poſſet aliquis de rebus ſupernaturalibus philoſophari, & dicere; homini eſſe liberum actum charitatis elicere, quem omittere poteſt: at elicere iàm intenſum, vt quatuor, iam vt quinque non eſſe in noſtra poteſtate, ſed ab habitus perfectione pendere, quem intendimus æquè intenſis (aut intenſioribus, ſi auxilium fortius habitu ſit) operationibus: non tamen remiſſioribus, quoniam iſtæ non dantur. Sed de hoc alia; vrget enim promiſſa illuſtrationis breuitas, vt ad *tertium ſenſum* tranſeamus. Et illum ſuſpicientes, non per omnia ſuſpicimus. Deum diligi debere ante omnia, hoc eſt, priùs quàm omnia aliqui aſſeruerunt, & ſcrupulis conſcientias timoratas vexarunt. Si priùs amandus Deus quàm creaturæ, primus actus liber, quem debet homo elicere eſt Dei dilectio, & ſi hoc verum, quis ſe audebit decredere huic culpæ obnoxium? Puto equidem ſeueram hanc ſententiam à viris optimis doceri, ſed fortaſſis non ideò optima, quoniam ſolent ingenuæ & timoratæ conſcientiæ etiam ibi fateri culpam, vbi culpa non eſt. Sentio igitur hominem non ita rationis vſum diuinitùs conceſſum recipere, vt ſtatim teneatur ſub mortali gratias agere; quoniam & fauorem ipſe & obligationem ignorat

An etiam intenſiuè.

An amoris intenſio ſit amanti libera?

An poſſim clariùs & obſcurius obiectum videre cum volo?

Quomodo intendatur habitus?

An actus ſe ipſo intenſiores poſſit elicere?

An puer, in primo inſtãti, quo ratione vtitur, amare debeat Deum ſuper omnia?

Reſolutio negans.

ignorat; nec tenetur gratias agere de rebus quas neſcit, nec legere obſtringitur quam non cognoſcit: Vel dicito tu, quicumque oppoſitam opinionem tueris, qua die incepiſti vti tua libertate? non ſcies hoc. Et progredior. Si mihi ſincerè reſpondeas, an non multis annis ante fuiſti operationum dominus, quàm audires hanc controuerſiam agitari? quomodo ergo potes te credere obligationi obnoxium, contra quam duæ tam fortes exceptiones occurrunt? Et vt ipſas altiùs adhuc percalleas, attende: Tibi Auguſtiano Religioſo præcipit Generalis, vt Pſalmos pœnitentiales hodie legas ea ipſa hora, qua cœnet Imperator Turcarum, & tamen legem tibi nec per ſe immediatè, nec per alium hodie notificat, ſed cras: & poſtulo, An te die craſtina opinaberis peccati reum? non puto: nam contra excipies, & legem ſeriùs tibi intimatam; & ſi citius, adhuc illam laborare circumſtantia impoſſibili, non enim hora, qua Turca hodie Conſtantinopoli menſæ adſidet; hodie Moguntiæ exactè ſciri poteſt. Ergo pariformiter de lege illa, quæ dicitur præcipere vt in primo rationis inſtanti Deum diligamus, philoſophari potes: nam & ipſa, ſi daretur, multis annis ſerius in tuam deueniſſet notitiam, & ſuppoſuiſſet circumſtantiam (nimirum primum rationis inſtans) quam cognoſcere, nec tunc potuiſſes, nec iam potes.

Puer, quando incipit habere vſum rationis neſcit.

Exemplo vera opinio firmatur.

Applicatur exemplum.

Interim, vt cum Dialecticis etiam agam, ſic arguo. Vt puer obediat huic legi, *In primo inſtanti, in quo vſum rationis habeas, ama Deum.* Debet præſcire dari talem legem: & debet ſcire quando ſit illud inſtans. At illam legem præſcire puer non poteſt; non enim illam cognoſcet, niſi vſum rationis habeat: ergo, ſi illam præcognouit antequam vſum rationis habuerit, ille ipſe antequam rationis vſum habuit, vſum rationis habuit. Ergo ex hoc capite illa lex implicat. Sed & implicat ex alio, quia nec hodie ſcit quando fuit illud primum inſtans, in quo vſum liberum fuit rationis nactus.

Probatur Reſolutio.

Petis, Vtrùm expediat ad cautelam hanc omiſſionem confiteri? Sed quid confiteberis? inquam ego. Vnde ſcis te illum actum omiſiſſe? Fortè, qui liberi arbitrij vſum conceſſit, etiam indulſit gratiam, vt Deum illo inſtanti diligeres. Quid ſi non dilexiſti? Lex non erat; aut, ſi erat, illam inuincibiliter ignorabas. Ergo eſt euidens, quòd non peccaſti. Ergo eſt euidens, quòd omiſſionem illam non potes confiteri dicens, *Omiſi actum amoris in illo primo inſtanti, & peccaui*, quia fortè non omiſiſti: &, ſi reuerà omiſiſti, non peccaſti.

De Sacramẽtali confeſſione.

Cùm igitur illa verba, *Ante omnia*, ad ætatis humanæ primordia reuocari non debeant, ſic poterit prudenter admitti, vt ſentiamus S. Auguſtinum conſulere, vt diebus ſingulis, cùm excitamur mane, ante omnia Creatorem, conſeruatorem, redemptorem & glorificatorem diligamus, & nos illi omni humilitate & deuotionis affectu commendemus. Modum ſuperiùs poſui *n.* 1782. quem poteris vtiliter legere: at multò vtilius tibi præſcribere quotidiè deuotè obſeruandum. Eumdem etiam olim dedit Ambroſius Auguſtini Magiſter in hymno matutinali, vbi in paucis quæ lego, multa intelligit & ſi benè intelligo, multa Deo dico. Cum primum oculos, aperiam labia, & Archiepiſcopo Mediolanenſi duce, dicam Chriſto.

S. Auguſtini mens. Diebus ſingulis ante omnia diligendus eſt Deus, hoc eſt, quotidie, primus actus, quẽ elicias, ſit Dei amor.

Tu lux refulge ſenſibus.
Mentiſque ſomnum diſcute:
Te noſtra vox primum ſonet
Et vota ſoluamus tibi.

& quæ grandiùs & breuiùs ille cecinit, ego humiliùs & vberiùs reſumam, dicamque.

[A Somno corporeo excitatus, *Domine Ieſu, iterum periclitari incipio, & tua protectione miſerabiliùs indigere. Deus igitur in adiutorium meum intende, & ſiquidem hoſtilis feſtinat in meam perditionem exercitus, Domine ad adiuuandum me feſtina. Excita, quæſo, omnipotentiam tuam, non ſomno oppreſſam, quoniam non dormitabis neque dormies, qui nos cuſtodis; ſed meis offenſam culpis, & mihi meritas pœnas præparantem. Veni quidem non qui abes; ſed, qui lates, appareas, vt ab imminentibus peccatorum periculis te merear protegente eripi, te liberante ſaluari. Peccaui Domine, & peccare non ceſſo, quoniam ignorans ſum, (ſanè omnis peccans ignorans, & omnis ignorantia eſt cœcitas.) Habeo naturam, ſed corruptam; adeoque humanitatem inhumanam, animam inanimem, mentem amentem, memoriam immemorem, inuoluntariam voluntatem. Laboro morbo periculoſo, & habeo ſenſum inſenſibilem: video meliora proboque deteriora ſequor, quoniam ſapè vtor cæcis oculis, & aure ſurda. Vbique & vndique caligine ignorantiæ, & igne concupiſcentiæ obruor, hoc æſtuo, & illa velut fumus exſurgit, imò verius inſurgit, & ſenſus vniuerſos obnubilat. Tu igitur, lux indeficiens, refulge ſenſibus interioribus, exterioribuſque, & mentis meæ lethargo oppreſſæ ſomnum, & mortiferam cœleſtium rerum obliuionem potenter diſcute. Vt Te ante omnia, & propter Te proximum diligendo, à tua meus anhelitus miſericordia primùm motus, excitet vocem, quæ te primum ſonet, & celebret; ſpiritum qui te primum ardeat & ambiat. Da, obſecro fidei erga diuinam doctrinam tuam, ſpei erga cœleſtem beatitudinem tuam; charitatis erga immenſam bonitatem tuam, & erga proximos noſtros propter amorem tuum requiſitum augmentum; vt in vnitate cordis, & rerum communione ſeruem conuerſationem piam, quam communis monaſterij Regula indicit, & Maiorum perſuadent exempla; vt & omnes in vnum conuiuentes nos mutuo fauore cohortemur & vota ſoluamus tibi, ad votumque diuini noſtri Patriarchæ viuentes, gratia tua huius ſæculi ſuperatis procellis, ad portum, qui cœlum eſt, peruenire mereamur.*] 1896 Oratio matutina ad Deum.

An ſupernaturales habitus augeri poſſint?

TEXTVS. *Hæc ſunt, quæ vt obſeruetis in Monaſterio conſtituti, præcipimus.* 1897

SEd ſtatim occurrit difficultas, quæ inquirit, An illa vox *præcipimus* intelligenda ſit moraliter, & de vero præcepto, an verò pœnaliter & monitoriè.

An S. Auguſtini Regula ſit lex præcipiens?

Illam Hugo Victorinus moraliter accipiendam exiſtimat, vel fruſtra teſtimonia illa congeſſit,

congessit, quibus hanc periodum illustrat. morales enim sunt vniuersæ sententiæ, quas cum Regulari componit; ait enim. [Ad hæc vobis diuina præcepta leguntur, quatenus recta intelligantur & impleantur. Metuenda illa sententia qua dicitur, *seruus qui scit voluntatem domini sui & non facit, plagis vapulabit multis.* Hinc Paulus ait: *Non enim auditores legis, sed factores iustificabuntur.* Audiamus erga sacra præcepta pij Dominí & memores simus mandatorum ipsius ad faciendum ea. Quia sicut dicit beatus Iacobus: *Si quis in lege perfectè perspexerit libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Et Dominus in Euangelio: *Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Igitur quæ præcipiuntur nobis in Monasterio constitutis diligenter attendamus.]

Dialogus est lex à Deo lata & præcepta.

1898 S. Augustini Regula non obligat ad mortale.

At ego communi sententiæ consentiens, hanc periodum cum initio Regulæ Benedictinæ compono, & quia nullam in sensu, nullam in obligatione illata differentiam reperio. Dixerat Augustinus, *Hæc sunt, quæ vt obseruetis in Monasterio constituti præcipimus*, & Benedictus, *Ausculta, ô fili, præcepta magistri..... efficaciter comple, vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras.* Hac duarum Regularum analogia præmissa.

1899

Quæris primò, An omnia, quæ sunt in Regula S. Augustini præcepti moralis vim habeant?

Non omnia, quæ legũtur in Regulâ moralis præcepti vim habent.

Respondeo multa esse in illa, quæ ne pœnalis quidem rationem habent. Consono mihi, & *n.* 77. disputationis VII. superiùs positæ. Et ne multis te grauem, suppono actus merè internos non posse humanitùs iniungi, nec solemniter in Professione voueri, vt superius *n.* 39. monstraui, & multas ex Regulæ Augustinianæ sãctiones, quæ merè internos actus concernunt potis producere, paucas lineas suppono. In ipso limine, *Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus, deinde proximus*, & statim, *sit vobis anima vna, & cor vnum in Deo .... sursum cor habeant*, &c. & sanè Dei & proximi amor, cordium vnitas, animorum consensus, internæ operationes sunt.

An lex humana internos actus possit attingere?

Quæris secundò, An in S. Augustini Regula aliqua moralia præcepta reperiantur.

1900 Potest eadem res à duabus legibus præcipi: ab alterâ moraliter, & ab alterâ tantum pœnaliter: item ab alterâ præcipi, & ab alterâ cõsuli.

Seuerè videtur respondisse Hugo Victorinus, vt vidimus, at nos textum Regulæ posse sumi materialiter & formaliter dicimus: addimus materialiter sumptum sæpè esse obligatorium ob concurrentiam alius legis; at formaliter sumptum nullam obligationem grauem inducere. Pone exemplum. Verba illa, *Diligatur Deus, deinde proximus*, materialiter sumpta moraliter sunt obligatoria, vi decem præceptorum Decalogi, quæ imbibunt; at formaliter sumpta, h.e. quà posita in Regula, non obligant quoniam hæc est lex humana, quæ actus merè internos non præcipit. Vide quæ superiùs dicta *à n.* 79.

1901 An in materiâ graui Superior obligare possit sub veniali.

Quæris tertiò. An saltem in Regula S. Augustini reperiantur sanctiones, quæ quà regulares obligent sub veniali?

Respondeo esse duas probabilissimas authorum sentẽtias; alteram, quæ posse superiorem in materia graui leuiter obligare concedit, & tribuitur D. Thomæ *quod l. 1. q. 9. art. 4.* alteram, quæ contra tenet in tali superiorem materia aut præceptum non ponere, aut grauiter obligatorium ponere. Qui priori voluerit opinioni subscribere, non carebit fundamento probabili, vt existimet, omnia grauia, quæ in Augustiniana Regula reperiuntur, obligare sub peccato veniali; at nos id ipsum non discutimus, credimus enim omninò defendendam opinionem contrariam, & dicendum præcepti magnitudinem non à Prælati voluntate, sed à rei præceptæ quantitate desumi. Vidæ quæ tradidi *n.* 42.

1902 P. Acacius laudatus.

Hanc ipsam suauissimam Resolutionem didici à scriptoribus sanctissimis doctissimisque. Ex quibus P. Acacium March de Velasco producam; quem, si legeris, semper eris doctior & melior; nam prudentissimas & securissimas semper Conclusiones statuit. Hic igitur Magister Eximius *tom. 2. verbo. Religioso, ref. 371. 670. num. 3.* doctrinam hanc admittit; & probat his verbis. *La mayor difficultad desta materia consiste en auerigual à que peccado obliguen las Constituciones y Reglas de las Religiones, que no obligan à peccado mortal, como son las de nuestro Padre Santo Domingo* (Patres Prædicatores Regulam S. Augustini profitentur) *Compañia de Iesus, y otras. Algunos Dotores* (illos videre poteris apud Peirinũ *tom. 1. de subdito q. 1. c. 5. not. 6.* & Sanch *lib. 6. Moralium c. 4.*) *sienten, que semejantes Reglas por lo menos obligan à peccado venial: pero Sãto Thomas 2. 2. q 186. art. 9. ad 1. y otros muchos comunmente* (apud Layman *lib. 4 tr. 5. c. 9. n 6.* Lessium *de Iust. lib. 2. cap. 41. dub. 3.* & alios, quos refert & sequitur Peirinus *loc. cit. not. 5. num. 6.*) *defienden que à ninguna culpa obligan; sino tan solamente à la pena, que tuuieren ellas, o el Prelado les pusiere por su transgression; sino fuere en caso, que las quebrantase con menosprecio.* Et postea *resol. 376. num. 9.* suam sententiam exponit; hucusque enim visus est alienas referre solummodò. Eius verba sunt hæc. *Los Religiosos de nuestra sagrada Religion de Predicadores, que aunque con el voto de nuestra profession prometemos vivir segun la Regla de S. Augustin, y nuestras Constituciones, pero sin obligarnos a culpa alguna, sino à sola la pena, que por qualquier transgression senos impone por el Prelado.* Et, si dixeris, non posse intelligi votum solemne sine culpâ morali; respondebo iuxta ea, quæ *num. 35.* edisserui, illam professionem solemnem obligare quidem moraliter, at esse de obiecto conditionato, & explicari posse his verbis; videlicet, *Polliceor me aut seruaturum esse Regulam S. Augustini, aut subiturum pœnitentias, quæ à Prælato imponentur.* Quam ob rem, tunc erit voti huius præuaricator Religiosus, quando nec facere velit, quæ Regula indicit; nec subire pœnitentias quas Prælatus imponit. Professionis formulam dabo inferiùs *n.* 1978.

An Regula S. Augustini obliget sub veniali?

Affirmant aliqui.

Negat S. Thomas, & alij Doctores communiter.

Acácij Resolutio.

Omnes leges pœnales sunt morales cõditionatæ obiectiuè.

Quæris quartò, An ex hypothesi quod S. Augustini volnntate & sententia omnia & singula, quæ essent in Regula obligarent moraliter, tu necessario censeri deberes obstrictus?

Contractus non nisi à duobus fit. Obligat non vt propositus, sed vt acceptatus. Professio solemnis est contractus ab Ecclesiâ approbatus.

Respondeo me non videre illationis necessitatem: benè enim stare potest, quod Petrus velit à Paulo centum impetrare imperiales, & iste quinquaginta concedat, & consequenter benè componi posset, vt D. Aug. voluerit obligare moraliter, & pœnaliter, & quod Romana Ecclesia Regulam approbarit quà legem pœnalem, & quà moralem reiecerit. Nam & S. Francisci Regula, ex intentione Legislatoris ad peccatum obstringit, & tamen non dubitas posse Ecclesiam decernere, vt in posterum non concernat conscientias, sed vim habeat legis merè pœnalis. Patet, quia multas de facto Regulas Apostolica prouidentia, provt loca & tempora postulare videbantur, mitigauit. Et Regulam primam S. Clarae propono, in quâ erant priùs 103. præcepta, quae Eugenius IV. saluberrimo consilio reduxit ad 4. Audire proderit P. Acacium, qui *tom. 2. verb. Religiosas, resol. 378. pag. 687. numer. 4.* Sic inquit. *Este dicho se colige con euidencia del §. 7. de la Bula citada de Eugenio, Porque despues de auer dicho alli el Pontifice, que Fray Iuan Capistrano auia declarado, que la dicha Regla contenia ciento y tres preceptos, los anula y quita diziendo.* Con la authoridad y tenor de las presentes letras declaramos y queremos, que en la transgression de ninguna de las cosas referidas incurran peccado mortal, sino es en aquellas quatro, que pertenecen à los principales votos. Esto es en la transgression de la Obediencia, de la Pobreza, Castidad y Clausura: y en lo que està dispuesto acerca de la eleccion y deposicion de la Abadesa. *Ya se vee como quita aquí el Pontifice la fuerza del precepto a cada vna de las palabras contenidas en la primer Regla de S. Clara.* [Et nota hîc obiter, quinque res (videlicet Obedientiam, Paupertatem, Castitatem & Clausuram, necnon Constitutionem de electione & depositione Abbatissæ) vocare Pontificem quatuor. Sed cur? Nam Castitatem & Clausuram putat tam arctè esse connexas, vt non debeant duæ, sed vnica res reputari.] Consonant hæc illis quæ superiùs, *à num. 89.* dicta.

Potest summus Pontifex præcepta Regularum mitigare, aut etiam annullare.

Imò de facto hoc præstitit, tum in aliis, tum in S. Claræ primâ Regulâ.

An votũ de castitate & Clausurâ distinguatur.

1903 De generali præcepto.

Quaris quintò, An Generali Priori aut cuicumque alij Ordinario Prælato præcipienti, vt serues omnia & singula, quæ sunt in Regula S. Augustini in omnibus & singulis tenearis obedire sub mortali?

Respondeo grauia in tali casu obligatum grauiter, & leuia leuiter; semper secundũ quãtitatem materiæ, iuxta ea quæ diximus *n. 94.*

1904 De generali voto.

Quaris sextò, Vtrùm, si quispiam Religiosus, militans sub Regula S. Augustini, promittat & voueat Deo se exactè seruaturum omnes eiusdem leges, ad singularum obseruantiam teneatur sub mortali?

De actionum regularium contẽptu.

Et quæstio similis præcedenti, & eodem omninò modo dissoluenda. Vide quæ dicta sunt *n. 96.*

Sed quia rerum etiam minimarum contemptus, si formalis & absolutus sit, solet ad mortalis peccati reatum aliquando pertingere, inquiris, An de mortifero sit incusandus, qui regulares obligationes in ord. Augustin. contempserit?

Et respondeo legendum esse articulum VI. Disp. VII n. 97. 1905 De vnanimitate & concordiâ.

TEXTVS. *Primum propter quod in vnum estis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & sit vobis anima vna & cor vnum in Deo.*

HVic periodo commentario est Articulus II. Disputationis XLVIII. præcipuè *à n. 638.*

TEXTVS. *Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.*

1906 De Paupertate & Proprietate.

HAnc periodum examinat & dilucidat c. XXXIII. Regulæ Benedictinæ, in quo quæritur. An debeant Monachi aliquid proprium habere? & cap. LIV. in quo præcipitur, vt ne vnam quidem Religiosus epistolam recipiat sine permissione Prælati. Vide, quæ de Paupertate à n. 815. ad 973. expenduntur.

TEXTVS. *Vnicuique, sicut cuique opus fuerit, tribuatur, sic enim legitis in actibus Apostolorum: Quia erant illis omnia communia, & distribuebatur vnicuique, sicut cuique opus erat.*

1907 An omnes æqualiter debeant necessaria recipere.

HVic consonat sanctioni, Benedictinæ Regulæ caput XXXIV. in quo quæritur, Debeant ne omnes æqualiter necessaria recipere? & respondetur, *sicut scriptum est* (Act. 4.) *Diuidebatur singulis, provt cuique opus erat.* Vide *n. 1619.*

TEXTVS. *Distribuatur vnicuique vestrum à Præposito vestro victus & tegumentum non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes.*

1908 An prout postulat singulorum necessitas.

COnsonat huic sanctioni S. Benedictus Cap. XXXIII. suæ Regulæ, vbi ait, *Omnia autem necessaria à Patre monasterij sperare, nec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit aut permiserit* (recipi ergo ab amicis vestes poterunt permittente Prælato) *omniaque omnibus sint communia, sicut* (Act. 4.) *scriptum est, nec quisquam suum esse aliquid dicat aut præsumat.* & Cap. XXXIV. *Diuidebatur singulis, provt cuique opus erat. Vbi non diximus, vt personarum (quod absit) acceptio sit, sed infirmitatum consideratio.* Vide n. 818. 819. & 1619.

TEXTVS. *Qui aliquid habebant in sæculo quando ingressi sunt monasterium, libenter velint illud esse commune.*

1909 An Religiosi possint aut debeant ante professionem condere testamentum?

HIc videtur expressè illius fuisse S. Patrem sententiæ, vt testamenti conditionem nouitiis inhibuerit, sed voluerit illorum omnia bona monasterio succrescere. Id hodie in variis locis varias limitationes patitur, nam in Prouinciis multis non permittitur, vt nouitiorum hæreditatibus monasteria ditescant, in aliis est sæcularium & Ecclesiasticorum concordia, vi cuius tertiam possit partem adquirere Religio, & duæ reliquæ pertineant ad cognatos. In Hispania conceditur nouitiis potestas disponendi liberior; nec vrgentur, vt aliquid monasterio relinquant, non enim ipsorum bona quærimus; sed virtutes. Verumtamen expediret vbique inseruire

Varij mores.

patriæ

Constitutio Regulæ S. Benedicti.

patriæ moribus,& id facere quod alij laudabiliter solent. Vide Cap. LIX. Regulæ Benedictinæ,vbi præcipitur filios pauperum simpliciter,at filios diuitum cum dote monasterio tradi. Vide etiam Cap. LVIII. in quo S.Benedictus statuit,vt professurus res,si quas habet,aut eroget priùs pauperibus, aut facta solemniter donatione conferat monasterio;nihil sibi reseruans ex omnibus,& consule n.439.& 446.

1910 De pauperibus, qui ad habitum & professionem in monasterio admittũtur.

TEXTVS. *Qui autem (aliquid) non habebant,non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt, sed tamen eorum infirmitati, quod opus est, tribuatur, etsi paupertas eorum quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire. Tamen non ideò se putent felices, quia inuenerunt victum & tegumentum, quale foris habere non potuerunt.*

Solent esse nimij, & Prælatis molesti.

HÆc videtur legisse meus Bernardus,cùm queritur pauperes homunciones insolentiores fieri in Claustro, quam essent in sæculo;eosq;,cum in mũdo vbi omnes honores appetunt,non nisi contemptibiles esse potuerint,velle saltem in Claustro,vbi omnes superbos fugiunt titulos,dignitates ab omnibus cõtemptas ambire,& licèt mali, viros eminentes contemnere.Nobiles diuitesque,quia ad claustrum venerunt,non vt delitias quærerẽt (has enim in domo maternâ habuerunt & reliquerunt) tenui sunt victu,& humili amictu cõtenti:at pauperes, quia res quibus in domo maternâ caruerant,in claustro reperire volunt,nimietate suâ Superiores vexant: lautè tractari & splendide volunt vestiri;& semper conqueruntur & murmurant. Ergo Prælatus aperiat oculos,nec facilè pauperes ad vitam communem admittat.

An eodẽ modo in Monasterio Nobiles & ignobiles, diuites & pauperes tractari debeant?

Pergis,amicè Lector;& quoniã studes modestiæ & discretioni,*inquiris*;An pauperes diuitesq; in Monasterio, quoad victũ, & amictũ debeant eodem modo tractari:an illi viliùs, & isti possint opulentiùs;præcipuè, si horũ liberalitate monasteriũ ditatũ sit?*Respondeo*,vitam communẽ manutenendã esse,adeoq; ratione nobilitatis aut diuitiarũ nulli in religione obligationem aliquam remittendã. Quod si mala educatio transierit in morbum,& ita delicatus quis sit; vt districtioni regulari subesse non possit,aut vrbanè dimittatur,si nulla ratio efficacior obsistat;aut,si valdè vtilis & necessarius iudicetur, vbi nihil nobilitati, potest aliquid morbo ex mala educatione suborto concedi, quod & S. Aug. indicit paulo post:nimirum c. IV. vbi & nos resumemus.

Quid, si delicata educatio in morbũ videatur transire?

[*Sed quia S.Aug.non concedere testandi libertatẽ visus, & Summus Pontifex Nicol. iubere vt testamentũ condatur c.IX.Regulæ Tertiariorum n.3046.ponendæ, inquirere quis prudenter possis,vtra esset constitutio prudentior? Tu cum his articulis etiam num. 2074. compone, vt ex omnium collatione decisionem elicias.*]

An præstet Nouitios ante professionem condere testamentũ?

CAPVT II.

De Humilitate.

1911 Monentur pauperes,qui ad Monasticam vitam admissi.

NEc erigant ceruicem,quia sociantur eis,ad quos foris accedere non audebant:sed sursum cor habeant,& terrena vana non quærant,ne incipiant Monasteria diuitibus esse vtilia,non pauperibus;si diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Rursus etiam illi,qui aliquid videbantur esse in sæculo,non habeant fastidio Fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt:magis autem studeant,non de parentum diuitum dignitate, sed de pauperum Fratrum societate gloriari.Nec extollantur,si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerint; nec de suis diuitiis magis superbiant, quia eas ipsi Monasterio partiuntur,quam si eis in sæculo fruerentur.Alia quippe quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant; superbia verò etiam bonis operibus insidiatur vt pereant. Et quid prodest dispergendo dare pauperibus,& pauperem fieri, cùm anima misera superbior efficitur diuitias contemnendo,quam fuerat possidendo?Omnes ergo vnanimiter & concorditer viuite;& honorate in vobis inuicem Deum, cuius templa facti estis.

Monentur diuites.

Nõ pauci in ipsa humilitate superbiunt.

COMMENTARIVS.

1912 Virtutum omniũ fons & origo humilitas?

HVmilitatem omnium virtutum fontem & originem Hipp.Episc.*hoc.c.*2.cõmendat,de quà S. Bened. *c.V.*& ego *à n.*673. Sed quia multa sũt superbiæ genera,aliquid oportet edisserere, vnde illa clariùs cognoscantur. Legitur,superbiũt aliqui quòd sint docti & dotibus eximiis pręditi,& hi optimas prȩrogatiuas elatione malesuadâ coinquinãt,maculant elatione. II.Superbiunt alij,quod sint diuites, quod habeant pulchras pecudes, & hæc ipsa superbia irrationalis est,nõ solũ quod irrationali innitatur materiæ,sed etiã quoniã in aliena perfectione fundatur.Si equus ille tuus,cuius tu nobilitate gloriaris, superbescet, fortè excusari posset:at quod tu ideò vanè-glorietis, quòd equus, qui irrationalis est,sit bonus, domus,quæ insensibilis,ingenua;est intolerabile omninò:ibi enim vt sis malus occasio ex ipsa rerũ bonitate desumitur.III. Quòd pauperes sint nec diuitias quæritẽt etiã alij superbiũt putantq; eo ipso quo sibi aliquid desit,succurrere vniuersas teneri: quòd si aliqua eos pro Deo requisisse contingat, superbiores fiunt, diuitias contemnendo, quam fuerant possidendo.IV.& *Vltimò*:Efferuntur nonulli quod humiles sint, ac si posset adquiri à superbo humilitas aut conseruari.

Vana gloria ex diuitiarũ contemptu.

Vana gloria ex ipsa humilitate.

His instructus inquiris *primò*, An differat à superbia grauitas?*secundò* An superbia sit peccatum mortale?

1913

Inter superbiam & morum Grauitatem discrimen.

Ad primum dico superbiam grauitatemque differre toto cælo, grauitas enim virtus est, & superbia peccatum. Grauis in moribus externis ille dicitur, qui compositus, qui modestus; & grauis internis, qui pius. Grauitas igitur est mentis habitus omnia, quæ seria non sunt, ablegans; & actiones hominis interni & externi ad legis veritatem reducens. At superbia consistit in mentis elatione & excessu, qui cum soleat manifestari extrinsecùs, in internam & externam diuiditur.

1914

An imprudentia & voluntaria stultitia semper peccatũ sit?

Ad secundum respondeo, non omnem imprudentiam esse peccatum, adeoque non omnem magnam crimen. Hac ego penna mihi persuadeo posse carmina Græca elegantiora Homericis condere, aliâ non posse: & siquidem ab omni pacto etiam implicito abhorreo, superstitiosus in hac opinione non sum: non sum in hac elatione peccator: at imprudens & stultus sum, & quà me Græcorum Poetarum Principi antepono superbus. Huic desipientiæ subesse teneas omnem hominem qui falso sui amore deceptus se putat nobiliorem isto, ditiorem illo, sapientiorem altero, quæ opinio, quamdiu occulta lateat, nemini iniuria, illi qui illa inficitur solet esse solamini, imò nonnunquam deuotioni, si Deo agat gratias ob fauores, quos nunquam recepit. At ista ipsa, quæ peccaminosa non dicitur si se contineat intra meræ speculationis terminos, est Platonis idea, quæ nunquam in rebus reperitur, & fortè non est *superbia* nominanda, sed *animositas*. Omnis mentis conceptus hominem dirigit, & qui non vult mentem errantem corrigere, vult voluntate delinquere, & digna correctione operari. Dico igitur ex mentis elatione multa peccata oriri quæ mortalia esse possunt, & venialia esse frequentissimè solent. *Primum* est in materia vrbanitatis parcitas, quando aliquis titulos & reuerentias proximo debitas decircinat, volens aut æqualem sibi superiorem reddere, aut sibi proximum & æqualem subiicere; quæ petulantia, si materia sit leuis, vocatur *inciuilitas*, & erit veniale peccatum, at confusio videtur materiam notabilem requirere, & si ex superbia & iniustitia nascatur à mortali excusari non posse. Vnde, si nominum transpositiones placeant, inurbanitatem, leuem confusionem; & confusionem dicam notabilem inurbanitatem. *Secundum* in materiâ detractionis; ego enim, qui cognoscor à multis, tametsi me ignorem, & credor habere merita vt quatuor, si me voluero æquare aut præponere Petro habenti merita vt quinque, aut in Iudices ipsos aut in Petrum pecco. In Iudices, si ego aut tam stupidos esse contendo, vt excessum non videant, aut tam iniquos vt illo viso adhuc contra ius (pono materiam esse iustitiæ digniori debitam) me digniori præponant. In Petrum, nam & volo vt dignitate sibi debitâ careat, & etiam opinione & laude congruente. *Tertium* crimen superbiæ inobedientia est, quando quis sibi putat deberi, ne regulis communibus obstringatur: qui enim non est homo vt cæteri, non debet vt cæteri legibus regulari. Hinc nascitur veritatis abusus; hinc quòd illa sententia, *Iusto non est posita lex* iniustè retorqueatur, & credi velis ab omni lege immunis, quod te iustum delires. Hinc murmurationes, hinc etiam detractiones nonnunquam, eò periculosiores, quò maiores illi, contra quos insolenter peccatur. Hæc ipsa inobedientia; tametsi ex superbiâ suborta, formalis contemptus nondum est; aliud enim est dicere. *Mihi seni, nobili, docto, de monasterio, & ordine optimè merito non deberent leges illæ quæ nouitiis imponi*; & aliud. *Non possunt imponi*, & tandem aliud, *Possunt quidem & debent, sed non obediam.* Tres inobedientiæ actus isti sunt, sed omninò diuersi. In vltimo cùm quis fatetur obediendi debitum, veneratur illum qui præcipit, & cum obedire non vult, aut non obedit (omnis enim inobediẽtia voluntaria esse debet, vt peccaminosa credatur) animi sui prodit fragilitatem. Qui, *Non deberent mihi hæc imponi præcepta*, ait, imprudẽtiam Superioris incusat, etsi paratus obedire, poterit videre, an detraxerit, sed cum dicit, *Nõ possunt*, dignitatem & potestatem contemnit, & illo quo Lucifer peccat excessu; tunc enim subditus, *Similis ero Præposito*, ait, *tametsi in hac Cõmunitate altissimo. Ipsi nulla lex imponi à domestico potest, adeò nec mihi: & in huius testimonium sententiæ, non solùm non obedio, hoc enim multi ex merâ fragilitate faciunt; sed obedire nolo: quamobrem, quæ iubet, ideò nolo facere, quia iubet: & quæ interdicit, ideò volo facere, quia interdicit*, & in hoc actu videtur contemptus formalis relucere.

Detractio: interdum opponitur ipsi Iustitiæ distributiuæ.

Inobedientia.

Non pauci ipsâmet veritate abutũtur.

Gradus inobedientiæ.

Exponitur, quid contẽptus sit?

An possit aliquando esse virtus per accidens?

An detur vana gloria meræ speculatiua?

Inurbanitas & inciuilitas, quantum peccatũ sit?

CAPVT III.

De oratione & ieiunio.

1915

Quid in Oratorio fieri debeat?

ORationibus instate horis & temporibus constitutis. In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit, vt si fortè aliqui etiam præter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint. Psalmis & Hymnis cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum: quod autem non ita scriptum est, vt cantetur, non cantetur: Carnem vestram domate ieiuniis & abstinentia escæ & potûs, quantum valerudo permittit. Quando autem aliquis non potest ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum sumat, nisi cùm ægrotat.

Quid cantãdum sit?

De abstinentiâ & ieiunio.

COMMENTARIVS.

1916 Cur S. Augustinus orationem cum ieiunio coniunxerit.

MEritò S. Pater Orationem & Ieiunium coniunxit; non enim benè orat, qui lautè comessatur, nec libenter frequentat conuiuia, meditationi deditus. Ieiunium concupiscentiæ est crux, & ad mensam tanquam ad crucem, ad crucem tanquam ad mensam, ire debes, si credis meo Mellifluo Bernardo. Sanè ad mensam tanquam ad crucem, quoniam ieiunaturus, & sumpturus cibos præcisè necessarios; ad crucem autem, ieiunium & mortificationes tanquam ad mensam, quoniam ipsis nutritur & firmatur animus. Multa ego superiùs de oratione, & præcipuè de officio diuino *à n.* 1061. *ad* 1376. pauciora sed sufficientia de Ieiunio, *à n.* 1613. *b.*

1917 Quibus horis orandum sit?

TEXTVS. *Orationibus instate horis & temporibus constitutis.*

DE distinctione, numero, solemnitate & obligatione Horarum canonicarum libro IX. & X.

1918 An forte sit argumẽtum, quod sumitur ab etymologiâ.

TEXTVS. *In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit, vt si fortè aliqui etiam præter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint.*

HOc argumentum, quod sumitur à nominis etymologia, aliquando persuasoribus seruire potest: sæpè enim contingit, vt qui sublimiores capere non possint rationes, etymologiis delectentur. S. Hieronym. arguit illos, qui cùm dicantur Monachi, in vrbibus habitant, & conuersantur cum hominibus; deberent enim in eremo & locis solitariis degere; Monachi enim quasi solitarij dicuntur, & non indigent ciuili strepitu homines solitarij. Sanctus etiam Benedictus sæpè à nominis ratione discurrit, & præcipuè cap. LII. vbi videtur periodum totam hanc exscripsisse. Ait enim. *Oratorium hoc sit quod dicitur. Nec ibi aliquid aliud agatur aut condatur. Expleto opere Dei omnes cum summo silentio exeant, & agatur reuerentia Deo, vt Frater, qui sibi fortè peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed & si alter vult, sibi fortè secretiùs orare simpliciter intret & oret, non in clamosa voce, sed in lacrymis & intentione cordis. Ergo qui simile opus non facit, non permittatur expleto opere Dei remorari in Oratorio, sicut dictum est, ne alius impedimentum patiatur.* Consonat etiam Sanct. Benedictin. ordinis viuendi Monasticè capiti III. Vide quid dixerim de Oratorio num. 1063. 1785.

Vox *Monachus* dicitur à voce Græca Μόνος, *solus, vnicus, vnus.*

Oratorium dicitur ab orando.

1919 An Officium Diuinum internam attẽtionem requirat?

TEXTVS. *Psalmis & Hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.*

EST de actu merè interno consilium, leges enim humanæ materiam merè externam concernunt; & D. Benedictus capite XIX. *Sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ.*

1920 TEXTVS. *Et nolite cantare nisi quod legitis esse cantandum, quod autem non ita scriptum est vt cantetur, non cantetur.*

An S. Benedictus à S. Augustino dissentiat?

HVic textui videtur contradicere Regula Benedictina, in cuius capite XVIII. ait Legislator, *Hoc præcipuè commonentes, vt si cui fortè hæc distributio Psalmorum displicuerit, ordinet, si melius aliter indicauerit: dum omnimodis id attendatur, &c.* Vnde videtur illud ipsum quod S. August. inhibet, S. Benedictus concedere.

Si in choro vnus cãtaret hæc, alter illa, esset summa confusio. Ergo cantare omnes debent, quæ iubent Rubricæ.

Dico igitur Religiosum bifariam posse horas diuinas soluere, aut in choro cum reliquis, aut priuatim. *Primo* igitur, puto illum in Choro, (Augustinianus aut Benedictinus sit) non debere legere aut cantare, quæ sunt ex rubrica communi cantanda: debere omittere, quæ sunt omittenda, aliàs enim publica turbaretur deuotio, nec Communitas posset per modum corporis Officio diuino satisfacere.

De Officio Diuino extrà chorum.

Secundò, extra Chorum strictiùs rubricas Augustinianum teneri existimo, quàm Benedictinum; illi enim indicitur ne mutet, huic tametsi cum aliquibus limitationibus conceditur. Verùm hic non hærebo, quoniam de mutatione officij superiùs *à n.* 1387.

1921 De ieiunio.

TEXTVS. *Carnem vestram domate ieiuniis & abstinentia escæ & potûs, quantum valetudo permittit.*

DE hac materia S. Benedictus cap. XLIX. quod inscribitur, *de quadragesimæ obseruatione*, & XXXIX. XL. in quibus agitur de de mensura ciborum & potus.

1922 *Sed inquiris.* An possit quis carnem ieiuniis macerare plus quam valetudo permittit?

Nemo se potest ieiunãdo occidere.

Et ego multa hic intricata reperio, quæ iudico debere distingui. Nam suprà vires ieiunat ille, qui se fame extinguit, non ille qui vitæ dies multum abbreuiat, & frangit valetudinem. Definio non posse quempiam se inedia extinguere licitè. Addo ieiunia & abstinentiam non abbreuiare vitam; nam multi Sancti ieiunando ad prouectam senectutem venerunt; & Medici omnes ad producendam vitam abstinentiam commendant. Sed quid, si ieiunia vitam abbreuiare, & valetudinem eneruare dicantur? Respondeo stando hypothesi, posse adhuc Religiosum ieiunare etiam si euidenter præuideat citius se moriturum. Nec ideò debere dici ieiunare plus, quam valetudo permittit; quæ, cum ipsius simus vsufructuarij domini, debet nobis ad finem sublimiorem, quantum opus fuerit, seruire; ipsa enim non permittit nobis ieiunare imprudenter, nec prodigè & sine causa dilapidari patitur, at permittit se expendi & exponi iuxta prudentiæ terminos & experti superioris consilium. Huc videtur respexisse S. Abbas Cassinensis cùm in suæ Regulæ capite XLIX. ne nouitius feruor carnem ieiuniis maceraret plusquam valetudo permitteret, & ne voluntas propria in voluntatis fractione reluceret, constituit, vt quidquid Monachus communi rigori addit, Abbati suo suggereret & cum

Vitæ & valetudinis homo est vsufructuarius: impendere potest, quas prodigere nequit.

Ieiunia extraordinaria non debent fieri sine superioris licentiâ.

eiusdem non voluntate solùm, sed etiam oratione faceret. Ieiunium enim, si irregulare sit, nocere poterit corpori, & animo; corpori, si nimium; animo, si infectum singularitatis superbia. Illud Sanct. Benedictus mirâ sapientiâ condit, humilitate, prudentiâ, (humile est, si Antistitis exponitur arbitrio; prudens, si eiusdem regitur voluntate) vt nec corpori, nec animo nocere possit. Illudque oratione acuit, vt dulcius sapiat Deo; & ostendat abstinentiam orationemque duas esse comites indiuiduas, quas optimè ab Augustino iunctas, immeritò separare quis posset.

Quid sit ieiunium esse prudens & humile?

1923 TEXTVS. *Quando autem aliquis non potest ieiunare, non tamen extra horam prandij, aliquid alimentorum sumat, nisi cùm ægrotat.*

Quid sit comedere extra horam prandij?

CIrca litteræ intelligentiam quæris. *Primo.* An hora prandij debeat hic intelligi esse illa, qua Communitas prandet, itavt sensus sit, quod nec comedat, nec cœnet alia horâ, quàm communitas; an fortè illa, qua prandet ille, qui ieiunare non potest, itavt sit sensus: Quod si ex causa ipsi concedatur, vt refectioni communi non interfit, prandeat hora competenti, nec antè prandium, nec post possit (ientaculi, aut merendæ specie) cibum sumere?

Ægroti, senes, & infantes horas prandij præuenire permissi.

Sanè huic periodo summam lucem præbere poterit Regula Benedictina. Capite enim XXXVI. infirmorum curam commendat, vultque illis omnia ministrari, quæ necessaria ad recuperandam salutem, vnde illos horis, & regulis communibus absoluere manifestum est. At Capite XXXVII. Senes, & infantes subiungit, qui tametsi sub nomen infirmorum non veniant, sani non sunt: ægri sunt debiles, & vtrique (infantes, senesque) etiam debiles sunt. *Consideretur semper in eis*, inquit sanctus Abbas, *imbecillitas, & nullatenus eis districtio Regulæ teneatur in alimentis, sed sit in eis pia consideratio, vt præueniant horas canonicas* (hoc est *communes omnibus, & regulares*) Quam ob rem dicendum, omninò, aut ægrotum nomine intelligi à Sanct. Augustino etiam senes (senectus enim ipsa morbus) imò & pueri: & reliquis legem illam imponi: aut si ægrotum nomine nolimus senes intelligere; dicendum omninò hoc textu non interdici senibus vt citiùs prãdeant, sed ne mane, aut vespere præter prandium, & cœnam recipiant refectiunculas, quod etiam statuit S. Benedictus in ordine viuendi Monasticè, quem post Regulam scripsit, vt illam altiùs illustraret; nam capite XVII. sic inquit, *Ante horam, vel post horam nihil cibi percipiant, exceptis infirmis, & infantibus, quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est.* An senes, quos Capite XXXVII. Regulæ adscripsit infantibus, consultò omittit? An illis inhibet, quod infantibus, & ægrotis concedit? an infirmorum nomine etiam senes intelligit? Hoc vltimum videtur certiùs, si ita intelligatur, vt personæ imbecillitas consideretur, nec soli ætati, si robusta, hæ refectiunculæ, extraordinariæ concedantur. Sanè si senes nulla habita valetudinis consideratione, à communis disciplinæ distributione eximantur, nescio quî intelligi debeat Caput VIII. eiusdem Benedictinæ Regulæ, in quo seuerè indicitur; ne quidquam aliud faciat iunior, quàm quod Maiorum cohortantur exempla. Sanè Maiores, qui seniores: & si istis vita libertina permittitur, cur in exemplum, & imitationem iuniori proponantur, non video. Prælatus igitur, cuiuscumque Ordinis ille sit, non personam à persona, nobilem ab ignobili, doctum ab indocto, senem à iuuene in obseruantia regulari distinguat, sed vni, & soli necessitati condescendat, sciens tamen hanc ipsam in nobili, docto, & sene facilius, atque frequentius reperiri. Nobilibus Sanctus Augustinus suæ Regulæ Capite IV. meliores cibos, & vestes tandiu dari concedit, quamdiu summum ipsi disciplinæ rigorem tolerare non possint. Consuetudo enim altera est natura, & qui delicatis nutriti à pueritia sunt cibis, & vestimentis duplicibus semper ornati, non possunt ad ieiunia, & nuditatem euolare transitu repentino, sine vitæ periculo, aut valetudinis manifesto dispendio; & quia illis non potest simul totum onus imponi, permittit regularis discretio, vt paulatim adsuescant, vt tandem possint agere vitam communem. Viris etiam doctis aliqua indulgenda aliquando, non quidem ratione doctrinæ, sed laboris. Plus vnus Theologiæ professor, & periculosiùs laborat vna die, quàm tota hebdomada faber ferrarius. Plus, non quia pluribus horis, sed quia intensiùs; periculosiùs, quia manuum labor ad salutis conseruationem, & recurationem conducit, at mentis labor corpori exitialis est. Ergo tametsi doctrinæ titulo nemo debet viuere laxiùs; ratione morborum, quos incurrit, vt illam eandem doctrinam adquireret; ratione valetudinis, qua indiget, vt reliquis prodesse possit, licebit discreto Superiori, in aliquibus dispensare, vt vtiliùs Deo, Ordini, & Reipublicæ ille seruire possit, & eadem omninò analogia doctrinæ de Senibus est philosophandum. Esto nihil ætati, & authoritati cedatur: iubeantur esse primi, qui primores. Sed, si ætas morbos etiam inuexerit, hi ipsi sunt clementer, & humanitùs considerandi. Nam & homines sumus, qui regimur; homines etiam, qui regimus, non Angeli: & sicut subditus errare potest plus postulando indulgentiæ, quàm debeat: sic & potest errare Superior, plus quàm debeat negando, præcipuè in ordine S. Augustini (hoc nomine omnes Religiones intelligo, quæ militant sub eius regula) qui Cap. IX. præcipit, vt famulo Dei infirmo, sine dubitatione credatur: ne tamen erres, vide quid famuli Dei August. intelligat, & lege *n.* 1971.

An infirmorum nomine intelligendi veniãt senes?

An præter horas communes aliquam refectiunculam sumere permittantur?

An iunior seniores imitari debeat?

Cur nobilibus S. Augustinus nonnihil indulgeat?

Ab extremo ad extremũ paulatim transitur.

Quantus, & quàm nociuus valetudini sit scholasticus labor?

Nihil ætati, nobilitati, & doctrinæ defertur: at morbi, qui ætatem, nobilitatem, & doctrinam solent comitari, quod sit necessarium, defertur.

CAPVT

CAPVT IV.

De Refectione vtriuſque Hominis.

CVm acceditis ad menſam donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundum conſuetudinem legitur, ſine tumultu, & contentionibus audite, ne ſolæ vobis fauces ſumant cibum; ſed & aures eſuriant Dei verbum. Qui infirmi ſunt ex priſtina conſuetudine, ſi aliter tractantur in victu, non debet aliis moleſtum eſſe, nec iniuſtum videri eis, quos fecit aliqua conſuetudo fortiores: nec illos feliciores putent, quia ſumunt quod non ſumunt ipſi: Sed ſibi potiùs gratulentur, quia valent quod non valent illi. Et ſi eis; qui ex moribus delicatioribus ad Monaſterium, aliquid alimentorum, veſtimentorum operimentorumve datur; quod aliis fortioribus, imò felicioribus non datur, cogitare debent, (quibus non datur) quantum de ſuâ ſæculari vitâ illi ad iſtam deſcenderint, quamuis vſque ad aliorum, qui ſunt corpore firmiores, fragilitatem peruenire non potuerint. Nec debent velle omnes quod paucos vident amplius, non quia honorantur, ſed quia tolerantur, accipere: ne contingat deteſtanda peruerſitas, vt in Monaſterio, vbi quantum poſſunt, fiunt diuites laborioſi, fiant pauperes delicati.

1924 In menſa, quod legitur, auſcultare debemus. Conſuetudo fortiores & debiliores facit. Vndecumq; prouenerint, debilitas & fortitudo, debent debiles vt debiles; & fortes vt fortes tractari.

COMMENTARIVS.

1925 Homo materialiter & ſpiritualiter viuit.

COnſtat homo corpore, & animo (materiale illud eſt, hic incorporeus) & ideò viuit materialiter, & ſpiritualiter, & ita alimentis indiget vtrobique, vt faciliùs corpus ſine cibis ſuſtentet, quam animum ſiue verbo Dei. Hoc ergò capite Diuinus Doctor de corporis, animique refectione luculentum ſermonem conſtituit, quem debeo breuiter dilucidare.

De lectione, quæ ad mẽſam fieri debet.

TEXTVS. *Cùm acceditis ad menſam donec indè ſurgatis, quod vobis ſecundum conſuetudinem legitur, ſine tumultu, & contentionibus audite, ne ſolæ vobis fauces ſumant cibum; ſed & aures eſuriant Dei verbum.*

1926 Capita, quæ ad menſam pertinent in Regulâ S. Benedicti.

HVic periodo illuſtrationi, & commentario ſunt Regulæ Benedictinæ multa capita. Quibus enim horis debeant fratres refici exponit Cap. XLI. ibi docet omnes debere ſimul menſam accedere; ſimul excedere, & contra negligentes legem fert cap. XLIII. qua ſtatuit ne impune, aut tardius aliis veniat Monachus, aut citiùs abeat. De ieiuniis quadrageſimæ agit cap. IL. & XXXV. de coquis, ſeruitoribuſque & tandem de ciborum, & potûs menſurâ, & qualitate, capitibus XXXIX. & XL. & ne ſolum in menſa corpus, ſed & animus reficeretur caput XXXVIII. addidit, in quo de hebdomadario lectore.

1927 Quomodo lectio in Refectorio audiri debeat?

Sed quid eſt ſine tumultu, & contentione audire? Legem S. Auguſt. impoſuit, at gloſſam S. Benedictus, *Ne præſumat ibi aliquis*, ait C. 3. cit. *de ipſa lectione, aut aliundè quidquam referre, ne detur occaſio, niſi fortè Prior* (nempè, qui menſæ præſidet) *pro ædificatione voluerit aliquid breuiter dicere.*

1928 De quibuſnã infirmis agat ſanctus Auguſtinus?

TEXTVS. *Qui infirmi ſunt ex priſtina conſuetudine, ſi aliter tractantur in victu, &c.*

NOn agit S. Pater de laborantibus actuali morbo, illis enim nemo inuidet, nullus inſultat: agit de delicatè nutritis: & inquiris, *An iſti debeant benigniùs tractari, quàm alij?*

Sanè ad tempus, crediderim: Nam vt paulò ante dixi, omnis tranſitus immediatus expoſitus eſt magno periculo. Vitro fragilius nihil, & tamen illæſum ſummum tolerat frigus, ſummum calorem, modo ex extremo in extremum immediatè non tranſeat. In fornace igneum eſt, & intenſiſſimo calore præditum, ſi vento, & frigori expoſueris, fregeris, non enim ſub illud tempus frigoris capax eſt. At prudens artifex, qui materiæ fragilitatem cognoſcit, illud in locd minùs calido: deinde in alio adhuc minùs calido, tandem in tertio tepido, & quarto reponit in frigido; & hoc ſine vllo fragiliſſimæ materiæ periculo.

Vitrum ex igne ad frigus per gradus tranſit.

Hoc olim, & vtilitet vidit S. Iſabella Luſitaniæ Regina curioſitatis gratia ad fornacem cõducta, & quia intẽsè Deo ſeruire exoptabat, & à medicorum ignorantiâ ſeducta, non poterat ſibi ſuadere, vt contemptis Galeni regulis, S. Franciſci Regul. amplecteretur, ibi redocta diuinitus mutauit animũ, & ab reſolutionis conceptæ fortitudine ſic ipſam diſcurriſſe præſumo.

1929 Iſabellæ Portugalliæ Reginæ fornax ſchola fuit.

1930 Poteſt, ſi velit perſona quælibet delicatè nutrita, vitam ſeueram inſtituere, modò cõuerſio fiat per gradus.

[*Valete iam tandem aliquando Medici, quorum legibus aut me Dei offendendi timor, quod opto; aut valetudinis deſiderium, quod timeo, non ſine tyrãnidis ſuſpicione ſubegerat, vt benè valerem: cũ tamen quo pluris apud ipſos valuerim minus ſanè. Quippe fortuna iniuria nata ex Regib. in deliciis nutrita, cibis delicatis, & molli lecto adſueta reſiſtebã Deo inſpiranti meliora, & quod doleo, ſãctitatis ſpecie. O quoties diuinitus admonita, vt carnem macerarẽ ieiuniis, ſago tegerẽ, & ſternerem ſupra ſaxum, aut lignum! ſed pluries contradictum à Medicis corporis mei ſolicitis, animi incuriis. O quàm grata eorum mihi conſilia, ne obedire cogerer monenti, ſequi præeuntem, adeſſe conducenti! Mihi impoſſibilia ſuggeri, libenter credidi: inſpirationem de ſuggeſtione incuſans, ne obedire tenerer. At hodie oculos aperire cogor, vel inuita. Sim fragilis: fragilius multò vitrum eſt. Sim rigori inadſueta, & ſi ſeueram vitam agam, valetudinem frangam,*

imò

imò morbos incurram: sed & vitrum in fornace liquescens, longè à rigore distat: igneum est, & si exponatur vento sine mora frangetur. Omnia ista certa. At istud, quod manu circumgyro, igneum fuit, frigidum est, fragile omnino, nec tamen à frigoris rigore fractum. Vndè igitur quod non potuerit frangi habuit manifesta fragilitas? Vidi oculis; considero vtiliter; non possum adfectare ignorantiam. Docta illud prouidentia Artificis tametsi fragile sine periculo ex extremo ad extremum traduxit, quoniam per gradus intermedios & ego doceor. Deliciæ Regiæ, & rigor monasticus è diametro videantur opponi, at ab illis ad hunc dari poterit transitus ab omni periculo vacans, si non fuerit festinus. Esto ieiunare, & carnem macerare non possim, sanctimoniales possint, quoniam illæ rigori, & ego deliciis adsueuerim. At potero paulatim doceri, & dedoceri, potero adsuescere paulatim austeritati regulari, vt quæ hodie non possum, cras possint. Dediscam cibos delicatos, quibus hodie si caream, morbo non caream; dediscam mollem lectum, quem qui hodie mihi auferat, somnum auferat, & per gradus procedens tandem euadam doctior: si enim prius carere superfluis didicero, ero docilis, vt carere necessarijs addiscam. Sed quando scopum obtinebo? serò. sed aliquandò, quoniam multa in me decircinanda sunt. Concedam ætati teneræ, corpori fragili, vt motus ipse tardior sit: singulis septimanis sit mihi vna superfluitas dediscenda. Prima mensis secundis carere discam, ad gulæ irritamentum additis; altera discam carere pretioso ciborum apparatu, vno simplici contenta ferculo: tertia etiam in isto decircinabo qualitatem, & quantitatem, quousque ad communes cibos, aut panem, & aquam deuenero. Eadem lectus meus viâ instratum trãsibit; & ego, cui hodie ob inueteratam multorum annorum consuetudinem necessaria creduntur, quæ innumeris essẽt superflua, ita adsuescam rigori, vt mihi superflua existimem, quæ innumeris præcisè videantur necessaria. Hæc omnia à vitro fragilitati in sexu debili, in ætate tenella didicisse gaudisa, non tam ad aulam, quàm ad me ipsam vertar, & quæ sum meditata, Deo cooperante, & fauente perficiam.] Dixit, fecit: & nobis fuit exemplo summo, vt sciamus, nullam esse ætatem, sexum, qualitatem, statum, à quo non pateat aditus ad vitam rigidam, modo seruire Deo velimus.

CAPVT V.

De infirmis curandis.

1931 S. Pater Religiosos delicatè educatos componit cum conualescẽtibus. Infirmi, cùm valetudinem recuperent, ad pristinum rigorem redeant.

SAne quemadmodum ægrotantes necesse habent minùs accipere, ne grauentur; ita & post ægritudinem ita tractandi sunt, vt citiùs recreantur, etiamsi de humillima sæculi paupertate venerint, tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior consuetudo. Sed cùm vires pristinas reparauerint, redeant ad fœliciorem consuetudinem suam, quæ famulos DEI tantò ampliùs decet, quantò minùs indigent. Nec cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos necessitas leuarat infirmos. Illos sanè existiment ditiores, qui in sustinendâ parcitate fuerint fortiores. Meliùs est enim minùs egere, quàm plus habere.

COMMENTARIVS.

1932 DE infirmis agit S. Pater Benedictus cap. XXXIX. sub finem: & toto XXXVI. nos in Commentario à *n.* 1624. & de eorumdem obligationibus, ac præcipuè de officio diuino, *n.* 1429. & 1775. E. In scholio etiam multa, & sæpè alibi.

Gnomæ Monasticæ. Interim mihi duæ in hoc capite periodi placeant. Prima, *Ille ditior, qui in parcitate sustinenda sit fortior.* Secunda. *Melius est minus egere, quàm plus habere*, cui consonant antiqui Poëtæ lemma.

Quis diues? qui nulla cupit. Quis pauper? auarus.

Omnes Religiosi ditissimi censendi sunt: & cur? Sanè Religiosi vniuersi, nulla enim ipsi cupiunt, ditissimi sunt, & quia nulla habent, omnia possident, nam re nulla indigent: qui enim paucis contenti sunt, nulla vnquam re poterunt indigere, siquidem, pauca vbique reperiuntur & multa non sunt necessaria.

1933 Monitum Medicum. TEXTVS. *Ægrotantes necesse habent minus accipere, ne grauentur.*

SVnt ita moralia connexa naturalibus, vt vix seorsim tradantur. Vtraque ad miraculum sapiens tractauit S. Aug. itavt docta sanctè, & sancta edisserueri doctè. Et in hac periodo, quam solam ponderare placuit, instruit, & docet vniuersos, tam religiosos, quam Doctores, ipse enim se reponit, & vult esse suorum religiosorum medicus.

Nescio, quâ phreneſi, aut stultitiâ illudimur, cùm ægrotamus. Mox vbi capite dolemus, medicum consulimus, ac si non posset secundo morbo carere primus, & sicut illum fallimus, sic ab illo decipimur. Non quærimus, à quibus debeamus abstinere quibus rebus carere, quas non comedere, pertæsi omnem auaram medicinam; amamus prodigam, & inquirimus extraordinarios cibos, potum irregularem, & multa alia carnis solamina sub specie, & colore pharmaci, aut remedij. Et medici, ne displiceant, concedunt vniuersa, quę petimus, & dum nos grauant pharmacis, suas conscientias onerant: & dum nobis consentiunt indoctis, dissentiunt à sapiẽtissimo Augustino, hoc enim teste, *ægrotantes necesse habent minus accipere, ne grauentur:* indigent multarum rerum negatione, non positiua medicinarum

Medicina solet esse alter morbus.

Multò vtiliores positiuis sunt medicinæ negatiuæ.

narum multitudine: pharmaca enim semper nocent, & abstinentia saluberrima est.

Morborum qualitatem non voluit S. Benedictus examinare, ita enim abhorruit medicinas, vt ne quidem illarum nomine voluerit suam Regulam, aut notare, aut grauare. Sciebat tamen Vir prudens aliquando ipsas, tametsi rarò, necessarias; & quia nolebat docere Doctores, pueros, quos ægrorum nomine propter imbecillitatem ætatis intellexerat, sibi adsumit curandos, & Cap. XXXIX. statuit, vt doceantur abstinentiam, frugalitatemque nec permittantur comedere quantum firmi, & robusti. *Pueris* ait *minore atate, non eadem seruetur quantitas, sed minor, quam maioribus, seruata in omnib. parcitate.* Hinc igitur discat prudens Medicus, quid debeat singulis applicare, vt recuretur valetudo, quam Monachus in Monasterio perdiderit.

Optima medicina est ciborum & medicinarũ parcitas.

1935 Contraria contrariis curantur.

Bonæ Medicinæ principium est; *Vt contraria curentur contrariis*, in quod impinget, qui aliter valetudinis habuerit curam. Non ignorabat illud S. Abbas, cum spiritualis Medicinæ scholæ præpositus, regulam salutarem scripsit, & in Prologo, [Recipe, ait, morale alexipharmacum, & salutis perditæ recuperandæ regulam opportunam. Ausculta igitur; medicina enim, quam præparaui, non corpori, sed cordi adhibenda, aure pia, & non manu indiget diligenti. Inclina tandem aliquando autem cordis tui, & admonitionem pij Medici, etsi dura videatur, libenter excipe; etsi ardua efficaciter comple, vt ad eum per obedientiæ medicinam redeas, à quo per inobedientiæ morbum recesseras.] Et sanè sicut morales morbi, sic etiam contrariis expelli possunt corporales. Si laboramus febri, & causas alias quærimus, decipimur, & nec veritas in prætensa occasione, nec veracitas in nobis est. Comedimus, aut bibimus aliquid, quod nocuerit. Si arguatur quantitas, fauebit abstinentia, nam stomachus, si nouis non grauetur cibis illos ipsos, quib. grauatur digeret. Si arguatur qualitas, etiam proderit abstinentia: facilius enim, & expeditius illos corriges, si parcè comedas, quàm si alios similes, aut minus conuenientes addas.

S. Benedictus contraria contrariis adhibendo, animos ægrotos recurat.

Siue cibi quantitate, siue qualitate nocuerint, abstinentiâ curaberis.

Dum hæc scribo honoro Medicum propter necessitatem, & puto contra procedere, qui illi est sine causa manifesta molestus. Tolle necessitatem, & peccaminosa erit Iuramenti religio; non enim vult Deus denominari testis, vbi non periclitatur veritas. Non aliter. Tolle necessitatem, & cessabit Medici obseruantia: & authoritas: non enim vult Deus, vt desis regulari vitæ, vbi non periclitatur sanitas.

1936 Non debemus vti Medico sine necessitate.

CAPVT VI.

De Habitu exteriori, & interiori.

SECTIO I.

NOn sit notabilis habitus vester; nec adfectetis vestibus placere, sed moribus. Quando proceditis, simul ambulate; cùm veneritis, quò itis, simul state. In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem;

1937 De modestiâ

COMMENTARIVS.

1938 Vnde resciri possit an missam deuotè celebrauerit?

AB imperfectioribus ad perfectiora naturâ conducente progredimur, & ex habitu externo internam animi compositionem iudicamus. Meritò illum, qui minùs modestè vestes sacerdotales induit, qui corporalia indecenter plicat, vel explicat, aut irreuerenter casulam, aliasque sacras vestes deponit, Missam deuotè celebrasse non credimus; quoniam interior homo in exteriore tanquam in icone relucet, nec videtur possibile columnæ rectæ vmbram esse posse angularem. Magnâ fuerunt Patres veteres modestiâ præditi, nec ausi indui vestibus pretiosioribus. De Doctore Africano, cuius textum exponimus, Hugo Victorinus hæc habet. *Fecit iste sanctus Vir, quod docuit. Scriptum est enim, quia vestimenta eius, & calceamenta, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum, sed ex moderato, & competenti habitu erant. Ipse quoque de se legitur dixisse, Fateor, quia & pretiosa veste erubesco. non decet* (nempè, ipsa) *hanc professionem, nec decet hanc admonitionem, non decet hæc membra, nec decet hos canos.* Nec decet; quod ego vlteriùs progrediar, quousque sciam hanc periodum vltimam à senibus benè intellectam: quibus si ratione ingrauescentis, & morbis plenæ ætatis aliqua indulserim, vestes calidiores nonnunquam, sed nunquam pretiosiores concedam: eorum enim valetudo indiget fomentis, non fastu; quiete, non pretio.

Qualibus vestibus S. Augustinus sit vsus?

Quales Senioribus sint concedendæ?

De S. Abbate Benedicto in sua regula habemus Capite LV. sic ait, *De quarum rerum omnium colore, aut grossitudine non causentur Monachi, sed quales inueniri possunt, in prouincia, in qua habitant, aut quod vilius comparari potest.*

1939 Quales esse debeant vestes Religiosorum?

De Mellifluo Bernardo in eiusdem officio. (Resp. I. ad Mat.) *Prima virtus viri sancti, habitus corporis sui, quod ita compositè, & vno semper modo agebat, vt nihil appareret in eo, quod posset offendere intuentes. Totum in eo disciplinatum, totum insigne virtutis, perfectionis forma.*

1940 De vestibus S. Bernardi.

CAPVT VI.

De Pudicitia interna.

SECTIO II.

1941 De oculorũ modeſtiâ. OCuli veſtri, etſi iaciantur in aliquam fœminarum, figantur in nullam: neque enim quando proceditis fœminas videre prohibemini, ſed appetere, vel ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt. Nec ſolo tacito affectu, ſed aſpectu quoque appetitur, & appetit concupiſcentia fœminarum. Nec dicatis, vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius. Et cum ſe inuicem ſibimet etiam tacente linguâ conſpectu mutuo corda, nunciant impudica, & ſecundùm concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immundâ violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus. Nec putare debet, qui in fœmina figit oculum, & illius in ſe diligit fixum ab aliis non videri, cùm hoc fecerit. Videtur omninò, & à quibus ſe videri non arbitratur: Sed & ſi lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo deſuper Inſpectore, quem latere nihil poteſt? ideò putandus eſt non videre, quia tantò videt ſapientiùs, quantò patientiùs? Illi ergò vir ſanctus timeat diſplicere, ne velit fœminæ malè placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit fœminæ malè videri. Illius namque in hac cauſa commendandus eſt timor, vbi ſcriptum eſt; *Abominatio eſt domino defigens oculum.* Quando ergò ſimul eſtis in Eccleſia, & vbicumque fœminæ ſunt, in vicem veſtram pudicitiam cuſtodite; Deus enim, qui habitat in vobis, etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis.

Oculi etiam loquuntur.

Huc pertinet illud Hiſpanorum Adagium, *Pienſan los enamorados, que los otros tienen los ojos quebrados.*

Omnia Deus conſpicit.

COMMENTARIVS.

1942 An delectatio moroſa ex aſpectu naſcatur. DE delectationibus moroſis, quæ ſolent ab aſpectu, aut tactu excitari, egi ſuperiùs accuratè *n.*1022. de quibus hic Doctor Diuinus luculenter, verbis fortiſſimis, non tactum modo, ſed & oculos cohibet. Prodelegerit legere, quæ de Caſtitate S. Benedictus ſuæ Regulæ Capite VII. expendit & totum illum tractatum, quem ſuperiùs *n* 973. interpoſui, vt ſubſtantialis continentiæ, quam Deo ſoléniter promiſimus, obligationes noſceremus;

Caſtitas eſt virtus ſubſtantialis.

CAPVT VII.

De Correctione Fratrum.

1943 Fratres debẽt fraternè corripi, antequã denunciẽtur. De adquirẽdis teſtibus. ET ſi hanc, de quâ loquor, oculi petulantiam in aliquo veſtrum aduerteritis, ſtatim admonete, ne cœpta progrediantur: ſed de proximo corrigatur. Si autem poſt admonitionem iterum, vel alio quoque die id ipſum eum facere videritis, iam velut vulneratum ſanandum prodat quicumque hoc potuerit inuenire: priùs tamen eſt alteri, vel tertio demonſtrandum, vt duorum, vel trium poſſit ore conuinci, & competenti ſeueritate coërceri. Nec vos iudicetis eſſe maleuolos, quando hoc indicatis; magis quippe innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod velit occultari, dum timet ſecari, nonnè crudeliter à te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? Quantò ergò potiùs eum debes manifeſtare, ne deteriùs putreſcat in corde? Sed antequam aliis demonſtretur, per quos conuincendus eſt, ſi negauerit, priùs Præpoſito debet oſtendi (ſi admonitus neglexerit corrigi.) ne fortè poſſit (ſecretiùs correctus) non innoteſcere cæteris. Si autem negauerit, tunc neganti adhibendi ſunt alij etiam coram omnibus, vt poſſit non ab vno teſte argui, ſed à duobus, vel tribus conuinci. Conuictus verò ſecundum Præpoſiti, vel etiam Presbyteri, ad cuius diſpenſationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam ſubire vindictam. Quam ſi ferre recuſauerit, etiamſi ipſe non abſceſſerit, de veſtrâ ſocietate proijciatur. Non enim hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtiferâ plurimos perdat. Et hoc, quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, vindicandiſque peccatis diligenter, & fideliter obſeruetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Quicumque autem in tantùm progreſſus fuerit malum, vt occultè litteras ab aliquo, vel quodlibet munus acceperit, ſi hoc vltrò cõfiteatur, parcatur illi,

Fratrem corrigere eſt actus charitatis.

Quando debeat Prælato denunciari?

Conuictus debet puniri.

Si pœnitentiam non acceptet, expelli.

Nemo poteſt clam ſcribere aut recipere literas.

&

& oretur pro eo: si autem deprehenditur, & conuincitur, secundùm arbitrium Presbyteri, vel Præpositi grauiùs emendetur.

COMMENTARIVS.

1944 De correctione fraternâ.

EGi libro duodecimo, *à num.* 1675. Benedictini Commentarij de Religiosorum correctione, & præcipuè de fraternâ illâ, quam Christus Dominus instituit, & nonnulli volebant ab ordine Cistercienſi ablegare. Multa ibi, quæ poterunt quibuscumque seruire, & aliis Regulis accommodari: sed quia impræsentiarum periodos Augustinianæ expendo, placet aliquas excitare quæstiones, quæ militantibus sub illa prosint.

1945 Illam Regula S. Augustini indicit.

Quæritur primò. An sit contra Regulam S. Augustini fraterna culparum correctio? & si non, An sit secundum illam? & An intemeratâ Regulâ possit omitti?

Respondeo, fraternam correctionem culparum a sancto Legislatore expressè, & accuratè indici illis verbis, *Et, si hanc, de qua loquor, vobis oculi petulantiam in aliquo vestrum aduerteritis, statim admonete, ne cœpta progrediatur, sed de proximo* (hoc est *statim,*) *corrigatur. Si autem post admonitionem iterum, vel alio quoquo die id ipsum id facere videritis, iam velut vulneratum sanandum prodat* (nempè *Præposito*) *quicumque hoc potuerit inuenire: prius tamen est alteri, vel tertio demonstrandum, vt duorum, vel trium possit ore conuinci.*

De proximo, quid sit?

1946 Qui testes non habet, denunciare non debet.

Quæritur secundò. An possit quis semel admonitum, si relabatur, denuntiare?

Stando Doctoris Africani principiis, quæ Viri doctissimi, & maximi frequenter amplexi, respondeo negatiuè. Simillima enim calumniæ denuntiatio; & se exponit periculo, qui denuntiat, quæ probare non poterit: non enim videtur ratio occurrere, ob quam ego te denuntiatum à Petro corrigam potiùs de peccato commisso, quàm illum de iniuria tibi illata. Sanè cùm vtrumque possibile sit; nimirùm, & te peccasse, & tibi falsum crimen imponi, vtrùm corrigere debebo denuntiantem, an denuntiatum nesciam, & ne cogar dicere, *Positus in medio, quò me vertam ignoro*; denuntiatorem corrigam, quòd contra institutionem regularem, denuntiare confratrem fuerit ausus, antequam habuerit vnum, aut alterum contestem.

Experientia nos docuit esse aliquos, qui vt calúniam verosimiliorem reddant, innocentes cõmaculant, sub denunciationis Euangelicæ specie.

1947 Quomodo aduocandi sint testes.

Quæritur tertiò. Qui intelligi illud *demonstrandum* debeat? hoc est, An ille coram testibus debeat confundi, an isti debeant cautè admoneri, vt ille ignoret?

1948 Minimè hoc vltimum. Sed debent ita testes adhiberi, vt & lapsum videant, & videantur à lapso: hæc enim est secunda illa correctio, quam noster Redemptor instituit: Matthæi enim Cap. XVIII. 15. sic inquit, *si peccauerit in te* (omnia peccata sunt tibi scandalo, adeoque omnia, si grauia, sunt in te) *frater tuus* (quicumque proximus est frater) *vade & corripe eum, inter te & ipsum solum. Si te audierit lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum. Quod si non audierit eos dic ecclesiæ* (hoc est, *superioribus*) quæ verba obscura sunt, & exscripta à D. Augustino stilo Afro, nimirum sublimi, sed obscuro, & vtraque indigent illustratione. Vnde hæc habebitur? Verbis Christi erunt illustrationi Augustiniana, & Augustinianis verba Christi. Vtraque igitur, breuiter componamus.

1949 Quid sit *peccare in te*? Quid *vadò* sit?

Christus sic, *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum.* Augustinus, *Si..... oculi petulantiam in aliquo vestrum aduerteritis, statim admonete, ne cœpta progrediatur, sed de proximo corrigatur.* Hinc patet *peccare in te*, esse ita peccare, vt aduertere possis. Hinc etiam illud *vade* quod ponitur in Euangelio, significare diligentiam, & æquiualere Augustiniano verbo *statim.* Hinc tandem *correctionem fraternam.* debere esse meram admonitionem, secretam, factam nemine audiente, non exprobrandi impetu, sed vtilitatis intuitu, ne relabatur, & impœnitens confrater pereat.

Qualis esse debeat Correctio fraterna?

1950 Verba Christi & Augustini conferuntur.

Addit Christus. *Si te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum,* Et Augustinus, *Si autem post admonitionem iterum vel alio quoquo die id ipsum eum facere videritis iam velut vulneratum prodat..... vni vel alteri demonstrandum, vt duorum vel trium possit ore conuinci.* Hinc constat *primo,* quid sit *non audire corrigentem*, non est dicendus impœnitens & pertinax, qui fraternè correctus de furto, commisit adulterium, sed ille vnicus, qui alio die id ipsum facere deprehenditur, ob quod correctus est. Constat *secundo,* quid respondendum sit quærenti, an hi debeant esse testes delicti, aut correctionis. Hanc ego difficultatem moui *num.* 1677. resolui *n.* 1717. & quoniam veritas vbique est veritas, gaudeo, quod eodem modo resoluat S. Augustinus, affirmans peccatum esse vni aut alteri demonstrandum, antequam Superiori prodatur. *Demonstrandum* ait Sanctus Pater, non *dicendum:* non enim, qui secretam culpam committi à Confratre vidisti, habes ius illam reuelandi aut narrandi: at potes aliquem tecum conducere, vt propriis oculis videat, quæ vidisti: & hoc est, quod S. Doctor dicit *demonstrare*, hoc est, *ostendere.* Constat *tertio,* hos delicti testes debere etiam esse correctionis. Satis corrigitur; qui in peccato deprehenditur, & coram viris magnis conuincitur. *Sed non constat* an necessariò debeat primò adhiberi vnus testis, postea duo, vtrumque enim probabiliter potest defendi, iuxta ea, quæ diximus *num* 1716. *Tandem*, si quis à duobus vel tribus deprehensus adhuc maneat impœnitens, iubet illum traduci ad Superiores Christus, iubet Diuinus Augustinus, vt vel sic corrigatur.

Quid sit impœnitentem esse?

Testes correctionis, debent delicti fuisse testes.

Hoc loco *demonstrare* nihil est aliud quàm monstrare aut ostendere.

Sufficit vnus testis.

Hinc patet, quid responderi debeat illi disputationi CXXXVI. quæ inquirit, *Quid debeat Abbas facere admonitus de secretò peccato impœnitentis Religiosi?* quoniam, si ad mentem Augustini admoneatur, dabuntur duo vel tres contestes criminis, quibus poterit informatio fieri, si contingat eum non

1951 Quid Abbas auditâ denunciatione debeat facere?

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

velle paternæ correptioni obedire, & si non velit priuatim conuerti, poterit saltem, vt verbis Diuini Legislatoris vtar, duorum vel trium ore conuinci, & competenti seueritate coërceri. Quæris tamen, *An secretò denuntiatum Abbas debeat paternè & secretò corripere, an publicè & iudicialiter possit*? Accusationem à denunciatione distinguo, docoque accusatum debere publicè, secretè corripi denuntiatum, quod si secreta correctio non potuit, via inquisitionis aut accusationis procedendum, & reus duorum vel trium contestatione conuictus iuxta Regulæ textum emendatoria vindicta condemnandus.

Aliter contra denunciatum, aliter contra accusatum proceditur.

1952 Correctio fraterna apud illos qui S. Augustini Regulâ profitentur, obligat sub mortali.

Sed interrogas, An omnia ista cadant sub consilium, an sint verò præcepta? Putatet aliquis, cùm audit Augustinianam Regulam non obligare animas, sed corpora rigori religioso subijcere, hoc etiam caput, sicut & reliqua conscientias non concernere; adeoque posse, aut correctio fraterna intermitti, aut post adhibitam impœnitens non denuntiari. At teneo, duabus te legibus ad huius ordinis obseruantiam teneri; Euangelica, regularique: illa moraliter, hac pœnaliter: hac ipsa prioris obligationem insinuante, dicenteque. *Nec vos iudicetis maleuolos quando hoc* (Confratris crimen) *indicatis* (Præposito) *magis quippe* (hoc est *imò*) *innocentes non essetis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis.* Sed ne quispiam existimet, semper sine personarum discretione esse denuntiandos confratres, legat, quæ superiùs dicta, *num.* 1692. 1695. 1697. 1698. & deinceps.

Sed quomodo, si Regula hæc tantummodo pœnaliter obligat?

1953 Corporis & animæ proportio.

Cur sub præceptum cadant, qui textum legerit, non tenebitur quærere, ibi enim ratio fortis proponitur ex corporis & animæ proportione desumpta.

1954 An possit correctionẽ fraternam ægrè ferre, qui corrigitur.

Hanc ipsam legem, qui corrigitur ignorare non potest, adeoque nec ægrè ferre, si prudens sit, si vel moneatur euangelicè, vel si impœnitens & contumax denuntietur. Lego in Scripturis. *Corripe sapientem, & amabit te*, & iterum, *Stultus, si corripitur, irascitur.* Correctio igitur lapis est Lydius, aurum à cupro, sapientem ab stulto distinguens, nam qui sapiens fuerit, cum Victorino Hugone dicet, *Summa diligentia inuestiganda & corrigenda est culpa; nam si eam non emendamus in hoc sæculo, damnabimur in futuro. vnde Apostolus ait, Horrendum est incidere in manus Dei viuentis: melius est ergo hic emendare culpas, quàm tunc perire*, & si corrigatur, gratias aget.

1955 An confrater debeat adhibere diligentiam, vt peccatum discat?

Sed quia Hugo summa diligentia inuestigandam culpam ait, & tu inquiris, *Possitne Religiosus examinare confratrum vitas, & inquirere peccata occulta, vt corrigat fraternè?* & ratio dubitandi est, quia videtur Hugo stare pro parte affirmatiua. Respondi à *n* 1701. Abbatibus & reliquis Præsidibus summam (intra prudentiæ tamen limites) diligentiam adhibere persuadens, & condemnans simplicem Religiosum, qui occulta crimina confratrum discit: nulla enim debet quærere, nulla inquirere, nulla examinare, sed si vel inuitus aliqua viderit, aut animaduerterit, illa corrigere fraternè.

1956 *Quaris tandem*, Qui debeat procedere Prælatus erga incorrigibilem, nimirum contra Religiosum, qui vel non acceptat pœnitentiam impositam, vel si acceptat tamen non corrigit grauem illam culpam, propter quam fuit imposita? Meritò de graui culpa agis, non enim credis veniales debere tanto strepitu corripi, nec posse incorrigibilem dici, qui relabitur in ea, quæ vix vitare potest, etsi velit.

Quomodo Prælatus procedere debeat contra incorrigibiles? An, qui venialia non emendat, incorrigibilis sit?

Respondit S. Augustinus in contextu, ad cuius mentem sic in correctione procedendum. *Primò*, Si animaduerteris graue confratris tui peccatum, & relapsum prudenter timeas (satis enim correctus est, qui non relapsurus præsumitur) debes eum fraternè corrigere, hoc est, secretò admonere reincidentiam dehortando, & pœnitentiam persuadendo. *Secundò*, Si iterum relabatur, tunc poteris cautè vnum vel duos adhibere ad locum vt testes esse possint criminis & correctionem reddant efficacem. Sed & istis poteris crimen & personam detegere, & orare vt inuigilent? Non puto, quoniam hac via multi diffamarentur innocentes, at poteris eos ad locum tempore opportuno conducere, vt testes oculati sint, non auriti. *Tertiò*, Puto coram testibus corrigi præsentia physica, si isti adducantur, & præsentia morali, si reo insinues à talibus fuisse visum, & posse conuinci, si accusetur. *Quartò*, Si adhuc relabatur, & idem peccatum committat, denuntiandus est Superiori tanquam Patri, vt illum secretò moneat, & paterna charitate conuertat. *Quintò*, Si negauerit, debet testimonio coërceri, accusari & conuinci; aut si nemo subire accusatoris vices velit, via inquisitionis procedendum, vt ore duorum vel trium conuincatur, & regulari subiaceat disciplinæ. *Sextò*, Si noluerit impositam pœnitentiam admittere (non acceptat, qui mores non corrigit; præcipua enim pœnitentiæ pars est noua vita) in Monasterio non est vlteriùs tolerandus, ergò vel permittendus abire si velit, & cogendus si nolit. Carceris non meminit S. Pater, quem fortè non cognouerunt illa sæcula, nam & D. Benedictus illius maceratione supersedens, contumaces & impœnitentes expellendos statuit, ne vnus aut alter *contagione pestifera plurimos perdat.* Vide quæ de incorrigibilibus à S. Benedicto Cap. XXVIII. LXV. & LXXI. & à me *num.* 1753. & deinceps dicta.

Lege hoc attentè.

Expellendus est, qui pœnitentias nõ acceptat.

An tempore S. Augustini & Benedicti Prælati habuerint carceres?

TEXTVS. *Quicumque in tantum progressus fuerit malum, vt occultè litteras ab aliquo vel quodlibet munus acceperit, si hoc vltro confiteatur, parcatur illi & oretur pro eo. Si autem deprehenditur, & conuincitur, secundum arbitrium Presbyteri vel Præpositi grauiùs emendetur.*

1957 Religiosi, nec literas scribere, nec recipere possunt.

DVplex epistolarum genus est, eulogicum & litterale. De vltimo hîc Diuinus Hipponensis Episcopus, de vtroque S. Benedictus quinquagesimo quarto suæ Regulæ & ego incom. *num* 819. vbi distinctionem insinuo, quam tenor hic exponere, vt periodus intelligatur, *Eulogia* sunt recommendationes, munuscula, amoris testimonia, apud Hispanos dicta, *Besamanos, encomiendas, memorias*, quæ non indigent litteris, tametsi contingat litteris consignari. At epistola, quæ non

Epistolarum genus duplex.

De eulogiis, & munusculis.

De literis, & muneribus.

non aliter quam litteris mitti potest, & solet, seria est, negotia grauia tractat, quæ egent & cautela & secreto : & hanc *litterarum* nomine significamus.

Hugonis interpretatio reijcitur.

Legit has Regulæ Augustinianæ lineas Hugo de S. Victore, & benignissimè interpretatur Augustinum, qui (Augustinus) non deberet tam seuerè execrari, quæ Hugone interprete legitur inhibuisse. De eulogiis S. Pater exponitur, qui me iudice nunquam dixisset. *Qui in tantum progressus fuerit malum, vt occultè munuscula aut eulogia receperit*, non enim debebat grande facinus credere, quod vix culpam venialem attingit. Agit S. Augustinus non de munusculis sed de muneribus ; non de eulogiis, sed de seriis & secretis litteris. Aliud enim est iconem & orationes postulare aut recipere, & aliud munera, quæ notabilem quantitatem importent. Aliud salutari, & aliud impendi in negotiis.

1958 Augustinus agit de re graui.

Augustinus de materiâ agit graui, & dilucidari non potest verbis Hieronymi ab Hugone citatis. Sic Hugo *Si autem deprehenditur, grauius emendetur, quia si grauior est culpa, grauior competit disciplina. Grauiter quippe, & mortaliter offendit, qui malum, quod agit, etiam occultat* ; & ego qui leuiter peccat & tacet, silentij causa incurrere peccatum mortale improbabiliter dici existimo ; & grauis culpæ reum debere se prodere, aliàs grauiter peccaturum decredo. Hugo progreditur, *De occultis litteris & munusculis S. Hieronymus ita scribit. Occultas, inquit, litteras & sudariola, & crebra munuscula sanctus amor non habet. Quisquis talibus delectatur, magnâ vanitate seducitur. & quo plus delectatur infimis, eo amplius ejcitur à supernis. ex huiusmodi autem mala solent generari. Sed qui perfectè vitia cauere desiderat, non solum studet, vt ea quæ per se (mala) sunt caueat, sed etiam illa refugiat, vnde tantùm etiam vel parua actio, vel mala opinio procedere possit.* Si tales litteræ, talia munuscula, vt secundum se malitiam non habeant, aut vt plurimum leuem, & ex illis tantum parua actio, hoc est, leuiter mala oriri queat, vnde colliget aut probabit Hugo esse mortaliter peccaminosa ? ex Augustini textu ? minimè. Sanctus enim Pater grauissimè rem vrget, quoniam de rebus ipse seriis & grauissimâ materiâ agit.

An occultare, aut occultè committere peccatũ veniale, sit mortale ?

S. Hieronymi Admonitio.

Dico igitur vix maiora esse in cœnobiis pericula, quàm quæ ex litteris orta. Quà homo non potest, transit charta ; quando ille audiri nequit, hæc legitur ; & quoties aut tangitur aut aperitur, toties nocere potest. & hoc de litteris, quæ recipiuntur, dictum. Loquar de illis, quæ emittuntur seueriùs. Si hoc liceat, nemo erit in monasterio securus ; ipsamet traducetur communitas : & afflictus quicumque nebulo, cùm aliter se vindicare nequeat, folia onerabit mendaciis, & quot epistolas, tot infamatorios libellos, tot falsitatum buccinatores mittet. Hanc ob causam religiosis vniuersis cauentur secretæ litteræ ; qui enim non vult litteras superiori suo manifestare, deprehenditur habere extra monasterium negotia ignota superiori ; quæ non debent admitti. Vnde laudandi Cistercienses Hispani apud quos vnius mensis graui pœnitentia punitur, qui litteras secretas miserit aut receperit (tales enim malæ sunt, sæpè quoad substantiam, semper quoad modum) nec tamen, si epistolæ materialiter bonæ sint, hæc secreti circumstantia creditur moraliter peccaminosa, sed pœnitentiæ obnoxia, vt possit manuteneri communis authoritatis securitas. Ipsi etiam munera iudicant iuxta quantitatem materiæ. Icones, rosaria, orationes, dantur petuntur ex licentia communi, hæc enim videntur esse nullius preti, inter amicos, nec dari vt munera, sed vt memoriæ ; at quod pretium adtingeret, interdicitur, & punitur leuiter, qui rem leuem donauerit aut acceperit sine licentia ; grauissimè verò, qui grauem.

1959 Magna pericula imminent Communitatibus ex Epistolis.

Cistercienſiũ Hispanorum contra illos, qui sine licentia scribunt, aut recipiunt Epistolas, Statutum.

Res interdũ donantur vt memoriæ, & interdum vt munera.

CAPVT VIII.

De rerum Communium custodia.

VEstes vestras in vnum habeatis sub vno custode vel duobus, vel quot sufficere possint ad eas excutiendas ; ne à tinea lædantur. Et sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario. Si fieri potest, ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, vtrum hoc recipiat vnusquisque, quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat ; dum tamen vnicuique prout cuique opus est, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur, & conqueritur aliquis se deterius accepisse, quàm priùs habuerit, & indignum se esse, quòd non ita vestiatur, vt alius frater vestitur, hinc vos probate quantum vobis desit in illo interiori sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tametsi vestra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis quod posueratis, in vnum tamen locum sub communibus custodibus habere quod ponitis, ita sanè vt nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in vnum fiant maiori studio, & frequentiori alacritate, quàm si vobis singuli propria faceretis. Charitas enim, de quà scriptum est, *quod non quærit, quæ sua sunt*, sic intelligitur quia communia propriis, non propria communib. anteponit. Et ideò quantò ampliùs rem communem quam propriam curaueritis, tantò vos ampliùs proficere noueritis, vt in omnibus, quibus vtitur transitoria necessitas, superemineat quæ permanet

1960 Omnes habere debent, sicut cibum, sic etiã amictum ex cõmuni.

Non est opus, vt illud vestimentum quis accipiat, quod deposuit.

Omnia sint in communi.

Charitas cõmunia priuatis antefert.

Quæ mittũtur alicui à

parentibus, sunt omniũ communia.

permanet charitas. Consequens ergo est, vt etiam, cùm quis suis filiis aut aliqua necessitudine ad se pertinentib. in monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, siue quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, vt in rem communem redactum, cui necesse fuerit, præbeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur.

Qui rem clã receperit, vt fur tractetur.

COMMENTARIVS.

1961 De vestibus Religiosorũ.

DE indumentis suorum Religiosorum agit S. Benedictus Regulæ suæ quinquagesimoquinto, & ego *num.*1620. & quia contingit aliquando superiores non satisfacere necessitatibus Religiosorum, disputatione immediatè sequenti, quæ est CXXIX. inquisiui, An sit contra deuotam paupertatem procurare vestes necessarias, quas negauerit Abbas? Et supposita necessitatis veritate respondi negatiuè, iam aliàs: vbi notari volo, non esse omnia verè necessaria, quæ à plerisque creduntur, natura enim humana paucis contenta, multis rebus non eget. Huius capitis illustrationi etiam seruient omnia quæ de voto paupertatis sunt dicta, *à num.*815. *ad* 973.

Quid, si Superior necessarias non dederit?

1962 Crimen furti in proprietate reperitur.

Sed quia specialiter ait S. Augustinus, *si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur*, addendæ sunt aliquæ resolutiones benigniores, quæ aut remittent seueritatem huius textus, aut exponent suauius.

An possit Religiosus vsũ, & non dominium acceptare?

Prima. *Potest aliquis dare Religioso quamcumque pecuniam ad vsum Religiosi liberè & prout voluerit dispensaturi* (nimirum dantis nomine) *reseruans sibi dominium talis pecuniæ.* Est probabilis, vt constat ex iis, quæ diximus *num.*883. Hæc Conclusio est vtilis Patrum Franciscanorum Communitatibus, quæ nihil habent in communi; at priuatis Religiosis posset esse nociua, & ideò, ne abusus aliquis subrepat, poterit hoc ipsum à prudente Superiore interdici.

An accipere, non sibi, sed Communitati, sit proprietas?

Secunda. *Non peccat contra paupertatem, qui inscio superiore ab externis pecuniam accipit & libros emit, modò eos habeat in cubiculo expositos. Idem à fortiore dicendum si ipsos accipiat libros.* Est etiam probabilis, vide *num.*886.

1963 Aliud est celare rei substantiã, aliud modum.

Noto etiam aliud esse celare rei substantiam, aliud modum; qui enim rem sine licentia accepit, & peccauit, si confessus egerit pœnitentiam, non tenebitur se prodere, adeoque poterit illum modũ, nimirùm, quod rem illam sine licentia receperit, celare; &, si aliter nõ possit, poterit occultare rem ipsam, ne si hæc in Superioris manus veniat. eius peccatũ detegatur. Sed hic opus prudentiâ, & sapiẽtis cõfessarij cõsilio, ne indoctus religiosus Scyllã fugiens à Charybdi absorbeatur.

CAPVT IX.

De munditia vestium & corporum.

1964 Vestium mũditia esse nimia non debet.

INdumenta vestra, secundum arbitrium Præpositi lauentur, siue à vobis, siue à fullonibus, ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus. Lauacrum etiam corporis, cum infirmitatis cogit necessitas, minimè denegetur. fiat tamen sine murmure de consilio medicinæ, ita vt, etiamsi nolit, iubente præposito faciat quod faciendum est pro salute. Si autem velit, & fortè non expedit, suæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim si noceat, prodesse creditur quod delectat. Denique si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti quod sibi doleat, sine dubitatione credatur; sed tamen vtrum sanando illi dolori quod delectat, expediat, si non est certum, medicus consulatur. Nec eant ad balnea, siue quocumque ire necesse fuerit, minùs quam duo vel tres. Et ille, qui habet aliquò eundi necessitatem, cum quibus Præpositus iusserit, ire debebit. Ægrotantium cura siue post ægritudinem reficiendorum siue aliqua imbecillitate, siue etiam febribus laborantium, vni alicui debet iniungi, vt ipse de cellario petat, quod cuique opus esse prospexerit. Siue autem qui cellario, siue quæstibus, siue qui codicibus præponuntur, sine murmure seruiant fratribus suis. Codices certa hora singulis diebus petantur: extra horam qui petierit, non accipiat. Vestimenta verò & calceamenta, quando fuerint indigentibus necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur. Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium: & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam: Sic enim legitis: *Qui odit fratrem suum, homicida est.*

An infirmis balnea indulgenda? Ipsorum desiderium est fallax.

Seruo Dei, si dicat, se dolere, credendum,

Nemo egrediatur solus: aut socium sibi designet.

De Infirmario.

Prouidendũ vnicuique de necessariis.

De litibus. An odium sit homicidiũ.

COMMENTARIVS.

1965 MVnditiæ virtus est, sed debet suos habere terminos; illos enim qui nimirum candidas aut pexas vestes habent, duplici arguimus culpa; otio & rerum terrenarum

Tantum hominibus ocioſis conuenit nimia veſtium curioſitas.

tum amore: non enim tanta diligentia curarent veſtium pulchritudinem nitoremque, ſi maioribus eſſent intenti; imò nec in ipſo otio, ni nimio perfectionis terrenæ amore laborarent. Vnde laudandus omnino Regulæ

TEXTVS. *Indumenta veſtra ſecundum arbitrium Præpoſiti* (non ergo ſecundum diſpoſitionem ſingulorum) *lauentur, ſiue à vobis, ſiue à fullonibus, ne interiores animæ ſordes contrahat munda veſtis nimius appetitus.*

1966 Quomodo interiores veſtes apud Ciſtercienſes lauentur?

HÆc lex apud Ciſtercienſes in vſu. Die Sabbati vniuerſi ad lauatorium veniunt, & ibi ſua induſia regularia & caputia breuia lauant, excepto nemine. Actus enim mortificationis & humilitatis iſte eſt, & debent ſeniores viam præire: habetur tamen hæc ſenectutis ratio vt iuniores, cùm ſua abluerint, iuuare reliquos in ſummo ſilentio permittantur. Et hic eſt labor manuum pomeridianus illius diei, quoniam ante meridiem labor manuum reſpicit locorum regularium, quæ ſæculares non poſſunt ingredi, munditiem, & ideò poſt primas clauſtra, dormitoria, ſuperiora, inferiora ſcopis expurgantur, nimirum à Conuentualibus, Præſidibus, Abbate, & etiam Diffinitoribus, aut quibuſcumque Ordinis Primoribus, qui pro tempore degunt in Monaſterio.

Quomodo interius monaſterium ſcopis purgatur?

Cum togæ, cucullæ aut veſtes quæcumque maiores ſunt lauandæ, licentia petitur, & ſi videatur conuenire, conceditur; non tamen poterunt alibi, aut aliter.

TEXTVS. *Lauacrum etiam corporis, cum infirmitatis cogit neceſſitas, minimè denegetur.*

1967 De balneorũ vſu.

SVauius adhuc S. Benedict. Cap. XXXVI. *Balneorum vſus infirmis, quoties expedit, offeratur: ſanis autem, & maximè iuuenibus, tardius concedatur*, concedit enim etiam ſanis, tametſi rarò; quibus non videtur balneorum vſum concedere Auguſtinus.

1968 Cur balnea tam rigidè inhibeantur?

Sæpe ego olim in Hiſpania aut in Belgio etiam mirabar, balnea tam ſtrictè à Regularium ſcriptoribus fuiſſe interdicta: non enim mihi videbatur abſurdum, non modo valetudinis, ſed etiam honeſti refrigerij ratione fluuium in loco ſolitario & ſecuro ingredi, & lauari, at Belgium, & Germaniam aduehiens, incepi intelligere, quæ Religioſis cauta. Dantur loca promiſcuo populo communia, vbi omnes nudi, ſi non inſoleſcunt, ſtulteſcunt; quæ honeſto viro concedi non poterunt; & tamen ſi neceſſitas vrgeat, vitæ conſeruandæ gratia, etiam ſolent à Viris magnis & ſanctis frequentari; alia nimirum hora, alia die, ſed maioribus omninò expenſis, & de his ego balneis egiſſe Patriarchas intelligo; non tamen de illis, quæ ſine authoritatis diſpendio, aut conſcientiæ periculo poſſunt admitti honeſti ſolaminis cauſa.

Publica potiùs videntur, quàm priuata interdici.

TEXTVS. *Etiam ſi nolit* (Religioſus) *iubente Præpoſito, faciat quod faciendum eſt pro ſalute* (de conſilio medicinæ) *ſi autem velit, & fortè non expedit, ſuæ cupiditati non obediatur.* Legis, & quæris.

1969 De medicinarum vſu & abuſu.

AN Religioſus ſub Auguſtiniana Regula militans, teneatur vti medicinis ante Præpoſiti præceptum? & ſi non, An ſaltem Abbate præcipiente? An contra proprium dictamen?

Nemo tenetur vti medico, aut medicinis.

Reſpondeo, nullum Chriſtianum teneri vti medico vel medicinis; nam non volumus eſſe ſanctiores Paulis, Antoniis, Hilarionibus, & aliis ſanctiſſimis Viris, qui longæuam egerunt vitam, & tamen pharmacopolas non habuerunt. Bernardus meus, & multi iunioris ævi ſancti noluerunt vitas ſuas committere Medicorum inſcitiæ, ſatius iudicantes committere illam Deo. Quam ob rem, cum ex vna parte videam tantorum Hominum præclara exempla, ex altera medicinæ ipſius incertitudinem, & illius certæ aut incertæ ſummam apud noſtros medicos ignorantiam, ſtatuo neminem teneri vti pharmacis, nec conſulere medicos: ſed prudenter procedere, ſi ſe Dei clementiæ commendet, & malit diuinitùs à Domino, quam humanitùs occidi à medico.

Plerique omnes medici artem ignorant.

Si Prælatus iubeat, ſubditus obedire tenetur.

Poſito Superioris imperio; tenebitur Religioſus obedire, niſi in caſu quo prudenter putet aut ſciat medicinam illam ſibi graue nocumentum illaturam.

Etiam in caſu probabili.

Addo tamen, ſi tantum probabiliter timeat; & Prælatus ex Medici conſilio procedat, teneri iuxta S. Auguſtini Regulam obedire, vt conſtat ex textu, quem expendo: quem medicinas acceptandi rigorem obligationemque non video in Benedictina expreſſum.

D. Hieronymus Pardus; qualis?

INcidit in hunc locum quidam Medicus Valliſoletanus; Vir, vt video, eruditus & doctus; qui Autoribus quà Latinis, quà Græcis, quà Arabibus, multis annis ſtuduit. Hic in libro *de vino lymphato*, quem calamo Hiſpanico ſcripſit, præfixit Prologum, quo hanc doctrinam impugnat. Illum ipſe in tres Articulos diuiſit. Addo Titulos.

In Caramuelem ſcribit.

I. *Apologia contra Caramuel en fauor de la Medicina, y de ſu neceſſidad y prouecho.*

II. *Pruebaſe con euidencia la neceſſidad de la Medicina, y applicanſe remedios a los delirios de Caramuel.*

Inurbaniſſimi Articulorum tituli.

III. *Satisfaceſe a los Pſeudofundamentos en que Caramuel funda ſus falſas imaginaciones.*

Et ſubſcribit *D. Hieronymus Pardus*: non autem *D. Hieronymus Pardus*.

Fundamenta Caramuelis erant tria: videlicet.

An Sancti Veteres medicinis ſint vſi?

I. *Multi Sancti caruerunt Medicis & medicinis.* Illud admittit Pardus. Non ergo hoc poteſt *delirium*, aut *pſeudofundamentum*, aut *falſa imaginatio* vocari. Sed addit nunc Caramuel. *Multi doctiſſimi in grauiſſimis & periculoſiſſimis morbis non admiſerunt Medicos aut medicinas.* Et ſanè iam à triginta annis Caramuel nulli Medico moleſtus fuit.

An Medicina ſit Ars incerta?

II. *Medicina eſt ars incerta.* Hoc didicerat à Medicorum Principe Caramuel, ille enim aſſerit, *eſſe artem longam, vitam breuem, & experimenta fallacia.* Hoc etiam admittit Pardus; ingenuè enim teſtatur eſſe in Medicinâ multas opiniones probabiles; Ergo, ſi & hoc eſt verum, hoc ſecundum Fundamentum Pardus non poterit *delirium*, aut *pſeudofundamentum*, aut *falſam imaginationem* nominare.

III. *Multi*

An omnes Medici sint docti?

III. *Multi Medici sunt ignorantes.* Huic non satisfacit Pardus: sed est manifestissimum, & ita certum, vt nullus legat librum hunc, qui illud in dubium vertat. Consultò dixi *Multi sunt*, nam cognosco doctissimos Medicos; Salmanticæ Zamoram, Louanij Plemplium, Viennæ Mannaghettam, Pragæ Ioannem Marcum, &c. & viros doctos honoro & veneror, & licèt multis leucis absint, mihi præsentes epistolis frequentibus reddo.

An Diuina Prouidentia rebus necessitatem imponat?

Loco istius Fundamenti ponit aliud Pardus, à Diuina prouidentiâ desumptum: nempe, [Aut Deus decreuit ægrotum moriturum, aut non. Si decreuit, morietur æger, vtatur medicinis, aut non. Si non decreuit, viuet, vtatur medicinis aut non.] Et cur quæso hoc fundamentum addit, si illud non esse Caramuelis fatetur? Hoc Lutheranos, Caluinistas, & Iansenianos concernit, contra quos à viginti annis disputat & scribit Caramuel. Soluitur in vario & eruditissimo Beverovicij libro, de vitæ termino, fatali, an mobili: in quo videre Lector poterit, quo variæ Sectæ modo de Diuinâ prouidentiâ & prædestinatione discurrant.

Caramuel libros contra se scriptos, modò vrbani sint, libentissimè legit.

Vbi titulum primi Articuli legi, sum gauisus; non enim impugnationes ægrè fero; sed semper desidero addiscere, & doctior reddi. Secundus Tertiusque titulus inurbanissimi sunt: & quæ in textu ponuntur, sunt eiusdem coloris.

An debeat respondere Pardo?

Qui librum ad me misit, monet, ne respondere digner homini, qui ne quidem scit suum nomen proprium, se *Hieronymum* vocat: vbi duos errores committit; nam prima vocalis, non *y*, sed *i*; & penultima non est *i*, sed *y*. Accedit quod Tractatui Hispanico Latinè subscribat, quod posset videri ridiculum. Respondi, me velle credere esse lapsum calami, vel typi errorem; video enim librum, nec ingenio, nec doctrinâ, sed vrbanitate, & beneuolentiâ carere. Si Ego in Medicos indoctos scripsi, cur Pardus, qui vel me asserente doctus est, se tactum iudicat? Si nullum nominaui, cur nominatim irascitur? si habet rationes, cur ad iniurias & vociferationes recurrit? Dabo causam. *Quien mal pleyto tiene, a vozes le mete.* Mea doctrina non est singularis, sed communis. Antiqui Ordines mille aut pluribus annis caruere Medicis. Ordo Benedictinus, & in ipso Cistercienſis Congregatio à paucis annis habet Medicos. S. Bernardus Bernardo, Trium-fontium prope Romam Abbati, qui posteà fuit Summus Pontifex, & vocatus Eugenius, iussit ne suos Religiosos permitteret curari à Medicis: & addit hæc terribilia verba, *Credo me consilium & spiritum Dei habere in hoc.* Caramuelis sententiam Sanctos nonnullos docuit Christus. S. Brigittam enim sic affatur. *Multi electorum meorum fuerunt, qui nec habuerunt medicinas carnales, nec alias indulgentias carnis, & placuerunt mihi. Alij verò secundum dispositionem temporum, locorum, atque infirmitatum diuersarum, adhibuerunt sibi medicamenta, nec isti displicuerunt mihi, quia totum fecerunt ad seruandum mihi. Ideoque obedientia illa, quæ nihil habet de propriâ voluntate, plus placet mihi, quàm sacrificium magnum*, &c. Ergo-ne Christi verba sunt deliria, pseudofundamenta, nec non imaginationes falsæ?

Est vir eruditus & doctus.

Legatur tota S. Bernardi Epistola ad fratres de S. Anastasio.

Verba Caramuelis, à Pardo impugnata, sunt Christi.

Sententia Caramuelis de necessitate Medicinæ.

Porrò mea doctrina est, quam legisti: nolui vel lineam alterare, vel addere. illam ad has Conclusiones reduco. (1) *Medicina est vtilis, non necessaria: & qua praxim concernit propter multa, quæ intercurrunt, probabilis, non demonstratiua.* (2) *Si Prælatus Religioso iubeat, vt vtatur Medico & medicinis, obedire tenetur.* Hoc §. *Posito.* & §. *Addo.* iam legisti. addidi in Theologiâ Morali. *Prælatus secundum laudabiles sui monasterij mores tenetur dare Religioso infirmo medicinas & Medicum.* Patet, quia iam consuetudo præscripsit. (3) *Præscindendo à legitimo Superioris præcepto, nullus Christianus tenetur vti medico vel medicinis.* At cogunt me nonnulli, vt de hoc argumento Syntagma contra Pardum scribam: teneor ex Regulæ statuto inimicis ad Laudes & Vesperas quotidie ignoscere; huic desidero obligationi satisfacere: me morti præparo; sum senex; & vbi mori possunt iuuenes, senes debent: & ideò nulla scommata, nullas iniurias in meo Rescripto Lector speret, nam fortissimis rationibus præuentus, improperiis aut dicteriis non egeo. Pardum in Deo amo, & amabo; orationes tametsi tepidus & indeuotus offero; &, quando has lineas scribo, legeram pro eius salute, incolumitate, & prosperitate decem missas.

Cur nolit Pardum Caramuel etiâ opplere iniuriis?

In periculo mortis, quid agendum?

Petis, quid dicendum de ægroto sit in casu, quo si non sumat talem medicinam, certò sit moriturus; &, si sumat, certò sit valetudinem pristinam recuperaturus? Respondeo, casum in chirurgiâ esse possibilem, at in Medicinâ non esse, & me de tali casu non loqui: quia omnia Medicorum pharmaca esse alicui parti corporis nociua, licèt alteri prosint, certum est. Ergo, cùm damnum pharmacorum sit certum, & vtilitas dubia, sumus extra casum, quem proponis. Te tamen moneo in periculo mortis me asserere ægrotum Medico obedire debere. Vide *num.* 44. in fine. Interim moneo S. Agatham lethalibus vulneribus sauciam noluisse audire Medicos aut Chirurgos, & ob hoc laudari à Metaphraste, Lipomano, Surio, Cajetano, Nauarro, Amescuâ, & aliis: & hac resolutione non obstante Sanctorum Albo inscriptam esse. Addo Carthusianos, etiam in casu quo Medicus iudicet, carnibus ad vitæ conseruationem indigere, carnibus abstinere, & cùm eorum Institutum ab Ecclesiâ sit approbatum, à Pardo accusari non debet.

De S. Agathâ.

De Carthusianis.

TEXTVS. *Aliquando enim, licèt noceat, prodesse creditur, quod delectat.* 1970

Cur nemo possit in causâ propriâ Iudex esse?

PVlchra quidem periodus, & non physicè modò, sed etiam moraliter vera. Vel dicito, cur homini tametsi sancto, non permittitur in causa propria iudicare? An præsumetur sententiam contra iura laturus? minimè. Quid ergo? Arcetur à iudicio, ratione amoris proprij, & complacentiæ, quibus ita aliquando excæcamur, vt illa ipsa quæ in Ius impingunt

impingunt euidenter, cohærere cum Iure credamus.

1971 TEXTVS. *Si latens eſt dolor in corpore, famulo DEI dicenti, quod ſibi doleat, ſine dubitatione credatur.*

Non cuicũque Religioſo, ſed famulo Dei, credendum.

NOn intelligo. An præcipit Superiori Auguſtinus, vt credat etiam quando habet rationes decredendi? Si hoc, præcipit eſſe ſtultum; nemo enim vir prudens aſſenſum præbere poterit, vbi dantur rationes cohibendi. Lego Hugonem Victorinum & iuuor. Ipſe enim *Famuli* DEI nomine, non quencumque intelligit Religioſum, ſed pium benemoratum, & veracem. Iudicia igitur temeraria inhibet S. Pater, non prudentia: nam, ſi pius Religioſus, qui ſine querela agit in Monaſterio, & Chorum ſtudioſè frequentat, incipiat conqueri, de morbo ſecreto & latente, debet omnino audiri, nec mentiri credendus. Quid ſi viderim prius, fuiſſe leuem in verbis, tepidum in actionibus, rerum regularium incurium? Si choro libenter abfuerit, ſi notatus cauſas quærere ne communi diſtrictioni ſubiaceat, mihi dixerit non poſſe adire Eccleſiam propter latentem morbum, ridebo, & indulgebo prima vice, fortè etiam ſecunda, incredulitate non obſtante, at tertia irrationabiliter poſtulatam licentiam ex cauſa denegabo; quoniam grauiſſima negandi cauſa eſt, quod illa ſine cauſa petatur.

Quem *famuli Dei* nomine intelligat S. Auguſtinus?

1972 TEXTVS. *Nec eant ad balnea, ſiue quocumque ire neceſſe fuerit, minùs quàm duo vel tres. Et ille, qui habet aliquò eundi neceſſitatem, cum quibus Præpoſitus iuſſerit: ire debebit.*

An expediat Monachos egredi ſolos.

ANgelus ab Angelo differt dictamine, finiti enim ſunt, & poſſunt duas bonitates diuerſimodi apprehendere. Differt ab homine ſancto homo, etiam ſanctus. Multæ olim inter Barnabam & Paulum diſſenſiones, aliquæ inter iſtum & Petrum, & tamen omnes ex zelo & Dei amore natæ. Diſtulerunt in plurimis Hieronymus Auguſtinuſque, & tamen vterque erat ſanctus. Et in hoc ipſo textu dictaminum diſcrimen video & inquiro, An religioſi debeant egredi bini, terni, aut ſoli?

De varietate dictaminis.

S. Auguſtinus, & S. Benedictus differunt.

Binos ternoſue vult mittere S. Auguſtinus, ſingulos D. Benedictus, & vtraque pars magno ſuffulta patrocinio in genere æquè iudicanda probabilis.

Conſultò dixi, *in genere*, in ſpecie enim, vnuſquiſque Superior debet dimittere ſuos ſubditos iuxta morem & conſuetudinem ſuæ Religionis.

Prima ratio pro Auguſtini opinione diluitur.

Nec rationes pro alterutra parte conuincunt. Nam, ſi mittuntur duo, ne alter audeat facere quæ ſolus faceret, adeoque ſodalis reuerentia aut timore compeſcatur: melius & ſanctius eſſet vtrumque retinere domi, ſi neuter talis, qui poſſit ſolus mitti.

Diluitur ſecunda.

Si Chriſtus miſit binos & binos diſcipulos ante faciem ſuam, & eius exemplo videantur mittendi bini & bini. Idem etiam Chriſtus ſingulos Apoſtolos legauit in diuerſas prouincias, & non binos & binos; & Religioſi, quoniam vitam Apoſtolicam agunt: deberent vt Apoſtoli mitti.

Si duo neceſſarij non ſunt, cur duo mittentur? cur duo aberunt Choro, ſine neceſſitate manifeſta?

Diluitur tertia.

Dixerit Salomon, *Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habebit ſubleuantem.* Id tamen de Religioſo non dixerit; nemo enim mittendus, qui caſurus præſumitur, & qui caſurus non eſt, non eget comite ſubleuaturo. Accedit, quod in Catholicorum prouinciis vbique ſint Eccleſiæ, vbique Confeſſarij, vbique Dei orandi & colendi commoditas, adeoque ſolus nemo poſſit vocari, qui inter homines Chriſtianos vivit. [Vide, Templariorum Regulæ caput XXXV.]

Quid, ſi mittantur bini?

Ex hypotheſi tamen, quod iuxta mores laudabiles Ordinum mendicantium bini mittantur, tenenda omninò erit S. Auguſtini ſanctio: videlicet, *Vt ille qui habet aliquo eundi neceſſitatem, cum quo vel quibus Præpoſitus iuſſerit ire debeat.*

De Magiſtro infirmorum.

TEXTVS. *Ægrotantium cura, ſiue poſt ægritudinem reficiendorum, ſiue aliqua imbecillitate, ſiue febribus laborantium, vni alicui debet iniungi.*

IVbet hic S. Doctor in ſingulis Communitatibus elegi infirmorum Magiſtrum, cuius officij ſit curam illorum gerere, qui morbo actuali aut habituali laborant. De cuius electione & officio egi *n.* 1623. exponens textum Benedictinæ Regulæ ex cap. XXXI.

1973 De Cellerario, Veſtiario, & Bibliothecario.

TEXTVS. *Siue autem, qui cellariis* (& ipſe eſt *Cellarius*) *ſiue qui veſtibus* (videlicet *Veſtiarius*) *ſiue qui codicillis* (*Bibliothecarius*) *præponuntur, ſine murmure ſeruiant fratribus ſuis.*

DE Cellerario egi ad Caput XXXI. Regulæ Benedictinæ *n* 1609. & deinceps. Veſtiarius ſubcellerarius eſt, & iuxta S. Benedicti Lexicon *Cellerarij ſolatium*, hoc eſt, miniſter ſociuſve. Vide *num.* 1620. & caput Benedictinæ Regulæ LV. Sanè codicum & Bibliothecæ meminit Sanct. Benedictus Reg. c. XLVIII. quam etiam videtur Cellerario committere: nos vnum denominamus, qui illum ab iſta cura ſubleuet, & librorum vniuerſorum curam habeat.

Solatiũ vocatur miniſter.

Quia S. Auguſt. illud, *ſine murmure*, poſuit, quid murmuratio, & quantum eſt peccatum, inquiris. Et ego te amando ad *n.* 1808.

TEXTVS. *Extra horam, qui petierit, non accipiat.*

Omnia, quæ neceſſaria ſunt, horis conuenientibus petenda ſunt.

EST vna linea prudentiſſimè ſcripta, & in Communitatibus magnis maximè neceſſaria. Oeconomus, qui multis debet ſeruire, non habebit horam liberam, vt negotiis, & rebus domeſticis inuigilet, ſi debeat eſſe ſemper paratus, vt ſingulos, cùm volunt, audiat. Hora determinanda omninò, qua conueniri poſſit, & omnia neceſſaria certa hora ſingulis diebus petantur, & qui extrà horam illam aliquid petierit, non accipiat. Conſonat Auguſtino Benedictus Capite XXXI. ait enim, *Horis competentibus* (nempè iam adſignatis) *dentur, quæ danda ſunt, & petantur, quæ petenda ſunt, vt nemo perturbetur, neque contriſtetur in domo Dei.*

Cordis tranquillitati officiunt lites.

TEXTVS. *Lites, aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca & animam faciat homicidam: sic enim legitis, qui odit fratrem suum est homicida.*

LItes nullas habere consulit; sed quia propter hominum improbitatem, quibus cum degimus, hoc est nonnunquam impossibile, suadet, vt si lites habere contigerit, ita tractentur, vt breuiter sententiam habeant. At hoc ipsum in nostra potestate non est, nam videmus non rarò promoueri ad Senatum testudines, & causas vniuersas protrahere, nec velle sententiam proferre, & quia non est in nostra potestate, non præcipitur à sanctissimo Legislatore, sed suadetur, vt quantum possimus res ipsas promoueamus, vt citò simus à difficultatibus liberi.

An illas ad finem perduci in nostrâ potestate sit,

Et quia caput clauditur illis verbis, *Qui odit fratrem suum, homicida est*, tu inquiris, an non differant odisse, & occidisse? Et respondeo, hoc testimonium eodem omninò sensu intelligendum, quod istud, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam est mœchatus in corde suo.* Quoniam sicut concupiscere est mœchari in corde suo, sic etiam odio habere, est in corde suo, occidere. Igitur, qui odit proximum suum, affectiuè homicida est.

An effectus aliquid addat affectui? An sit verum illud Axioma, *De voluntate ad actum nihil datur essentiale?*

CAPVT X.

De venia postulanda, & offensa remittenda.

1973 Qui verbo nocuerit cõfratri, debet veniam petere, & satisfactionem dare.

QVicumque conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læserit, meminerit satisfactione, quàm citiùs curare, quod fecit; & ille, qui læsus est, disceptatione dimittere. Si autem inuicem se læserint, sibi debita relaxare debebunt, propter orationes vestras, quas vtique quantò crebriores habetis, tantò sanctiores habere debetis. Melior est enim, qui quauis sæpè tentetur ira, tamen impetrare festinet, vt sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam, quàm qui tardiùs irascitur, & ad veniam petendam tardiùs inclinatur. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in Monasterio, etiamsi indè non proiiciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite. Quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, vndè facta sunt vulnera. Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coërcendis vos dicere dura verba compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt à vobis subditis, veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui nouit eos, quos plus iusto fortè corripitis, quantâ beneuolentiâ diligatis. Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.

Læsus debet veniam exoratam concedere.

Qui hoc nõ vult facere, religiosus non est.

Superior non debet veniã petere à subdito, etsi in correctione excesserit.

Qualis esse debet dilectio?

COMMENTARIVS.

Maximè necessaria in Monasterio est animorũ concordia.

TOtum hoc sanctæ Regulæ caput pacis conseruationi prospicit, quam magna D. Benedictus industria in cordibus omnium implantat. Et quia reprehensiones, & defensiones magnarum difficultatum sunt causæ, vtrasque priuato Religioso interdixit Regulæ cap. LXXIX. & LXX. (vide *num.* 1727.) & in cap. XVIII. Ordinis viuendi Monasticè, *Non detrahat quis, aut detrahenti consentiat. Pacem inter se seminent Fratres, non discordiam; sæculorum fabulæ longè sint ab eis.* Vide *num.* 17.

De illo, qui petere veniã non vult.

TEXTVS. *Qui autem non vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in Monasterio, etiam si indè non proiiciatur.*

ET Commentario huic erit periodo S. Benedictus Regulæ Capite LXXI. vbi ait, *Si quis autem frater pro quauis minima causa ab Abbate, vel à quoque Priore suo* (hoc est, seniore se) *corripitur quolibet modo* (hoc est, iustè, aut iniustè, regulariter, aut irregulariter) *vel si leuiter senserit* (leuiter sentire, est suspicari, coniectari) *animam prioris* (senioris se) *cuiuscumque contra se iratum, vel commotum, quamuis modicè, mox sine mora tandiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat satisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa commotio. Quod si quis contempserit facere, aut corporali vindictæ subiaceat, at si contumax fuerit* (hoc est, acceptare noluerit pœnitentiam impositam, cuius prima, & præcipua pars sit prosterni ad illius senioris pedes, & misericordiam orare) *de Monasterio expellatur.*

An debeat corripi?

An expelli?

TEXTVS. *Quandò autem necessitas disciplinæ in moribus coërcendis vos dicere dura compellit.*

HIc satisfacit Doctor Diuinus Quæstioni illi, quæ inquirit, Quæ debeat facere Superior, si in modo correctionis excesserit? An à subditis petiturus sit veniam? An debeat Deo dicere *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci*; quæso *vt iustificeris* (in hiphil, iustum esse me facias) *in sermonibus tuis, & vincas* (passiones meas) *cum* iterum (ore meo) *iudicaueris?* Affirmatiuè respondet S. Augustinus,

Quid facere debeat Prælatus, si quãdo ex indiscreto zelo errauit, & in subditorum correctionibus modum non tenuit?

stinus, & rationem adiungit; cui viro summo, & ob illam ipsissimam rationem subscribo, supponendo nimirùm excessum non fuisse ex odio, aut ex maleuolentia, sed ex indiscreto zelo religionis, & honoris Diuini intra terminos veracitatis. Non grauabor tamen referre quid Cistercienses faciant. Sancto die Veneris Abbas in Capitulo se apud suos excusat, si ex indiscretione peccauerit, & vrbano sermone se vniuersos diligere asserit, & intensiùs amaturum promittit, & quia homo, & imperfectionibus etiam obnoxius potuit excessisse in aliquibus, prosternit se in terram, & ab vniuersis veniam petit; adnuunt piæ petitioni Religiosi, se etiam in terram prosternendo. [An possit Prælatus ita in correctionibus excedere, vt & peccet mortaliter, expòsui *n.*1733.1734.]

Cistercienſium Hiſpanorum mos.

CAPVT XI.

De Obedientiâ.

PRæpoſito tanquam patri obediatur: multò magis Presbytero, qui omnium veſtrum curam gerit. Vt ergò cuncta iſta ſeruentur, & ſi quid ſeruatum minùs fuerit, non negligenter prætereatur; Sed vt emendandum, corrigendumque curetur: ad Præpoſitum præcipuè pertinebit, vt ad Presbyterum, cui eſt apud vos maior auctoritas, referat, quod modum, vel vires eius excedit. Ipſe verò, qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente fœlicem. Honore coram vobis prælatus ſit vobis, timore coram Deo ſubſtratus ſit pedibus veſtris. Circa omnes ſeipſum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes. Diſciplinam libens habeat, metuendus imponat; Et quamuis vtrumque ſit neceſſarium, plus tamen à vobis amari appetat, quàm timeri, ſemper cogitans Deo ſe pro vobis redditurum eſſe rationem: vndè vos magis obediendo, non ſolùm veſtri, ſed & ipſius miſeremini, quia inter vos quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo maiori verſatur.

1974 Superiori obediẽdum.

Qualis Superior eſſe debeat?

Qualiter debeat erga ſubditos agere?

COMMENTARIVS.

1975 Cur S. Auguſtinus agat de Obedientia ſub finẽ?

DE obedientia prima, & neceſſariiſſima omnium virtutum, cur S. Auguſtinus ſub finem ſuæ Regulæ diſſerit? Alij aliter, ego diſcurro ſic. Cenſuit diuinus Doctor obedientiam formam virtutum reliquarum, & quia forma eſt vltima, & conſtitutiua perfectio, ſic illam vltimo loco voluit explicare. Non enim bene ſub initium, cùm eò vniuerſa tetenderint, vt benè obedire diſcamus, vt operemur regulariter, & nobis humilis obedientia ſit finis.

De Præpoſito & Presbytero.

TEXTVS. *Præpoſito tanquam Patri obediatur, multò magis Preſbytero, qui omnium veſtrum curam gerit.* Ac ſi diceret: Obediatur Præpoſito, aut Priori, at maioris omninò fiant Prouincialis Imperia, & ſupra inferiorum omnium Prælatorum mandata voluntas Generalis. Non vrgeo textus voces, rem teneo.

De prærogatiuis Antiſtitis.

Qualitates Superioris enumerat fœlici calamo, & ſingulas Capiti II. Benedictinæ Regulæ correſpondentes.

De promptitudine Obedientiæ.

De obedientia agit Sanct. Benedictus ſuæ Regulæ Capite V. LXVIII. LXXI. & Capite VII. in ferè omnibus grauibus humilitatis. An Religioſus teneatur obedire ſuo Prælato ſecundùm Regulam ad litteram, & rigore ſumptam, expoſui *à num.*624. & addidi tractatum copioſum de obedientia *à num.*690. *ad* 851. & quia ſolemnis obedientiæ obligatio Auguſtinianis & Benedictinis eſt communis, non occurrit quid debeat, aut poſſit addi in particulari,

CAPVT XII.

De iugi Regulæ meditatione.

1976 Quomodo obſeruari debeat Regula? Hæc Regula debet ſemel in hebdomade legi. Et cur?

DOnet Dominus, vt obſeruetis hæc omnia, tanquam ſpiritualis pulchritudinis amatores, & bono Chriſti odore de bona conuerſione fragrantes: non ſicut ſerui ſub lege, ſed ſicui liberi ſub gratia conſtituti. Vt autem in hoc libello tanquam in ſpeculo poſſitis inſpicere, ne per obliuionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea, quæ ſcripta ſunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Vbi autem ſibi quicumque veſtrum viderit aliquid deeſſe, doleat de præterito, cauteat de futuro, orans, vt ſibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.

COMMENTARIVS.

1977 An legenda sint quotidie bina capita?

OBliuioni mandari non poterit hæc Regula, si singulis septimanis legatur. An tota simul? an singulis diebus duo capita? Hoc vltimum videtur conuenientius; nam, & Benedictini sic faciunt, qui singulis diebus in conuentuali Capitulo vnum Regulæ Caput legunt, & exponunt.

Cur Regula vocetur *speculum*?

Meritò à Diuino Doctore hæc Regula vocatur *speculum*, nam in ea siquis quotidie actiones suas examinet, quid perficere, & quid corrigere debeat, cognoscet.

Qui sub S. Augustini Regula viuũt, non pollicentur illã seruare.

Hanc Regulam nulli, quod sciam se seruaturos pollicentur; si facerent, tenerentur grauiter ad singula grauia, leuiter ad leuia, & hoc antè præceptum Superioris: at ipsi promittunt Obedientiam secundum istam Regulam, adeoque ipsi ad suam, non aliter tenentur, quàm nos Cistercienses ad nostram; cohærent enim formulæ Professionis, & consentiunt Interpretes. Benedictinus sic. *Ego Frater N. promitto stabilitatem meam, conuersionem morum meorum, & Obedientiam secundum Regulam S. Benedicti, &c.* Et similiter apud Patres eremitas Augustinianos. *Ego Frater N facio Professionem, & promitto Obedientiam Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, & tibi Generali Priori Fratrum eremitarum Ordinis S. Augustini, & Successoribus tuis; viuere sine proprio, & in Castitate secundum Regulam S. Augustini, vsque ad mortem.* Sic habetur Cap. XVIII. Constitutionum eorumdem Patrum, quæ sub finem asseruntur confirmatæ in Capitulo Generali celebrato in Vrbe-veteri anno Domini 1287. & Florentiæ anno 1288. & Ratisponæ anno 1279.

Benedictinorum & Augustianorum formulę professionis conferuntur.

Sed, vt hanc ipse Professionem intelligas, inquiris: Quæ-nam illa Obedientia sit, quæ ab Augustinianis Beatissimæ Dei Genitrici promittitur? Nihil ipsa vnquam, quod canonicè sciamus, præcepit, nihil præceptura; frustrà igitur illi Obedientia promittitur.

Quid sit promittere obedientiam B. Virgini?

Respondeo tamen, illa verba, *Promitto Obedientiam Beatæ Virgini*, esse æquiuoca; & posse bifariam exponi; nam vel posset dici illa verba æquialere his, *Ego polliceor, quòd obediam Beatæ Virgini*, vel his, *Ego polliceor B. Virgini, quòd obediam Generali, &c.* & teneo secundo esse sensu accipienda, non primo.

An Religiosus teneretur votis, si à mortuis resurgeret?

Legis illud *vsque ad mortem*, & inquiris, An, si aliquis Religiosus ex defunctis miraculosè resurgeret, esset votis obstrictus? An verò ita liber, vt ducere posset vxorem.

Pro libertate stat apud Augustinianos formula Professionis, quæ enim vsque ad mortem promissa, non debent vltra mortem seruari. At credo subtiliorem hanc ipsam expositionem, quàm solidiorem esse, & implicitam profitentis voluntatem non esse ducendi vxorem, si à mortuis miraculosè resurgeret, quod ipsum egeret examine. Quod, si ille Religiosus

An Sacerdos rebaptizari, & iterum ordinari deberet?

etiam esset Sacerdos, esset nouæ disputationis occasio, quoniam Ecclesia votum illud implicitum coniungi Sacerdotio voluit, & ille excitatus à mortuis non deberet baptizari secundò, nec iterum sacris initiari. Omnia sunt difficilia; non tamen hæreo, nullus enim sacerdos resurrexit à mortuis, cuius interfit, vt in huius dubij decisione tempus aliàs necessarium teramus.

Vide superius n. 1901.

THEOLOGIÆ REGVLARIS

PARS SEXTA.

COMMENTARIVS IN REGVLAM S. FRANCISCI.

Multi sunt Franciscani Ordines, nec omnes sub eadem disciplina. Puram enim Regulam tenent Fratres Minores, Capucini, & ferè omnes alij, si Conuentuales excipias, qui ex Priuilegio Pontificio aliqua mitiùs interpretantur. Fratres de Pœnitentia, quos Tertiarios dicimus, in agentes vitam communem, & etiam specialem, priuatim diuiduntur, & vtrique sanctissimè viuunt, & habent Regulam, vt n. 2000. & 2045. videbimus.

THEOLOGIÆ REGULARIS COMMENTARIVS IN REGVLAM S. FRANCISCI

ILLVSTRISS. ET REVEREND. D.D.

PETRO VARAIS

SENATORI ET CONSILIARIO REGIO, &c.

DOMINO, CONDISCIPVLO, AMICO, &c.

Reuerentiam & Laudes.

Ad Empyreum;

1978 An Deum silentium laudet?

SVMPSIT Psalterium Dauid, & postquam magnâ fide & spe cecinerat sexaginta aut plura Panegyrica, vt Charitatis incendia quibus æstuat, Cœlestia celebrando aperiat, attemperat fidibus digitos: dubitat tamen, Tacendo-ne, an cantando digniùs laudaturus sit Deum exclamat?

לך דמיה תהלה אלהים בציון

Leka dumia Thehila Elohim be-sino

Te spectat laus Deus in Sion.

Tibi silentium, vel conquiescentia, &c.

Σοὶ πρέπει ὕμνος ὁ θεὸς ἐν Σιών.

Te decet hymnus Deus in Sion.

דמיה *Dumia* quid significet?

Et explicans vocem דמים *Dumia* Vatablus. [*Tibi silet, vel tacita est,* &c. quod est dicere, *Tanta sunt Opera tua, vt te nemo dignè laudare possit*: quidam, *Tibi silentium est laus in Sion.* id est, *Quod alibi siletur, hoc laudatur in Sion: cumque alibi in toto orbe terrarum sit perpetuum silentium, laudes tamen tuæ exaudiuntur in Sion.* Alij. *Tibi silens est,* id est, *te manet & exspectat laus in Sion*: id est, *Tu ita munificus es in tuos, vt nouam quotidie illis materiam laudis suppedites.*]

Qualis & quantus fuerit etiâ puer?

Hoc ego conceptu præuentus (Illustrissime Petre) dum te celebrare desidero, dubito omninò, silendo-ne an loquendo possim consequi, quod desidero, & tuum nomen immortale meretur. Volebam à pueritiâ incipere & recensere lauros, quas in arenâ literariâ obtinuisti; triumphos, quos reportasti; gloriam, quam fuisti in tenerâ ætate promeritus: sed inopem me copia facit, & quia omnibus dignè celebrandis non sufficeret liber, singula tacendo dilaudo, & ad paginam breuem reduco: quoniam, si labio & calamo præscribat sinceritas,

La gloria, que alcançaste en edad tierna,
Digna de fama eterna,
(Hablo como testigo)
Caber no puedo en quanto yo no digo.

Qualis, & quantus Vir?

Creuit ætas, & ex Vniuersitate ad Regia Consistoria promotus, Deo & Regi tantâ integritate seruiuisti, vt vbi multi thesauros opulentos adquirunt, à summâ fueris paupertate laudatus. Vniuersalis illa incriminatio, *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones; pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos*, te non tangit: nam fuisti pater pupillorum, viduarum fautor, & extorsionum innocens. Prostat in Areopago Imago Senatoris ἀχειρὸς: & te ille Apelles depinxit, cùm Iudicem integerrimum voluit. Multas habuisti manus, vt innocentes traductos per inuidiam defenderes; multas, vt nocentes supprimeres; vt autem reciperes munera, flauissas augeres, & familiam ditares, fuisti ἀχειρὸς, manuum exsors. Aut fallor, aut Genium tuum speculabatur Horatius 4. *Carm.* cùm senatorem Iustum æquumque his coloribus pinxit.

Esaiæ. 1. Athenienses pinxerunt Senatorem ἀχειρᾶ, *sine manibus;*

Vindex auaræ fraudis, & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ,
Consulque non vnius anni;

Sed

Sed quoties bonus atque fidus
Iudex honeſtum præſtulit vtili, &
Reiecit alto dona nò centium
Vultu, per obſtantes cateruas, &c.

Singula verba recognoſco, & cùm Ideam ab Horatio deſcriptam mente exprimo, te ob oculos habere videor.

1979 Cur hi Cõmentarij D. Petro dedicentur.

Vt igitur & Amoris mei, & integritatis tuæ habeat publicum teſtimonium Poſteritas, hunc in Regulam S. Franciſci Commentarium Nominis tui Memoriæ conſecro; nulli enim digniùs vitæ Regulam, quæ in ſummâ Paupertate conſiſtit, aut potuit aut debuit nuncupari, quàm Miniſtro pauperrimo: quoniam voluntaria Paupertas eſt gloriæ & famæ Cydaris, quæ Iudicum redimit Integritatem.

Cur ſilentio colatur.

Et hîc, ne hoc meum ſilentium loquax potiùs iudicetur quàm eloquens, ſicut Principem de Eſquilache Marchio Alenquerius, & Lupus de Vega celebrarunt, ad Taciturnitatem confugiam, dicamque,

Lupus de Vega *in Laurea Apollinis, Sylua VI. pag. 51. b.*

El Marques de Alenquer honrarte puede,
Quando tierno y ſuaue
A ſi miſmo ſe excede,
Diziendo à quien tan alto loor merece;
Alabeos el callar, que no enmudece,
Y aſſí lo miſmo en tu alabanza ofrezco,
Pues callando te alabo, y no enmudezco,
Que quando en tu alabanza hablar quiſiera;
Mas mudo, que callado pareciera.

Præcipuæ D. Varaiſij virtutes.

Silendo igitur (Illuſtriſſime Domine) celebro Virtutes Tuas (Pietatem, Integritatem, Vigilantiam) nec enim eſt neceſſaria mea vox, quando Pupilli, Viduæ, & Pauperes, ſemper à Te protecti, Pietati Tuæ & lachrymas litant & laudes: quando Parthenopæa Nobilitas parentat Integritati Tuæ, Heroicaſque Tui pectoris prærogatiuas dilaudat & celebrat, etiam poſt facta: quando Catholicus Hiſpaniarum Rex, Te de Italiâ optimè meritum fuiſſe fatetur, domum Tuam Auguſtâ dignatione ſub ſuum præſidium recipit, & iam de facto oſtendit Regium erga Miniſtros ſuos Amorem, non ſpeculatiuum tantùm eſſe, ſed practicum. Interim, qui apud homines ſileo; ad Deum conuertens oculos, Miſericordiæ Omnipotenti commendem Tuos iuſtiſſimos Manes. Clamabo igitur. At ſilere ſtatueram. Ne in re tantâ decipiar, conſulam Auguſtinum. *Cùm oras*, inquit, *clama.* Sed quomodo? *non voce, ſed mente; nam & tacentes exaudit Deus.* Et iterum. *Multum opus, Deum, quem precamur, diuturnâ & piâ cordis citatione pulſare: nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, quàm ſermonibus agitur; plus fletu, quam affatu.* Clamo igitur mente & animo; & inter lachrymas, Cœlitum ſuffragia interpono apud Numen, infinitam ſuam Clementiam exorans, vt ſiquidem pro Iuſtitiâ contra ſcelera ſtrenuè dimicaſti, dum viueres, in Empyreum euecti Tui Manes requieſcant in pace.

Regis erga miniſtros ſuos dignatio.

Auguſtinus in ſerm.

Nempa ad Dioſc. N. B. *Manes* non à manêdo, ſed à manando dictos probat primæ ſyllabæ quãtitas, hîc pro intellectu & voluntate ab animâ manã. ibus ſumũr.

INDEX

1980 BVLLA Domini Papæ Honorij super Regulam Fratrum Minorum. *Viuente adhuc Viro Seraphico, Regula approbatur & confirmatur. Cassinensium, & Lateranensium lis. Aliarum Regularium approbatio.* 1981.

CAPVT I. De fundamentalibus obligationibus. *An omnia Franciscanorum peccata à peccatis aliorum Religiosorum distinguantur specie?* 1982.

CAPVT II. De his, qui volunt vitam istam accipere, & qualiter recipi debeant. *Nouitij à Prouincialibus debent examinari. Debet inquiri de eorumdem & suorum Parentum moribus. An Minoritæ ad Religionem aliam transire possint? Quæ sit inter eas perfectissima?* 1983.

CAPVT III. De diuino officio & ieiunio: & quomodo fratres debeant ire per mundum. *An Franciscani teneantnr grauiter ad rubricas Breuiarij Romani? An teneantur ad horas canonicas antequam ad maiores ordines promoueantur? An ad easdem teneantur conuersi vel laici? An ad ordinis ieiunia teneantur sub mortali? An die Natalis Domini, si in feriam sextam incidat, possint carnes comedere? An eadem festiuitate, si incideret in Sabbatum? An excusentur à ieiunio tempore necessitatis dubiæ aut probabilis? An equitare possint? An sit conformius Euangelio ex omnibus cibis comedere, quàm abstinendo à carnibus hospites, ad quos diuertere solemus, vexare?* 1984.

CAPVT IV. Quod fratres non recipiant pecuniam. *Nec posse illam recipere physice nec moraliter?* 1985.

CAPVT V. De modo laborandi. *Quid Deo sit gratius, laborare manibus an eleemosynas à ditioribus petere?* 1986.

CAPVT VI. Quod fratres nihil sibi approprient; & de eleemosyna petenda: & de fratribus infirmis. *Citationes aliquæ circa paupertatis materiam.* 1987.

CAPVT VII. De pœnitentia fratribus imponenda. *Distinctio fori interioris & exterioris. An in illo superior non sacerdos possit peccata reseruare?* 1988.

CAPVT VIII. De electione Generalis Ministri huius Fraternitatis: & de Capitulo Pentecostes. *Pontifex dicitur, seruus seruorum Dei: Minoritarum Generalis, seruus totius fraternitatis.* 1989. *An in creatione Generalis Ministri possit dignus anteponi digniori?* 1989.

CAPVT IX. De Prædicatoribus. *Confertur cum Priuilegij littera.* 1990.

CAPVT X. De admonitione & correctione fratrum. *An teneatur Minorita obedire in materia dubiè aut probabiliter peccaminosa?* 1991.

CAPVT XI. Quod fratres non ingrediantur monasteria Monacharum. *Aliquid de clausura Monialium.* 1992.

CAPVT XII. De euntibus inter Saracenos & alios infideles, & de Protectore Cardinale. *Qualitates requisitæ, vt aliquis ad infidelium partes transmitti possit. De dedicationibus librorum. An ordines deferi soleant à Protectoribus? Verus Protector Deus, Virgo-Mater, Cœlites tutelares.* 1993.

CONFIRMATIO Regulæ S. Francisci. 1994.

TESTAMENTVM S. Francisci. 1995.

SVMMARIVM Præceptorum 1997.

VERBA S. Francisci exhortatoria. 1998.

FORMA Professionis. 1199.

D. FRANCISCI REGVLA.

Hũc Honorium vocat Tertiũ Acacuis *tom. 2. verb. Religiosas. ref. 373. num. 2.*

NICOLAVS III. [*in notâ marginali ad Clementinam, exiui* dicitur fuisse; non iam Tertius, sed Quartus] S. Francisci Ordinem celebrat & honorat his verbis, *Hæc est*, inquit, *apud Deum & Patrem munda & immaculata Religio, quæ descendens à Patre luminum, per eius filium exemplariter & verbaliter Apostolis tradita, & inde per Spiritum sanctum Beato Francisco cum sequentibus inspirata*, &c. Vide P. Acacium March. de Velasc. *tom. 2. verb. Religiosas. ref. 273. pag. 677. num. 1.*

BVLLA

Domini Papæ HONORII IV. ſuper Regulam Fratrum Minorum.

1981 Pleræque omnes Regulæ Religionũ multis annis poſt mortem Legiſlatorum approbãtur, & confirmãtur: ſed S. Franciſcus ſpeciali fauore ſuam vidit Regulam à Sede Apoſtolicâ approbari & poſteà confirmari.

HONORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis Filiis, Fratri Franciſco, & aliis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apoſtolica piis votis & honeſtis petentium deſideriis fauorem beneuolum impartiri. Ea propter dilecti in Domino Filij, veſtris piis precibus inclinati, Ordinis veſtri Regulam à bonæ memoriæ Innocentio Papa prædeceſſore noſtro approbatam, annotatam præſentibus, auctoritate vobis Apoſtolica confirmamus, & præſentis Scripti patrocinio communimus, quæ talis eſt.

Accidit huius Latori Regulæ, Viro Seraphico, quod vix alij Patriarchæ legitur euenisſe: multis enim poſt mortem S. Benedicti annis noſtra Regula fuit approbata à Gregorio Pontifice Maximo, & viſa fuit Caſſinenſibus & Benedictinis aliis ante Baſilianam & Auguſtinianam approbata; illis enim hodie non deferimus, & in Tridentino Concilio ad concordiam deducta fuit lis decrepita, & centenaria maior, quæ crudè acta inter Benedictinos & Canonicos Lateranenſes Ordinis S. Auguſt. Sed de hoc vberiùs in mea *de præcedentia LIBRA*.

S. Baſilius S. Benedicti antiquior eſt: & tamen Benedictini Baſilianos præcedunt, quòd illorũ Regula multis annis antè Baſilianam fuerit à Sede Apoſtolicâ approbata: quoniam ante approbationem non eſt infallibilis Regula.

Noto obiter S. Franciſci Regulam non approbari ab Honorio, ſed confirmari, quoniam approbatam antea ab Innocentio prædeceſſore ſuo, oſtendunt Ordinis Annales, & Honorius clariſſimis verbis ſupponit.

CAPVT I.

De Fundamentalibus obligationibus.

1982 An Franciſcani obedientiã Summo Põtifici promittant? An etiã promittant Generali?

REgula & Vita Minorum Fratrum hæc eſt: ſcilicet Domini noſtri Ieſu Chriſti Sanctum Euangelium obſeruare, viuendo *in Obedientia, ſine proprio & in Caſtitate*. Frater Franciſcus promittit obedientiam & reuerentiã Domino Papæ Honorio, ac Succeſſoribus eius canonicè intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ. Et alij Fratres teneantur Fratri Franciſco, & eius Succeſſoribus obedire.

COMMENTARIVS.

Dubiũ Procœmiale, de de ſpecificatione peccatorum.

Legis & dubitas, *An omnia peccata Franciſcanorum differant ſpecie ab aliorum Religioſorum, aut etiam ſæcularium peccatis*? Verbi gratia. *An Franciſcanus, Benedictinus & Sacularis, ſi non communi ſed æquali conſilio, vna die occiderent hominem, altera blaſphemarent, tertia Miſſam indictam ab Eccleſia omitterent, committerent peccata æqualia*; & ſi non, *An ſaltem homicidium ab vno commiſſum eſſet eiuſdem ſpeciei cum homicidio commiſſo ab alio: Vtrùm etiam differret ſpecie, & blaphemia à blaſphemia, & ab omiſſione miſſæ omiſſio*?

Quãdo plures communi conſilio ad peccatũ cõcurrunt, vtriuſque cõmunicantur circũſtantiæ.

Reſpondeo *primò* prudenter te conſilium commune ab æquali diſtinguere; quoniam peccatum quod committitur à duobus communi conſilio habet circumſtantias vtriuſque in vtroque. Pono exemplum. Si ſacerdos & vxorata cedunt carnis tentationi, ille ſoluta vtatur & hæc ſe proſtituat ſoluto, nec adulterium ſacrilegio inficietur, nec contra. At ſi communi conſilio ſe miſceant, Sacerdos committet ſacrilegium adulterum, fœmina adulterium ſacrilegum, & fornicatio illa communi conſilio commiſſa erit adulterа & ſacrilega; & vterque in confeſſione vtramque circumſtantiam debebit explicare.

Religioſi grauiùs quã ſæculares peccant.

Secundò dico cæteris paribus grauiùs ſolere peccare Religioſos quàm ſæculares, etiam ſi intra eamdem ſpeciem; & præcipuè, ſi detur ſcandalum; nemo enim dubitat, magis & periculoſiùs ſcandalizari ſæculares Religioſorum peccatis, quàm militum. Accedit, quod peccata eo ſunt grauiora, quò magis libera, quò facilius potuerint euitari; & quia faciliùs poteſt Religioſus ſeruare Decalogum quàm ſæcularis, ideò illum violando cenſetur culpabilior.

An hæc grauioritas ſpeciem mutare ſoleat.

Tertiò exiſtimo homicidium commiſſum à ſæculari & Benedictino, cæteris paribus eſſe eiuſdem ſpeciei; quoniam vterque tenetur ſolo quinto præcepto Decalogi. Conſultò illud, *cæteris paribus* adiunxi; quoniam, ſi Sæcularis ſuum occideret patrem, Religioſus ſuum inimicum, ſpecie differrent; & Religioſus ſimplex homicidium commiſiſſet, Sæcularis verò parricida eſſet, reus violati quarti & quinti præcepti. Idem de blaſphemia & Miſſæ omiſſione dixero; non enim voto, iuramento, aut Regula tenetur Benedictinus Religioſus audire Miſſam diebus feſtis, à blaſphemiis & homicidiis abſtinere; ſed ſolo tenetur Decalogo hominibus vniuerſis communi.

Quartò dico videri omnino omnia Patrum Franciſca

An PP. Frãciſcanorum peccata ſint alterius ordinis aut ſpeciei, quàm peccata Religioſorum cæterorum.

Franciſcanorum peccata eſſe alius ſpeciei; hoc eſt, præter malitiam proprij generis habere ſacrilegij & voti violati circumſtantiam. Vita enim & regula Minorum Fratrum eſt Domini noſtri Euangelium, hoc eſt, diuina præcepta ſeruare; & tamen ipſi diſſertis verbis Regulam obſeruare promittunt, vt conſtat ex profeſſionis formula quæ talis eſt, *Ego Frater N. voueo & promitto Deo ..... ſeruare Regulam, &c.* Quod nomine Euangelij intelligenda ſint diuina præcepta conſtat ex Franciſcanis Confraternitatibus, in quibus clariora huius expoſitionis argumenta reperio. Inter Tertiarios, qui agunt vitam communem formula Profeſſionis proponitur ſuæ Regulæ Capite II. *Promittat*, dicitur, *ſeruare mandata Dei, ac ſatisfacturum de tranſgreſſionibus quas facere poſſet* (continget) *in futurum contra hanc tertiam Regulam.* Et Regulæ illorum, qui in ſuis domibus habitant, Caput etiam ſecundùm ſimilia promittenda diſponit. Lego enim. *Promittat ſe diuina præcepta omnino ſeruaturum; ac etiam ſatisfacturum, vt conuenit, de tranſgreſſionibus.* Quæ clauſulæ tametſi Tertiarios ſolùm obligent pœnaliter aut venialiter, videntur Religioſos Minores grauiter obligare.

Sententia aſſerens.

Tertiarij Decalogum ſeruare promittunt.

Sententia negans.

Contra hanc reſolutionem ſtare poſſet benignior expoſitio; nimirùm, ſi diceretur *Euangelij* nomine non præcepta Euangelica, ſed conſilia in hac prima Regulæ periodo debere intelligi, & hoc conſtare ex illo gerundio *viuendo*, quod exprimit modum quo debet Euangelium ſeruari: & poſteà ex conſiliis non omnia, ſed illa, quæ in Regula expreſsè includuntur. Si hæc expoſitio obtineat, ad Decalogum Patres Minores tenebuntur vt alij Religioſi. Sed hanc ipſam expoſitionem videntur elidere formulæ, quibus vti ſolent Tertiarij, quæ fortè debuiſſent mitioribus verbis concipi, quam Minoritarum Profeſſio.

Hæc dixero, propoſuero, ſuggeſſero, nil definio; quæſtionem in medium poſui, indeciſam relinquo: non enim augere obligationes volo obligationibus grauato, nec irrationabiliter minuere; ſuadeo tamen, vt quamdiu clariora motiua non occurrant, nullus mutet præconceptam ſententiam: abundare enim in proprio ſenſu eſt licitum, vbi contrarium non poteſt demonſtrari. Interim moneo, Apoſtolicam ſedem, vt Religioſos anxios conſolaretur, ſenſum Grammaticum minimè reſpiciendo, ita locum expoſuiſſe, vt non alia præcepta & conſilia voueri à Patribus Franciſcanis voluerit, quàm quæ in Regulâ expreſsè clauduntur. Sed de hoc vberiùs in quâdam Epiſtolâ in huius tomi fine.

Hanc Quæſtionem ſecundo calamo tractabo inferiùs à *num.* .

De ſubſtantialium virtutum principatu diſputauere nonnulli, & in varias abiêre ſententias, & quia meam ſancti fuiſſe Franciſci reperio, mihi iam magis placet. Omnibus ego Obedientiam præpoſui, in vltimo loco Caſtitatem conſtitui, & Paupertatem interponendam credidi ſuperiùs Libro VIII. à *num.* 673. & conſono Seraphici Legiſlatoris menti, & huius Regulæ Capiti I. in quo præcipitur *Sanctum Euangelium obſeruare, viuendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate.* In eodem virtutes eſſentiales digeruntur ordine, quo à me expoſitæ ſunt.

Quo ordine ſubſtantiales virtutes ſint collocandæ?

Multa circa ſingularum obſeruantiam occurrerent, ſed quoniam libro illo octauo omnia ſunt reſoluta, non eſt cur diutiùs in huius Capitis illuſtratione maneamus.

CAPVT II.

De his, qui volunt vitam iſtam accipere, & qualiter recipi debeant.

1983

Quinã poſſint acceptare Nouitios.

Hi debent doctrinam Chriſtianam ſcire & credere.

Carere vxoribus vel habere licentiã iuxta Canones.

Bona in monaſteriũ non important: quo modo debeant de illis diſponere?

Præbet illis veſtes regulares Communitas.

Profitentur poſt annum. Sed quid? Sed quamdiu?

SI qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad Fratres noſtros, mittant eos ad ſuos Miniſtros Prouinciales, quibus ſolummodo, & non aliis, recipiendi Fratres licentia conceditur. Miniſtri vero diligenter examinent eos de Fide Catholica & Eccleſiaſticis Sacramentis: &, ſi hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & vſque in finem firmiter obſeruare: & vxores non habent; vel ſi habent, & iam Monaſterium intrauerint vxores; vel licentiam eis dederint, auctoritate Diœceſani Epiſcopi, voto Continentiæ iam emiſſo: & illius ætatis ſint vxores, quòd de eis non poſſit oriri ſuſpicio: dicant eis verbũ ſancti Euangelij, quod vadant & vendant omnia ſua, & ea ſtudeant pauperibus erogare. Quod, ſi facere non potuerint, ſufficit eis bona voluntas. Et caueant Fratres & eorũ Miniſtri, ne ſoliciti ſint de rebus ſuis temporalibus, & vt liberè faciant de rebus ſuis, quidquid Dominus inſpirauerit eis: ſi tamen conſilium requiratur, licentiã habeãt Miniſtri mittendi eos ad aliquos Deum timẽtes, quorum cõſilio bona ſua pauperibus erogẽtur. Poſteà cõcedant eis pannos probationis, videlicet, duas tunicas ſine capucio, & cingulum, & braccas, & caparonẽ vſq; ad cingulũ (niſi eiſdẽ Miniſtris aliud ſecundũ Deũ aliquãdo videatur.) Finito verò anno probationis, recipiãtur ad Obediẽtiã, promittentes vitam iſtã sẽper & Regulã obſeruare. Et nullo modo licebit eis de iſta religione exire,

iuxta mandatũ Domini Papæ: quia ſecundum ſanctum Euangelium, *Nemo mittens manũ ad aratrũ, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Et illi, qui iam promiſerunt Obedientiã, habeant vnã tunicã cum capucio, & aliam ſine capucio qui voluerint habere. Et qui neceſſitate coguntur, poſſint portare calceamenta. Et Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur. Et poſſint ea repeciare de ſaccis, & aliis, peciis, cum benedictione Dei. Quos moneo & exhortor, ne deſpiciant neque iudicent homines, quos viderint mollibus veſtimentis & coloratis indutos, vt cibis, & potibus delicatis: ſed magis vnuſquiſque iudicet & deſpiciat ſemetipſum.

Qualibus veſtibus indui debeant?

COMMENTARIVS.

Præſtet-ne Nouitios, nõ à Guardianis, ſed à Prouinciale ſolo admitti?

Modus ille Nouitios recipiendi optimus eſt. *Si qui voluerint hanc vitam accipere*, ait Seraphicus Pater, *mittant eos ad Miniſtros Prouinciales, quibus ſolummodo & non aliis recipiendi fratres licentia concedatur.* Sæpè enim contingit nimium prolium habendarum amorem Superiores Conuentuales decipere adeoque melius hoc nouitios examinandi & recipiendi munus poſſunt obire Prouinciales.

Cur debeant in doctrinâ Chriſtianâ examinari?

Diligenter examinent eos, addit Pater ſanctiſſimus, *de fide catholica*, & videretur omnino hoc examen ſuperfluum, qui enim ſincerè apud Minoritas deſiderat regulariter viuere, catholicus omninò erit, & de Eccleſia, Sacramentis & Fidei articulis ſentiet orthodoxè. & qui fictè, ſciet mentiri, & etiam vbi hæreticus eſt, ſinceritatem ſimulare. Sed hac non obſtante ratione Marquez Abulenſis Epiſcopus, me docuit non inutiliter Ordinum candidatos in fide Chriſtiana examinari; non quod eſſe heterodoxos præſumamus, ſed quod malè educatos & inſtructionis indigos. Examinabat omnes promouendos ad Ordines Illuſtriſſimus Senex in catechiſmo & orationibus, nec patiebatur aliquem initiari, qui neſciret præter orationes communes, aliquas ſpeciales, quibus Cuſtodem Angelum, & tutelares Cælites imploraret.

An inquiri etiam debeat, an ex catholicis prognati ſint?

Hiſpani Ciſtercienſes præcipuè, & eorum ritu alij, mittunt vnum Religioſum expenſis Monaſterij ad locum natiuitatis, & habitationis, diſcuſſurus mores, & vitam Nouitij, & Prædeceſſorum illius; an ſcilicet, aliquis ex ipſius maioribus notatus aut damnatus fuerit in fidei orthodoxæ materia. Videtur enim impoſſibile quod mala arbos bonos fructus emittat, quod à Chriſto prædictum carmine expreſſum à quodam Chriſtiano Poeta, placuit adiungere.

Adagium illud, *Qualis Pater talis Filius*, veriſſimum eſt.

Nulla columbino de ſemine naſcitur ales
Prædatrix, taurum nulla creauit ouis.
Accipiter nullus legitur genuiſſe columbam,
Decîdit nullo tempore taurus ouem.
Gnatorum mores referunt exempla parẽtum,
Hæres virtutis filius eſſe ſolet.
A Ioue perdocto nata eſt perdocta Minerua,
Cantorem genuit cantor Apollo Linum.

Infidelium filij ſæpè ad parentum errores redeũt.

Prodeſt quidẽ ad mores maiorum recurrere; experientia enim docet ſolere ſingulos in parentum ſuorum religione libentiſſimè viuere, & ſi fauore Dei ad noſtram conuertantur, ſæpiſſimè ad priorem reuerti: in qua materia tot leguntur exempla, vt non ſit opus diutiùs immorari.

An Franciſcani poſſint ad aliam Religionem tranſire?

INQVIRIS, An ex Minoritarum Religione ad aliam pateat tranſitus? *Reſpondeo* in Regula non interdici tranſitum ad ſanctiorem; illa .n. authoritas. *Nemo mittens manum ad aratrum & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*, non vrget aut concernit illos, qui ſanctioris vitæ deſiderio ad aliam trãſeunt Religionẽ, non enim retrò reſpicit, qui in chariſmata meliora collineat. Suadendum tamen vnicuique vt in vocatione ſua maneat, & ne certa pro incertis relinquat, nec ſibi iudicium adſumat; quoniam odioſa eſt hæc materia, nec omninò mortali homini deciſio poſſibilis, vbi inquiritur. *Quænam ſit omnium ſanctiſſima Religio?* Seſe mutuò illæ excedunt, exceduntur; & quæ magis Deo placeat aut ſeruiat, ipſe ſcit. Nos in dubio benignas iudicamus ſuſpectas, non ſuſpicione quæ ipſaſmet, ſed quæ tranſituros afficiat, videtur enim veroſimile eum, qui ad benigniorem tranſit, non tam Deum quam commoditatem inquirere.

Quænã Religio ſit Deo gratior?

CAPVT III.

De Diuino officio & ieiunio, & quomodo Fratres debeant ire per mundum.

1984 De Officio Diuino.

CLerici faciant diuinum Officium ſecundum Ordinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, excepto Pſalterio, ex quo habere poterunt Breuiaria. Laici verò dicant viginti quatuor Pater noſter, pro laudibus quinque: pro Prima, Tertia, Sexta, & Nona, pro qualibet iſtarum Horarum ſeptem, pro Veſperis autem duodecim: pro Completorio ſeptem, & orent pro Defunctis. Et ieiunent à Feſto omnium Sanctorum vſque ad Natiuitatem Domini. Sanctam verò Quadrageſimam, quæ incipit ab Epiphania vſque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus ſuo ſancto ieiunio conſecrauit, qui voluntariè eam ieiunant, benedicti ſint à Domino: & qui nolunt, non ſint adſtricti, ſed aliam

De ieiunio aduentûs. De Quadrageſima benedictâ.

vſque

vsque ad resurrectionem Domini ieiunent. Aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta Feria ieiunare. Tempore verò manifestæ necessitatis, non teneantur Fratres ieiunio corporali. Consulto verò, moneo & exhortor Fratres meos in Domino Iesu Christo, vt quando vadant per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent, sed sint mites, pacifici, modesti, mansueti, & humiles, honestè loquentes omnibus sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intrauerint, primum dicant: *Pax huic domui* Et secundum Sanctum Euangelium, de omnibus cibis quæ apponuntur eis, liceat manducare.

De Quadragesimâ Ecclesiasticâ.

De iter agẽtium modestiâ.

An equitare possint?

COMMENTARIVS.

Optimè ieiunium & oratio cohærent.

COhærent optimè ieiunium, & oratio; illa etiam Diuinus Doctor Cap. III. suæ Regulæ, & S. Bened. Cap. IL. agens de obseruatione Quadragesimæ, suadet extraordinaria ieiunia, non tamen sine extraordinaria oratione. *Orationes peculiares, ait, ciborum, & potus abstinentiam ... offerat.* Et post pauca, *Hoc ipsum, quod vnusquisque offert, Abbati suo suggerat, & cum eius fiat oratione, & voluntate.*

De mutatione Diuini Officij. An die festo pos. sit de feria legi: aut contrà?

LEGIS in prima omnium linea, *Clerici faciant diuinum Officium secundum Ordinem Sanct. Romanæ Ecclesiæ.* Et inquiris; *An Patres Minoritæ iure Regulæ teneantur seruare rubricas Romani Breuiarij, nec possint legere de Sancto die feriali, nec festiuo de feriali* & si tenentur, *An peccaturus sit mortaliter Minorita, qui mutet Officium diuinum?*

Respondeo teneri Minoritas legere iure Regulæ, teneri iure Ordinum, si ad eos prouecti, adeoque Officium mutare non posse. *Addo* Sacerdotem sæcularem, qui lecturus de festo, de feria legeret, iuxta probabilem sententiam, peccaturum mortaliter, & venialiter iuxtà probabiliorem. Vide quæ *à n* 1399. sunt dicta, nec aliter de Minoritis quoad Officij mutationem, quàm de sacerdotibus sæcularibus philosopheris. Nam vel potest Sacerdos sæcularis mutare Officium sine mortali, vel non potest. Si secundum, nec Minorita poterit, qui duplici lege tenetur. Si potest, etiam poterit Minorita: & ratio est, quia si sæcularis Sacerdos mutando Officium peccat venialiter, ideò non peccat mortaliter, quia mutatio vnius Officij in aliud est materia parua, atqui in materia parua sicut nec Ecclesia, ita nec Regula potest aliquem sub mortali obligare: ergò Minorita, qui leget de feria cum de Sancto deberet, aut contrà, non peccabit mortaliter.

An PP. Franciscani strictius ad rubricas tenẽtur, quã alij Sacerdotes?

An teneatur iuniores?

QVÆRIS secundò; *An Minoritæ choristæ nondum ad Ordines maiores promoti teneantur ad horas canonicas*; & si tenentur, *An grauiter ipsi teneantur.*

In materiam grauem non cadit obligatio leuis.

Respondeo, Officium diuinum esse materiam grauem, adeoque, vel obstringendos grauiter, vel non obstringendos omninò; non enim intelligi potest venialis obligatio, si sit grauis materia, iuxtà ea, quæ dicta sunt superiùs *n.* 42. & 1346.

Moniales & Iuniores in Ordine S. Francisci tenentur lege-

Addo teneri grauiter ratione Regulæ, quoniam in hac expresse diuinum Officium præcipitur, & ipsi obedire Regulæ promiserunt. Audiendus est Cassarubios in Compendio Priuilegiorum Patrum Minorum verb. *Officium Diuinum, num.* 17. vbi ponit Priuilegium ab Eugenio IV. Benedictinis iuniorib⁹ concessum, & subiicit, *Prædicta concessio non deseruit pro Fratribus Minoribus, quia ipsi statim, vt Professionem emittunt, tenentur ratione voti ad persoluendum Officium Diuinum: licet non sint in sacris Ordinibus constituti, ac si omnes sacros Ordines haberent. Poterit tamen huiusmodi concessio prodesse aliis Fratribus Mendicantibus.* Et vt video, stat communi omnium Patrum Minoritarum opinioni.

re Officium diuinum sub mortali,

De Fratrum Laicorum obligatione.

QVÆRIS tertiò; *An Conuersi, seu Laici* (hi sunt Religiosi, non Choristæ) *teneantur grauiter ād illas orationes, quas loco diuini Officij dicitur?*

Assertiuè respondeo; Ratio enim, quæ Iuniores nondum ad Ordines promotos obligat, etiam Laicos obstringit; nam & isti voluerunt obseruare Regulam, quæ præcipit, vt Laici loco horarum dicant aliquibus vicibus suum *Pater.*

Quomodo teneantur ad ieiunia.

QVÆRIS quartò; *An ad ieiunia ordinis teneantur sub mortali? Respondeo*, affirmatiuè ob eandem rationem.

De die Natiuitatis Dominicæ.

QVÆRIS quintò; *An die Natalis Domini, si in feriam sextam incidat, possint Patres Minores se accommodare totius Ecclesiæ moribus, & comedere carnes?*

Si incidat in diem veneris debet â carnibus abstinere.

Resoluo, eos non posse. Et ratio est, quia ad abstinentiam à carnibus diebus Veneris illi duplici titulo tenentur, & vtroque grauiter: nimirum, & Ecclesiæ, præcepto. Cùm igitur hæc præcepta sint independentia, bene stat vnum possit subsistere sine alio. Ecclesiasticum enim sine illo regulari apud sæculares subsistit, & illud Regulare sine Ecclesiastico apud ipsos die Veneris Dominicæ Natiuitati sacro, tunc enim Ecclesia in lege dispensat, reliquas, qualescumque ipsæ in sua viridi obseruantia relinquens. Addo, Minoritam, qui illa die carnibus vesceretur, minùs grauiter peccaturum, quàm qui alio die Veneris, aliis enim feriis sextis comedendo carnes duas leges (Ecclesiasticam & Regularem) temeraret; illa autem die solam vnam, nimirum Regulam: quoniam in Ecclesiastica ponitur Ecclesia dispensasse.

Non verò, si incidat in diem Sabbati.

QVÆRES sexto, An possint comedere carnes die sabbati, si in eum dies Natalis inciderit? An etiam comedere carnes diebus sabbatinis à Natiuitate ad Purificationem in Belgio, iuxta morem omnium sæcularium?

Firmat Regulam in cõtrarium exceptio.

Respondeo non apparere, cur non possint: imò dari rationem, quæ licentiam suadeat, & illam ad istos terminos reduco. Ideò non potest comedi caro die Veneris Natiuitati sacro, quia Regula præcipit ieiunare omni die Veneris; at ipsa diebus Sabbatinis ieiunare, non præcipit: ergo si aliunde non obsit, poterunt his diebus Minoritæ vti carnibus. At sabbato, si in id incidat Natalis Domini, in toto orbe Christiano, & sabbatinis diebus sequentibus vsque ad Purificationem in Belgio carnes comedunt sæculares. Et quidem aliunde non obstat, quia cessat præceptum Ecclesiasticum: ergo his ipsi diebus vesci carnibus possunt.

An, & quãdo Patres Franciscani possint â ieiunio excusati?

LEGIS periodum hanc, *Tempore manifestæ necessitatis non teneantur Fratres ieiunio corporali*, & inquiris septimo. *An vi Regulæ possint à ieiunio excusari tempore necessitatis dubiæ; aut probabilis.*

Quid dicendum, si sit certa necessitas?

Respondeo, vel iudicari morbum eò deuenisse vt manifestum sit sine carnibus vitam sustentari non posse, & tunc habetur necessitatis certitudo, & carnes non solum possunt tuta conscientia comedi, sed & debent, peccaretque mortaliter quicumque homo (etiam Carthusianus) qui certò sciens non aliter quàm esu carnium posse mortem euadere, carnem non ederet, & ratio est, quia caro tunc non haberet rationem cibi, sed medicinæ. At casus hîc non est possibilis, nam carnes non sunt ad vitæ conseruationem necessariæ. In dubio deberet vesci carnibus,

Quid, si dubia?

nam in dubio an carnes sint omninò necessariæ, tenentur Decalogo obedire, & suam vitam defendere. Maior tamen difficultas est de probabilitate. Sæcularis enim potest in casu probabili carnes comedere aut omittere; at posset etiam sanctè se iurare non esse illas comesturum in necessitate probabili, sed in manifesta, & tunc ratione iuramenti in probabili necessitate deberet omninò abstinere. An sicut iste sæcularis iuramento, sic Minoritæ voto obstricti? Non credo. Flueret rationis paritas, si textus esset affirmatiuus; nimirum, *Teneantur Fratres corporali ieiunio, excepto tempore manifestæ necessitatis*, nam vi huius legis etiam tenerentur ieiunare tempore necessitatis probabilis, at quia textus est negatiuus, probabilitatem non excludit: qui enim diceret Franciscanos non teneri dominicis diebus ieiunare, non deberet asseri dixisse teneri ieiunare aliis diebus, sed de dominicis egisse, & abstraxisse ab aliis. Ergo sic similiter dicendum est, absoluisse suos à ieiunio Sanct. Franciscum tempore necessitatis manifestæ; illosque tempore necessitatis probabilis, nec voluisse absoluere, nec nouo præcepto ligare, sed hoc ipsum prudentum iudicio relinquere. Hæc omnia dicta sunt, supponendo dari casum, in quo carnes ad conseruandam vitam sint manifestò necessariæ, & casus in quibus probabiliter & tandem casus in quibus dubiè sunt necessariæ, quos ego nequaquam admittam. Puto enim esse euidens vitam posse foueri, & conseruari sine carnibus, & hoc clariùs, si agamus de hominibus, qui adsueti sunt ab illis abstinere, quales sunt Carthusiani, Minimi, & multi alij. Et sic cessant difficultates graues, quæ solent in hac materia disputari.

Aliter propositiones negatiuæ, & aliter affirmatiuæ interpretandæ sunt.

An ad vitæ sustentationem necessariæ sint carnes?

An ad vires recuperãdas sint vtiles?

Præter vitam etiam datur valetudo, & commoditas, & puto posse Minoritas grauiter ægrotantes, carnes manifestè necessarias ad recuperandam valetudinem, & fugiendam morbi grauissimam incommoditatem comedere. Lege quæ dicta *n.* 1429. possunt enim conducere tametsi de Diuino potiùs officio, quàm de ieiunio pronuntiata, nulla enim quo ad hoc datur inter lectionem, & officium disparitas.

Quomodo Patres Franciscani iter agant.

QVÆRIS octauò: *An possint Franciscani equitare?*

Respondeo nimis subtiles esse interpretes, qui illud *debeant*, quòd ponitur in textu, vrgent; sequamur illorum phantasiam, vt meliùs eam possimus impugnare. *Non debeant equitare*, inquit, *nisi manifesta necessitate, aut infirmitate cogantur.* Et ipsi; iubet sanctus Pater, inquiunt, ne Frater debeat equitare; ergo quamdiu non contrahit equitandi debitum, & obligationem, viuit secundum Regulam, quam promisit. At equitare, non est habere obligationem equitandi; Franciscani igitur, qui habere debitum equitandi non possunt, equitare liberè poterunt: quoniam certum est aliud esse equitare, & aliud incurrere obligationem equitandi.

N. B. De rhedâ aut curru statuit S. Pater, vbi nihil statuere videtur: quoniã idẽtitas rationis fluit: qui enim vt non equitẽt præcipit, vt pedibus iter agãt indicit: ergo currus & rhedas interdicit.

At puto hanc ipsam expositionem subtiliorem, quàm sinceriorem esse, & impingere in extremam Sanct. Francisci voluntatem in testamento suo dicentis, *Omnibus Fratribus meis Clericis, & Laicis præcipio firmiter per obedientiam, vt non mittant glossas in Regulam, nec in istis verbis dicendo*; Ita volunt intelligi; *sed sicut Dominus dedit mihi simpliciter, & purè dicere, & scribere Regulam, & ista verba; ita simpliciter, & purè sine glossa intelligatis, & cum sancta operatione obseruetis vsque in finem.* Quamobrem puto, quòd *non debeant* sit idem, ac *non possint*, & in hoc communi Minoritarum Theologorum opinioni consentio: Nam, & in indice æquipollentium, obligantium ad mortale ex Clementis V. declaratione, *num.* 6. dicitur, *Quod non equitent, nisi manifesta necessitate, aut infirmitate cogantur.* Vnde quia omnia præter manifestam necessitatem; aut infirmitatem rationes vniuersas excludit, videtur præcipere, ne equitent, qui non habent manifestam necessitatem, aut infirmitatem. An habent manifestam qui probabilitatem? nihil respondeo. Videtur enim necessitas probabilis manifesta non esse; & videtur manifesta probabiliter esse, quod est valdè obseruandum. Vide Scholium, & in ipso *n.* 190. vbi Diuus Bernardus *manifestè* nomine probabili certiorem intelligit.

Non vult S. Franciscus, vt sua Regula subtilibus dilucidetur Commentariis.

Vox *non debeant*, æquialet voci *nõ possint*: ita vt *non debeant equitare*, sit idem ac *debeant non equitare.*

Quid sit manifesta necessitas?

Necessitatem ab infirmitate Seraphicus Pater distinguit, & existimo habere equitandi manifestam necessitatem, qui laborat penuria temporis, & debet die determinato comitiis verbi gratia interesse, aut tali adesse Principi, & pedes equites sequi non possit.

An à morbo & infirmitate distinguatur?

QVÆRIS nonò: Quid sit meliùs, comedere

An iter agẽtes debeant

in domibus alienis petere cibos particulares?

medere ex omnibus cibis, qui apponuntur, vt concedit S. Franciscus, dicens: *secundum sanctum Euangelium de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare*; an habere cibos determinatos, nec posse alios, tametsi apponantur, comedere?

Sicut humanitas postulat, vt qui paupere hospitio recipit, illũ clementissimè tractet, sic etiam postulat, vt pauper hospitio receptus diuitem recipiẽtem non vexet.

Quid Deo gratius sit, aut debeat credi, viderint alij, quid hominibus, qui nonnunquam, iure hospitalitatis vexantur, facilè poterit recenseri. Non te grauabo historiis plurimis, proponam vnicam in qua partem confusionis sustinui, abstinentiæ rigidioris inconuenientia expertus. Eram Brugis apud Bernardum Camp-mans meum, & labore continui studij attritum animum illius sancti viri pia conuersatione recreabam. Nocturno tempore assidendibus mensæ nuntiatum duos Patres ad Monasterium diuertisse. Gauisus Senex pius tali nuntio, mittit œconomum, qui & eos excipiat, & ad Ecclesiam iuxtà Regulæ Caput LIII. & indè ad suam mensam conducat. Veniunt desiderati hospites: loco decenti collocatis cibos meliores, qui in mensa, humanissimè subministramus. Se non vesci carnibus, inquiunt, & adquiescimus; mittimusque, vt præparentur pisces. At vbi illi? nec emendi erat hora, nec quærendi. Ingruerant altæ tenebræ, & famuli contra Monasterij leges non iam permissi, sed & egredi iussi, forum examinant, amicorum domos, & etiam Monasteria adeunt, & summo pauculos, & paruos pisces labore, & pretio nacti, læti domum aduenium; coquus illicò, quia mensa propter hospites prolongabatur, præparat, & remittit. Agimus Deo gratias, quod inuenti fuerint pisces, quos possemus amicis, & gratissimis hospitibus subministrare; illos distribuimus, & ij inquiunt, butyro esse paratos, nec se aliis posse cibis, quàm Quadragesimalibus vti. Quid hic sentiret Abbatis generosa pietas, viderit Lector prudens. Turbatur secundò tota domus, & tandem cùm pisces reperiri non possent, & nimis diu in mensa hæsissemus, herbulæ oleo conditæ appositæ, Hispanicum vinum additum, illudque non sine lepore dictum charitati esse simile, & in mensa multitudinem peccatorum concernentium cibos operire; subiunctum tales hospites fore gratissimos, modò reuersuri dignarentur, tempestiuè admonere, quid comedere velint, vt possit in ciuitate procurari. Rem fateor, & exponam sincerè. Quicumque hospes sit communi mea mensa contentus, mihi gratus; ingratus quicumque me, aut meos conturbet; & ne aliis ego molestus sim, hanc regulam mihi obseruandam proposui, vt nec meliora, nec viliora postulem, quàm ponuntur, contentus communi mensa, & victu sanctorum, apud quos diuerto.

Famulos nocturno tempore egredi non permittimus.

Hospitem ad Ecclesiã prius & postea ad mensam Benedictini conducimus.

Cur à Germanis vinũ, si bonum sit, dicatur charitati esse simile?

Proptius affectus erga peregrinos & hospites.

Scio alias leges sibi posse præfigere, qui est opulentus, & nullo indiget, aut qui solitarius & amicos deserit, aut contemnit. At, qui cum hominibus agere vult, videtur debere vitam agere nemini molestam, aut ingratam, nec torquere illos posse, qui ei seruire desiderant. Vnusquisque abundet in suo sensu: at meâ sententiâ; *aut debet Religiosus adnullum amicum diuertere, aut qua amicus habet, & liberaliter apponit, manducare*; illi enim erit Religiosus tortutæ, & non solatio, si cogat hora intempesta, & pretio incompetenti pisces quærere, quos non habet.

Aliter homõ in propriâ; aliter in domo alienâ debet viuere.

Monitũ Monasticum.

CAPVT IV.

Quod Fratres non recipiant pecuniam.

PRæcipio firmiter Fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, per se, vel per interpositam personam. Tamen pro necessitatibus infirmorum, & aliis Fratribus inducendis, per amicos spirituales, Ministri tantum, & Custodes solicitam curam gerant, secundum loca, & tempora, & frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire: eo semper saluo, vt (sicut dictum est) denarios, vel pecuniam non recipiant.

1985 Est summè vtilis hæc lex.

Omnes compatiuntur pauperi, quẽ constat non habere pecunias.

COMMENTARIVS.

REciperet pecuniam physicè, qui propriis manibus: & qui interposita persona moraliter. Hac lege tenentur sub mortali peccato, & vtilitatem experiuntur præcipuè belli tempore, sine lytri conditione dimissi. Si capiatur ab Hæreticis Monachus, vix est pecunia redemptioni sufficiens; si capiatur Religiosus mendicãs, non dimittitur sine statuto pretio. At Minoritæ, & Capucini, castra adeunt, redeunt, capiuntur, dimittuntur, nec memoria fit lytri, sunt enim ab huiusmodi oneribus liberi, qui nihil habent.

Quid sit recipere realiter nummos? quid moraliter?

Cur ab hospibus capi non soleant Franciscani?

CAPVT V.

De modo laborandi.

1986 An Religiosi possint manibus laborare? An pro labore suo stipendium recipere? & quale?

FRatres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter, & deuotè, ita quòd excluso otio, animæ inimico, sanctæ orationis, ac deuotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deseruire. De mercede verò laboris, pro se, & suis Fratribus, corporis necessaria recipiant, præter denarios, vel pecuniam: & hoc humiliter, sicut decet seruos Dei, & paupertatis sanctissimæ seruatores.

COMMENTARIVS.

HOc caput, & quadragesimum octauum Regulæ S. Benedicti mira consonantia cohærent; adeóque videatur *n.* 1637. & quæ in hoc caput notaui aliis in locis.

Præstet ne mendicare, an manibus laborãdo necessaria pro victu & amictu adquirere? Homini inutili & otioso mendicare non debet permitti.

PETIS. *Quid Deo sit gratius laborare manibus, an eleemosynas à ditioribus petere?* & ratio dubitandi est, quòd Respublica, quæ meliores maioris facit, mendicos mechanicis vniuersis præponeret, si ipsos digniores crederet.

At respondeo, hominem otiosum ali Reipublicæ eleemosynis, tolerari nec debere, nec posse; at hominem de illa optimè meritum, qui deberet publicis impensis iuxtà suam qualitatem nutriri, bene posse permitti stipem quærere maioris humilitatis causa: & hunc viuendi modum, cæteris paribus, esse sanctissimum. Et quis non videat, quæso, Patres Franciscanos esse de Republicâ optimè meritos? Quotidie pro benefactoribus Missas celebrãt; & Officium diuinum publicè & priuatim persoluunt. Audiunt confessiones, concionantur: libros doctissimos in lucem mittunt: consulti in casibus arduis respondent; consolantur afflictos & pauperes: & in animarum regimine adiuuant Parochos & Episcopos. Illis ergo vt minimum victus & amictus debentur: quoniam jure naturæ concedente, & Christo Domino confirmante, *Qui altari seruit, de altari viuat:* dignus est enim mercenarius mercede suâ. Ergo summam humilitatem exercent, siquidem vt gratiam & eleemosynam postulant, quæ sibi ex justitiâ debentur. Consultò illud *cæteris paribus* adiunxi; scio enim posse eleemosynis subornationes fieri, absolutiones emi, gratiam, & opinionem procurari, & vt verbo dicam, sæpiusculè malè illas concedi: sed & scio malè concessas posse benè recipi: & acceptari sanctè ex mala intentione erogatas.

An esse possit in eleemosynis dãdis, aut etiam recipiendis abusus?

CAPVT VI.

Quod Fratres nihil sibi approprient; & de eleemosyna petenda, & de Fratribus infirmis.

1987 Patres Franciscani nihil in particulari, & nihil in communi vt proprium possident. An Christus Dominus ex piorum hominum eleemosynis vixerit?

FRatres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: sed tanquam peregrini, & aduenæ in hoc sæculo, in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari: quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos fratres meos, hæredes, & Reges Regni Cœlorum instituit: pauperes rebus fecit, virtutibus autem sublimauit. Hæc sit portio vestra, quę perducit in terram viuentium. Cui, dilectissimi Fratres, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub cœlo habere, velitis. Et vbicumque sunt, & se inuenerint Fratres, ostendant se domesticos inuicem inter se, & securè manifestet vnus alteri necessitatem suam: quia, si mater nutrit, & diligit filium suum carnalem: quantò diligentiùs debet quis diligere, & nutrire fratrem suum spiritualem? Et, si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alij Fratres debent ei seruire, sicut vellent sibi seruiri.

COMMENTARIVS.

Recensentur loci, qui hoc Caput poterunt dilucidare.

DE paupertate, & proprietate multa olim à *n.* 825. Sed tametsi nullius rei proprietatem habere Franciscani dicantur, multa sunt, quorum proprietate carere non possunt. Quoniam, & Minorita, & Capucinus habet dominium in sua manuscripta, *n.* 831. magisteriale in discipulos, quà tales, *n.* 839. naturale limitatum in filios, *n.* 849. naturale absolutum in internas actiones, *n.* 38. 855. & tandem in res vnico actu consumptibiles proprium, *n.* 871. quod ita verum, vt Bassæus, author doctus, & grauis, tametsi Capucinus, huius vltimæ assertionis probabilitatem non potuerit negare. Videantur eius flores secundò editi Antuerpiæ p. 286. a vbi me citat.

In quas res adquirat Religiosus dominium?

CAPVT

CAPVT VII.

De pœnitentiâ peccantibus fratribus imponendâ.

SI qui Fratrum, inſtigante inimico, mortaliter peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, vt recurratur ad ſolos Miniſtros Prouinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere, quàm citiùs poterunt ſine morâ. Ipſi verò Miniſtri, ſi Presbyteri ſunt, cum miſericordiâ iniungant illis pœnitentiam: ſi verò Presbyteri non ſunt, iniungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, ſicut eis ſecundùm Deum meliùs videbitur expedire. Et cauere debent, ne iraſcantur, & conturbentur propter peccatum alicuius; quia ira, & conturbatio in ſe, & in aliis, impediunt charitatem.

1988 Quomodo puniri illi debeant, qui commiſerint peccata grauia? Superior cõdolere peccatori pœnitẽti debet; non autem inſultare aut iraſci.

COMMENTARIVS.

De peccatorum reſeruatione.

EST valdè difficilis littera præſentis capitis, ſi de peccatis occultis intelligatur; nec facilis ſi de publicis, modò agatur de Sacramentali confeſſione. Stando foro externo, quod *forum fori* nominant, benè intelligo dari peccata, quorum abſolutio, & iudicium ſit ſæculari, aut Religioſo non ſacerdoti reſeruata; nam & Reges, & Principes, qui Sacerdotes non ſunt, culpas ſæculares diſcunt, examinant, & puniunt. At *foro poli* ſtando, ingruunt difficultates nouæ; non enim ita clarum apparet poſſe, Subſacerdotem peccata reſeruare, aut aliis abſoluendi facultatem concedere, niſi dicas Subſacerdotem illum, nec eſſe agentem perſonam, nec rationem operandi, *vt quo*, ſed meram conditionem extrinſecam, quâ poſitâ Summus Pontifex reſeruat peccata, aut reſeruationem remittit. Quod nos admittere debemus, cùm etiam Conuerſis noſtris tales licentias conceſſas ab Eccleſia legamus.

An ille, qui non eſt Sacerdos poſſit peccata reſeruare?

In hoc decreto nullam repugnantiã repeꝛio. *Ego Epiſcopus N. volo eſſe reſeruata peccata, quæ mei Conſiliarij, tametſi ſæculares ſint iudicauerint reſeruari oportere: & licentiam abſoluendi à reſeruatis illi concedo, quẽ prædicti mei Conſiliarij denominauerint.*

CAPVT VIII.

De electione Generalis Miniſtri huius fraternitatis & de Capitulo Pentecoſtes.

VNiuerſi Fratres, vnum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere in Generalem Miniſtrum, & ſeruum totius Fraternitatis. Et ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio ſucceſſoris fiat à Miniſtris Prouincialibus, & Cuſtodibus in Capitulo Pentecoſtes. In quo Prouinciales Miniſtri teneantur ſemper inſimul conuenire, vbicumque à Generali Miniſtro fuerit conſtitutum: & hoc ſemel in tribus annis, vel ad alium terminum maiorem, vel minorem, ſicut à prædicto Miniſtro fuerit ordinatum. Et, ſi aliquo tempore appareret Vniuerſitati Miniſtrorum Prouincialium, & Cuſtodum, prædictum Miniſtrum non eſſe ſufficientem ad ſeruitium, & communem vtilitatem Fratrum; teneantur prædicti Fratres (quibus electio data eſt) in nomine Domini alium ſibi eligere in Cuſtodem. Poſt Capitulum verò Pentecoſtes, Miniſtri, & Cuſtodes poſſint ſinguli, ſi voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno ſuis Cuſtodiis ſemel Fratres ſuos ad Capitulum conuocare.

1989 An Fratres teneantur hãbere Generalem? An Religionis regimen ex Monarchico in Ariſtocraticum vertere poſſint? An deponere poſſint Generalem? De Capitulo Prouinciali.

COMMENTARIVS.

De Summi Pontificis, Generalis, &c. titulis. An ſint ſuperſtitioſi & ficti?

VOcatur Pontifex *Seruus ſeruorum DEI*, Generalis Ordinis S. Franciſci *Seruus totius fraternitatis*, & ſi rem benè examinemus, non ſunt ficta, aut ſuperſtitioſa vocabula, ſed planè vera. Nulla Summo eſt Pontifici conceſſa authoritas, nulla Generali Miniſtro in ordine ad deſtructionem; tota, quantam habent, in ordine ad ædificationem conceditur, vt proſint ſubditis, vt ſingulorum profectui ſpirituali ſeruiant. meritò igitur *ſerui* dicuntur, qui ſunt in ſeruitium ſubditorũ creati.

An eligẽdus dignior ſit?

VENIS ad Capitulum Generale, & inquiris; *An in creatione Miniſtri poſſit dignus anteponi digniori*? Et ego te regeram *ad n. 1503.* Vbi ex profeſſo propoſitam difficultatẽ tracto.

Quid in depoſitione obſeruandum?

AT QVIA permittit Regula deponi Generalem Miniſtrum, ſi inſufficiens appareat, inquiris; An debeat apparere omnibus, an poſſit deponi, ſi pluribus? & doceri vis: An inſufficientia ipſius debeat eſſe manifeſta, an ſufficiat, ſi ſit merè probabilis?

Standum ſẽper eſt Ordinis ſtatutis.

Reſpondeo ſtandum particularibus decretis, & legibus, ſi legitimè latæ, & admiſſæ; ſi ſpeciales non dentur, videri eligendum, qui vniuerſitati aptus appareat, deponendum, qui ineptus. vndè ſicut ad creationẽ ſuffecit quòd fuerit dignus in opinione plurium, tametſi indignus aliquorum ſententia. Sic etiam,

Sicut nullus est, qui placeat omnibus; sic etiá quòd sit plurium opinione insufficiens, ad depositionem sufficiet: & ratio est, quia hæc lex ita debet exponi, vt possit ad praxim reduci, cùm tamen videatur impossibile dari Generalem Ministrum, qui sit insufficiens, & indignus in opinione vniuersorum. nullus, qui vniuersis displiceat.

CAPVT IX.

De Prædicatoribus.

1990 Vt Pater Franciscanus concionetur suorum Superiorum & Episcopi debet facultatem habere.

FRATRES non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus Fratrum populo penitùs audeat prædicare, nisi à Ministro Generali huius fraternitatis fuerit examinatus & approbatus, & ab eo sibi officium Prædicationis concessum. Moneo quoque & exhortor eosdem Fratres, vt in Prædicatione, quam faciunt, sint examinata & casta eorum eloquia ad vtilitatem, & ædificationem populi, annuntiando eis vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam, cum breuitate sermonis, quia verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram.

Huius ævi consuetudo postulare videtur, vt nec concio tribus horæ quadrantibus sit minor, nec hora maior: & huc obtorqueri illud potest, *Dabitur vobis in illa hora quid loquamini.*

COMMENTARIVS.

HOc Caput non solùm iuxta litteram & D. Francisci testamentum, sed & iuxta priuilegia à Pontificibus concessa debet exponi. Vnum punctum proponam. Sub initium sui Testamenti S. Pater. *Si haberem tantam scientiam quantam Salomon, & inuenirem pauperculos Sacerdotes huius sæculi, in parochiis in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipsorum*: & tamen Clemens IV. referendo ac confirmando litteras Alexandri IV. declarat, quod si Minoritis, & Dominicanis concedatur prædicandi licentia à Legatis Sedis Apostolicæ, aut ab Ordinariis locorum, possint liberè prædicare sine Prælatorum aut Rectorum inferiorum licentia. Infers. Ergo sine licentiâ Guardiani, Prouincialis, Generalis. Et ego nego rotundè consequentiam: nam prudentissimi Summi Pontifices cum concedunt, ne ab inferioribus Prælatis postulentur licentiæ, agunt de Ecclesiarum Rectoribus (Vicariis, Præpositis, Parochis) Ordinario subiectis, non autem de Prælatis Ordinis.

An etiam Parochi?

An, & quando possint PP. Franciscani concionari sine Parochorum licentiâ.

Quid, si de his agerent? Respondeo eruditionis gratiâ casu, quem falsum aio, admisso, illam Clementis IV. & Alexandri IV. Constitutionem ad illud tempus & personas limitari & coarctari debere, ne hierarchiam ecclesiasticam perturbare dicatur. Fortè fuerunt rationes & causæ illo tempore, ob quas hoc debuerit emanare Decretum: quas omni tempore & loco perennaturas non credidero. Potuerunt illi prudentissimi Summi Pontifices duo supponere: primum, Apostolicæ Sedis Legatos & Episcopos tantâ circumspectione processuros, vt nunquam essent concessuri prædicandi licentiam Religioso, quem Superiores Ordinis non commendarent: secundum, tam esse vrbanos & pios Ordinis Superiores, vt nunquam se opponerent concessæ à Legato aut ab Episcopo Ordinario licentiæ. Vnde sequitur Religiosum, cui talem licentiam Legatus aut Episcopus concesserit, posse illâ vti, & se habere à suis Superioribus tacitam aut expressam supponere. Cæterùm in casu, in quo Superiores Ordinis rationabiliter iudicent non expedire Fratrem A. concionari, aut ob rationes priuatas, quæ vitam & doctrinam eiusdem Religiosi concernunt; aut ob publicas, quæ respiciunt totam Communitatem; posse adhuc Superioribus nolentibus & contradicentibus in illorum despectum impetrare ab Episcopo aut Legato Fratrem A. concionandi licentiam, & illâ vti in conscientiâ posse nunquam concessere Pontifices: eorum enim Diplomata sic semper exponi debent, vt in illis paterna prouidentia reluceat. Quam ob rem expositio Bullæ, quæ in destructionem morum vergat, est mala Bullæ Pontificiæ expositio.

An concesserint Summi Pontifices, vt contradicentibus Superioribus Ordinis Religiosi Franciscani concionentur?

Quomodo debeant exponi Apostolicæ Bullæ?

CAPVT X.

De admonitione & correctione Fratrum.

1991 Quomodo Superior erga inferiores debeat agere? Quomodo erga Superiorem subditi?

FRATRES, qui sunt Ministri & serui aliorum Fratrũ, visitent, & moneant Fratres suos, & humiliter & charitatiuè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam, & Regulam nostram; Fratres verò, qui sunt subditi, recordentur, quòd propter Deum abnegauerunt proprias voluntates. Vnde firmiter præcipio eis, vt obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ. Et vbicumque sunt Fratres,

Fratres, qui ſcirent & cognoſcerent ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſeruare; ad ſuos Miniſtros debeant & poſſint recurrere: Miniſtri verò charitatiuè & benignè eos recipiant; & tantam familiaritatem habeant circa ipſos, vt dicere poſſint eis, & facere ſicut domini ſeruis ſuis. nam ita debet eſſe, quod Miniſtri ſint ſerui omnium Fratrum. Moneo verò & exhortor in Domino Ieſu Chriſto, vt caueant Fratres ab omni ſuperbiâ, vanâ gloria, inuidiâ, auaritiâ, curâ, & ſollicitudine huius ſæculi, à detractione & murmuratione. Et non curent neſcientes litteras, litteras diſcere, ſed attendant, quod ſuper omnia deſiderare debent, habere ſpiritum Domini, & ſanctam eius operationem; orare ſemper ad Deum puro corde & habere humilitatem & patientiam in perſecutione & infirmitate; & diligere eos, qui nos perſequuntur, reprehendunt & arguunt; quia dicit Dominus; *Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.*

Quanta ſinceritate debeant fratres conſciẽtiam ſuam coram ſuperiore explicare?

An debeant addiſcere literas?

Diuina monita.

COMMENTARIVS.

Obedientiæ ordinem & modum eodem prorſus modo S. Benedictus ſtatuit.

DE obedientia ſuperiùs ego frequentiſſimè, ſed vberiùs *à num. 691.* at nunc occurrit controuerſia ſpecialis, Legis enim in textu, *Firmiter præcipio eis, vt obediant ſuis Miniſtris in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſeruare, & non ſunt contraria animæ ſuæ, & Regulæ noſtræ*; & hunc caſum proponis.

An teneatur obedire ſubditus, ſi materia ſit dubia?

FRATRI Alberico Miniſter præcepit aliquid, & ipſe dubitat, An ſit contra Deum & Regulam, & inquirit, An poſſit obedire, vel debeat? *Et ego* nego caſus poſſibilitatem; quoniam, vt in mea morali Theologia demonſtraui, non poteſt dari dubium, vbi datur prudentis Superioris authoritas.

DICIS te dubij nomine intelligere probabilitatem.

An teneatur in Materia probabili?

Et reſpondeo primò, male te loqui, quando Dubium cum Probabilitate confundis; ſunt enim res valde diuerſæ. Vide ſupra *num. 52.*

Sententia prima.

Reſpondeo ſecundò, eſſe probabilem ſententiam illam quæ docet ſubditum non debere obedire, ſed poſſe in materiâ probabili: & addo hanc ſententiam ſpeculatiuè eſſe probabiliorem.

Sententia ſecunda.

Reſpondeo tertiò, eſſe etiam probabilem, quæ vniuerſaliter docet in caſu poſſe & debere ſubditum obedire: & addo hanc in praxi eſſe meliorem, ſecuriorem, & vtiliorem.

Sententia tertia.

Reſpondeo quartò, aliquos Authores ſub diſtinctione hanc Quæſtionem diſſoluere: & illorum inſiſtendo veſtigiis pronuncio in materia, quæ ſit probabiliter peccaminoſa, Ieſuitam obedire debere, nec ſine culpa poſſe non obedire. Addo Benedictinum poſſe tali præcepto obedire ſi velit. Nec video cur Franciſcanos debeam Ieſuitis potius quàm Benedictinis adſcribere, cùm obedientiæ votum, quod emittunt Ieſuitæ, videatur eſſe Societatis characterium, nulli alij Religioni commune. Promittunt enim ipſi obedientiã in omni materia quæ non ſit euidenter peccatum, adeoque in probabilitatis materia debent vi voti ſententiæ Superioris ſubſcribere.

De PP. Ieſuitis.

De DD. Benedictinis.

De PP. Franciſcanis.

Reſolutio.

Hinc ad propoſitam quæſtionem venio, & illam paucis verbis decido. Sane ſtando primæ ſententiæ Religioſus Franciſcanus poteſt, ſed non debet ſuis Superioribus in materiâ probabili obedire: ſtando autem ſecundæ obedire debebit: ſtando tertiæ non debebit. Sed in praxi videtur opportunior ſecunda.

CAPVT XI.

Quòd Fratres non ingrediantur Monaſteria Monacharum.

1992 Ingredi Monialium aſceteria non poſſunt.

PRæcipio firmiter Fratribus vniuerſis, ne habeant ſuſpecta conſortia, vel conſilia mulierum. Et ne ingrediantur Monaſteria Monacharum, præter illos, quibus à Sede Apoſtolica conceſſa eſt licentia ſpecialis. Nec fiant compatres virorum, vel mulierum, ne hac occaſione inter Fratres, vel de Fratribus ſcandalum oriatur.

COMMENTARIVS.

An Moniales teneãtur obſeruare clauſuram?

OVtinam illa regula quæ docet, priuilegium præceptumve, quod vni relatiuo conceditur, ſiue præcipitur, concedi etiam aut præcipi alteri relatiuo, eſſet vniuerſalis, & ſicut Religioſis præcipitur, ne ingrediantur Monialiũ Monaſteria, ſic & Monialibus præciperentur, ne excurrerent per plateas virorum. Nec volo apud illas reus agi, quod priuilegia cum præceptis confundam: quia clauſuram vocabo priuilegium, à multis enim oneribus, & moleſtiis ſunt liberæ, quæ exire non poſſunt. Scripſi de Monialium clauſura præ Eximio D. Franciſco Syluio, quem Groningenſes Moniales, vt fœminarum mos eſt,

An ſit hæc obſeruantia priuilegium?

deceperant, & scribere coëgerant contra Reuerendissimũ D. Abbatem Dunensem. [oportet nominari personas; quoniam inter Syluij consilia impressum illud est, de quo agimus, & nomina personarum præsefert] deprehensa propositionis fraude aliter omninò Vir pius & doctus respõdit, totusque pro Deo & Clausura stat & speciali epistola mihi agit gratias, quod voluerim eius opinionem eruere, & contra falsas casuum propositiones defensare.

De Syluij Resolutione subreptitiè extortâ contra Monialiũ clausuram.

CAPVT XII.

De euntibus inter Saracenos, & alios infideles, & de Protectore Cardinale.

1993 Non omnes, vt sint Missionarij sunt apti.

QVicumque Fratrum diuinâ inspiratione, voluerint ire inter Saracenos, & alios infideles, petant inde licentiam à suis Ministris Prouincialibus. Ministri verò nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis, quos viderint esse idoneos ad mittendum. Ad hæc per obedientiam iniungo Ministris, vt petant à Domino Papa vnum de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius Fraternitatis; vt semper subditi & subiecti pedibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ stabiles in Fide Catholica, paupertatem & humilitatem, & sanctum Euangelium D. N. Iesu Christi, quod firmiter promisimus, obseruemus.

Vult S. Franciscus, vt suus Ordo protectore Cardinale nõ careat?

COMMENTARIVS.

SOlent velle peregrinari, qui minùs apti, nec temerè est licentia concedenda. Qui apti iudicarentur, si nolent, vi huius legi cogi non possent Saracenos & fidei inimicos adire: sed strictiùs eorumdem saluti tenentur studere Iesuitæ, qui missi in remotas prouincias, ire debent, è quibus, vt video, selectissimi homines transmitti solent. Infidelium lucrandis animabus scientia non sufficit, si vita dissonet, fortissimè enim prædicat.

PP. Iesuitæ laudati, quòd valde pios & doctos Missionarios ad barbaras regiones ablegent.

Qui suadenda facit, qui facienda docet; vita bona non sufficit, si desit scientia; vtraque infidelium conuersioni necessaria est. Qui enim & lingua & vita prædicat, animos abripit, & in sui admirationem priùs, & demum in imitationem conuertit. Et hîc obiter notandum est in totâ Asiâ sæculares esse tenui victu contentos, & Monachos rigida obseruare ieiunia: vnde scandalizantur interdum, videntes Missionarios Europæo more victitare. Si dicat Missionarius, *Vtor meo iure: viuo, sicut in solemni professione promisi.* nam & hoc multi dicunt; reponam ego, *Maneas igitur in tuo Cœnobio; non enim illis prodesse poteris, qui te viuere relaxatè supponunt.* nam & hîc habet locum illud Morale Monitum,

Rigidiora sunt nostris Asianorum ieiunia.

Cùm fueris Romæ, Romano viuito more:
Et cùm sis alibi, viuito sicut ibi.

DE Cardinale Protectore nihil hic; quia multa occurrunt, quæ statui; aliqua, quæ ventilari possent. Omittam opinionem illorum, qui existimant, tam curare Ordines sibi commissos Cardinales Protectores, quàm Principes libros sibi dedicatos. Nemo est, qui librum editurus æmulorum liuorem non timeat, aut dicat saltem; nemo, qui voluntarius librum edat; singuli amicorum precibus obruti, ne petitioni illorum, qui poterant iubere, desint, edi libros permittunt, & obtrituri maleuolentiam multicorporis Zoili, Principum implorant adsistentiam. Sed quis vnquam Princeps, vt sibi sacrum opus tueretur, euaginare gladium visus? An ideò, inquiunt, deleti sunt Templarij à Clemente, & delendi erant ab Innoc. Cistercienses, quod Card. Protectore caruerint, à quo contra inuidos defenderentur? Annon in Gallia Cistercienses eosdem, imò & Præmonstratenses oppressos à Richelio nomine Armando, sed re vera armato, tametsi Cardinale vidimus, nec in vrbe Protectorem reperimus? Sic philosophari solent illi, qui optarent protectionis vocabulum non esse titulum sine re, aut vocem significationis expertem.

An libri Principibus sint dedicandi?

An sit necessarius Cardinalis Protector.

Omittam, inquam, opinionem illorum; nam Doctores Theologi Eximij fortè dicti, quod eximo assumpti, non debemus Eminentissimos Ecclesiæ Primores iudicare. Laudabo interim meos Cistercienses, qui apud Cæsarium *libr. 7. cap. 6.* in vrbis imò & orbis cardine protectore carentes, in cœlo repererunt. Laudabo Præmonstratenses etiam, & inter ipsos DD. Chrysostomum Stellam, S. Michaelis apud Antuerpienses Abbatem, Virum Magnum, pium, doctum, prudentem; qui contra inuasorem Armandum paucos aut nullos in terra armatos videns, ne purpura protectrice careret, ad Christi sanguinem confugit, & amicorum solicitauit orationes & lacrymas, quas in incruento sacrificio Deo offerret, vt quæ nostris meritis non valerent, diuina purpura delibutæ impetrarent.

Doctores Theologi cur dicuntur *eximij?* Respondet inuidia, *Quia ex imo.*

Abbas *vander sterren* laudatus.

Dicam igitur summæ esse felicitatis illum habere protectorem, quem socium Pontifex. Quod si aliqui parum profuerunt Protectores, nullus nocuit; adeoque eorumdem procurandus est fauor, & credendus vtilis esse posse.

Resolutio.

CONFIRMATIO
Regulæ S. Franciſci.

1994 *NVlli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Laterani, tertio Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno octauo.*

TESTAMENTVM
S. FRANCISCI.

Hoc eſt:

Expoſitio ſeu gloſſa ſpiritualis Regulæ præcedentis, quam ſacris ſtigmatibus condecoratus, & nouis reuelationibus inſtructus, ſancto Spiritu plenus, ſub finem vitæ ſcripſit, & ſuis legauit Religioſis in amoris teſſeram, vt Regulam ſincerius obſeruarent.

1995 DOminus dedit mihi Fratri Franciſco ità incipere facere pœnitentiam: quia cum eſſem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre Leproſos; & ipſe Dominus conduxit me inter illos, & fecit miſericordiam cum illis. Et recedente me ab ipſis, id quod mihi videbatur amarum, conuerſum fuit mihi in dulcedinem animæ & corporis.

Quæ amara videntur naturæ, dulcia reddit gratia.

De charitate erga ægrotos.

Et poſtea parum ſteti, & exiui de ſæculo. Et Dominus dedit mihi talem fidem in Eccleſiis, vt ita ſimpliciter adorarem & dicerem: *Adoramus te ſanctiſſime Domine Ieſu Chriſte, hic, & ad omnes Eccleſias, quæ ſunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.* Et poſtea dedit mihi Dominus, & dat tantam fidem in Sacerdotibus, qui viuunt ſecundum formam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, propter Ordinem ipſorum, quod ſi facerent mihi perſecutionem, volo recurrere ad ipſos. Et ſi haberem tantam ſapientiam quantam Salomon habuit, & inuenirem pauperculos Sacerdotes huius ſeculi, in parochiis, in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipſorum. Et ipſos & omnes alios volo timere, amare & honorare ſicut meos Dominos. Et nolo in ipſis conſiderare peccatum, quia Filium Dei diſcerno in eis, & domini mei ſunt. Et propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc ſæculo, de ipſo altiſſimo Filio Dei, niſi ſanctiſſimum corpus eius, & ſanguinem ſuum, quod ipſi conſecrant & recipiunt, & ipſi ſoli aliis adminiſtrant. Et hæc ſanctiſſima myſteria volo ſuper omnia honorare & venerari, & in locis pretioſis collocare. Et ſanctiſſima nomina eius, & verba ſcripta vbicumque inuenero in locis illicitis, volo colligere, & rogo, quod colligantur, & in loco honeſto collocentur. Et omnes Theologos, & qui miniſtrant nobis ſanctiſſima verba diuina, debemus honorare & venerari, ſicut qui miniſtrant nobis ſpiritum, & vitam.

De fide.

De reuerentiâ erga Sacerdotes.

An prædicare liceat ſine licentiâ Parochi?

De Sacerdotum nomitibus.

Et poſtquam Dominus dedit mihi de Fratribus, nemo oſtendebat mihi quid deberem facere, ſed ipſe Altiſſimus reuelauit mihi, quod ego deberem ſecundum formam ſancti Euangelij viuere: & ego paucis verbis & ſimpliciter feci ſcribi, & Dominus Papa confirmauit mihi. Et illi, qui veniebant ad recipiendam vitam iſtam, quæ habere poterant, dabant pauperibus. Et eramus contenti tunica vna, intus & foris repeciata, qui volebant, cum cingulo, & braccis, & nolebamus plus habere.

Ordo S. Franciſci viuit ſecundum Euangelium.

Officium dicebamus nos Clerici ſecundum alios Clericos, Laici dicebant *Pater noſter*. Et ſatis libenter manebamus in Eccleſiis pauperculis & derelictis: & eramus idiotæ & ſubditi omnes.

De officio Diuino.

Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare; & omnes alij Fratres mei firmiter volo, quod laborent de laboritio quod pertinet ad honeſtatem: & qui neſciunt, addiſcant; non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, ſed propter bonum exemplum, & ad repellendum otioſitatem.

De labore manuum.

Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad menſam Domini, petendo eleemoſynam oſtiatim. Salutationem hanc reuelauit mihi Dominus vt diceremus. *Dominus det tibi pacem.* Et caueant ſibi Fratres, vt Eccleſias, & habitacula, & alia omnia, quæ pro ipſis conſtruuntur, penitùs non recipiant, niſi eſſent, ſicut decet ſanctam paupertatem, quam in Regula promiſimus, obſeruare, ſemper ibi hoſpitantes tanquam peregrini & aduenæ. Præcipio firmiter per obedientiam Fratribus vniuerſis, vt vbicumque ſunt, non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana, per ſe, nec per interpoſitam perſonam, neque pro Eccleſia, neque ſub ſpecie prædicationis, neque pro perſecutione ſuorum corporum, ſed vbicumque

Quando poſſint Fratres ſtipem petere?

De ædificiorum paupertate.

non fuerint recepti, fugiant in aliam terram ad faciendum ibi pœnitentiam cum benedictione Dei.

De obedientia.

Et firmiter volo obedire Ministro Generali huius Fraternitatis, & illi Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare : & ita volo esse captus in manibus suis, vt non possim ire vel facere vltra obedientiam & voluntatem suam, quia Dominus meus est.

Et quamuis sim simplex & infirmus, tamen volo semper habere Clericum, qui mihi faciat officium sicut in Regula continetur. Et omnes alij Fratres teneantur obedire Guardianis suis, & facere officium secundum Regulam. Et qui inuenti essent, qui nollent facere Officium secundum Regulam, & vellent aliquo modo variare, aut non essent Catholici, omnes Fratres vbicumque sunt, per obedientiam teneantur, vbicumque inuenerint, præsentare. Et custos firmiter teneatur per obedientiam ipsum fortiter custodire, sicut hominem in vinculis, die noctuque, ita quòd non possit eripi de manibus suis, donec in propria persona ipsum repræsentet in manibus sui Ministri. Et Minister firmiter teneatur per obedientiam, ipsum mittere per tales Fratres, qui diu noctuque custodiant ipsum, sicut hominem in in vinculis, donec repræsentet eum coram Domino Hostiensi, qui est Dominus Protector, & Corrector istius Fraternitatis.

De carceribus, & detentione peccantium.

An hoc Testamentum sit altera Regula?

Et non dicant Fratres : hæc est alia Regula : quia hæc est recordatio, admonitio & exhortatio ; ac meum Testamentum, quod ego Frater Franciscus paruulus vester, & seruus facio vobis Fratribus meis benedictis, propter hoc vt Regulam, quam Domino promisimus, melius Catholicè obseruemus.

Et Generalis Minister, & omnes alij Ministri & Custodes per obedientiam teneantur in istis verbis non addere vel minuere, & semper hoc scriptum habeant secum iuxta Regulam. Et in omnibus Capitulis quæ faciunt, quando legunt Regulam, legant & ista verba.

1996 Litera non debet mutari, addendo, diminuendo, &c.

Et omnibus Fratribus meis Clericis & Laicis præcipio firmiter per obedientiam, vt non mittant glossas in Regulam, nec in istis verbis, dicendo : *Ita volunt intelligi :* sed sicut Dominus dedit mihi simpliciter & purè dicere & scribere Regulam & ista verba ; ita simpliciter & purè sine glosså intelligatis, & cum sancta operatione obseruetis vsque in finem.

Non debet obtorqueri in alienos sensus subtilibus interpretationibus.

Et quisquis obseruauerit hæc, in cœlo repleatur benedictione altissimi Patris Cœlestis, & in terrâ repleatur benedictione dilecti Filij sui, cum sanctissimo Spiritu Paraclito, cui est honor & gloria, nunc, & in æternum. Et ego Frater Franciscus paruulus vester & seruus, quantumcumque possum, confirmo vobis intus & foris istam sanctissimam benedictionem, quam habeatis cum Virtutibus cœlorum, omnibus Sanctis, nunc & in sæcula sæculorum.

S. pater Religiosis suis benedictionem concedit.

SVMMARIVM PRÆCEPTORVM.

1997 De verborum significatione.

PRimum status nostri substantiale fundamentum (vt ait Hugo in 1. cap. Regulæ) est Euangelica seruare consilia, quæ in Regula sunt expressa, & eo modo & forma provt in ipsa posita sunt. Vnde assertiuè dicendum est, nihil esse in Regula quod sub mortali culpa, virtute voti regularis, obliget professores ; nisi quod sub præceptoriis verbis in ea ponitur, vt (*præcipio ; iniungo per obedientiam :*) vel sub verbo habente vim præcepti ; vt dicendo (*teneantur* :) vel sub verbo inhibitorio, seu prohibitorio, vt est illud 6. cap. (*Fratres nihil sibi approprient*) vel nisi sit de illis æquipollentibus per Clementem V. (in sua declaratione super Regulam Fratrum Minorum quæ incipit *Exiui de Paradiso*, &c.) specificatis & expressis. Quæ omnia hic pro commoditate nouitiorum subscribûtur.

Sût in Regulâ S. Francisci, Præcepta formula 7. inhibitoria 2. habentia vim præcepti 4. & præceptis æquipollentia 12.

Præcepta Formalia.

1. Quòd totus Ordo tenetur præstare obedientiam & reuerentiam Domino Papæ, & Romanæ Ecclesiæ. *cap.* 1.

2. Quòd Fratres nullo modo denarios vel pecuniam recipiant : *cap.* 4.

Præceptum hoc tertium in obedientię voto includitur : & quartum in voto Castitatis. Stabilitas clauditur in obedientia.

3. Quòd Fratres obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino obseruare. *cap.* 10.

4. Quòd Fratres non habeant suspecta consortia mulierum. *cap.* 11.

5. Quod non ingrediantur Monasteria Monachorum. *cap.* 11.

6. Quòd non fiant compatres virorum aut mulierum. *cap.* 11.

7. Quòd Ministri petant vnum de sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector & Corrector istius Fraternitatis. *cap.* 12.

De Protectore Cardinale.

Inhibitoria.

1. Quòd nullo modo liceat Fratribus de ista Religione exire. *cap.* 2.

2. Quòd Fratres nihil sibi approprient. *cap.* 6.

Hoc secundum præceptum clauditur in voto Paupertatis.

Habentia vim præcepti, etiam obligantia ad mortale, ex declaratione Pontificum.

An in monasteriis paruis possint reseruari peccata? tracto vberiùs in quâdã epistola ad Reuerendissimũ Costaltam.

1. Quòd Fratres teneantur recurrere ad Ministros Prouinciales pro casibus reseruatis. *cap.* 7.

2. Quòd Fratres habeant vnum de Fratribus istius Religionis in Generalem Ministrum, &c. *cap.* 8.

3. Quòd Ministri & Custodes teneantur in simul conuenire in Capitulo Generali pro electione successoris Generalis Ministri. *cap.* 8.

4. Quòd si aliquo tempore appareret Vniuersitati Ministrorum Prouincialium & Custodum, prædictum Ministrum non esse sufficientem ; debeant eligere aliũ, &c. *cap.* 8.

Hoc vltimũ præceptũ est valde difficile in praxi.

Æqui

Æquipollentia ex declaratione Clementis V. obligantia ad mortale.

Fortè vniformitas poſtularet, vt tot tunicas haberet, vnus, quàm alius.

1. Quòd Fratres habeant vnam tunicam cum capucio, & aliam ſine capucio, qui voluerunt habere. *cap.2.*

2. Quòd illi tantum qui neceſſitate coguntur, poſſunt portare calceamenta. *cap.2.*

3. Quòd vilibus veſtimentis induantur. *cap.2.*

De Officio Diuino.

4. Quòd Clerici faciant diuinum Officium ſecundum Ordinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ: & laici dicant Pater noſter. *cap.3.*

In hoc quinto præcepto multa claudūtur.

5. Quòd Fratres ieiunent à Feſto omnium Sanctorum vſque ad Natiuitatem Domini, ſanctam Quadrageſimam Reſurrectionis, & in ſextis Feriis totius anni. *cap.3.*

An poſſint equitare?

6. Quòd non equitent, niſi manifeſta neceſſitate aut infirmitate cogantur. *cap.3.*

7. Quòd Miniſtri & Cuſtodes ſollicitam curam gerant pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis Patribus induendis. *cap.4.*

8. Quòd Fratres ſeruiant Fratribus infirmis. *cap.6.*

Hoc nonum præceptum multa tollit ſcandala, quæ aliàs poſſent ſuccedere.

9. Quòd Fratres non prædicent in Epiſcopatu alicuius Epiſcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum. *cap.9.*

10. Quòd nullus Fratrum populo audeat prædicare, niſi à Miniſtro Generali huius Fraternitatis fuerit approbatus. *cap.9.*

Superiores ex cauſa poſſunt diſpenſare: & ſubditi tenentur petere diſpenſationē.

11. Quòd vbicumque ſunt Fratres, qui ſcient & cognoſcerent ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſeruare, poſſint & debeant ad ſuos Miniſtros recurrere. *cap.10.*

12. Omnia, quæ ponuntur in Regula, quoad formam habitus, tam nouitiorum quàm etiam profeſſorum, & ad modum receptionis ac profeſſionis ſpectantia; in quo multæ conditiones obligatoriæ comprehenduntur. *cap.2.*

Numerus præceptorū 7. Form. 2. Inhib. 4. Hab. vim 12. Æquip. 25 Simul.

HÆc omnia ſi ſimul iungantur, conſtat, quod viginti quinque erunt obligatoria Regulæ ſub culpa mortali. Septem ſcilicet præcepta formalia; duo inhibitoria; quatuor habentia vim præcepti: & duodecim æquipollentia; quæ omnia viginti quinque ſunt. Et licet ſecundum declarationes Nicolai III. & Clementis V. ſint viginti octo, reducuntur tamen ad viginti quinque. Nam reliqua tria habentia vim præcepti includuntur in ſupradictis. Id enim quod dicitur in primo Capite (*quod Fratres teneantur obedire ſucceſſoribus ſancti Franciſci*) & id quod dicitur cap.8. (*quod teneantur obedire Generali Miniſtro*) includuntur vtique in illo præcepto, capite decimo: (*Quòd obediant ſuis Prælatis in omnibus, quæ non ſunt contraria animæ ſuæ & Regulæ noſtræ.*) Illud autem quod dicitur de ieiunio ſextæ Feriæ, ad æquipollens reducitur vbi agitur de ieiunio. Illud verò duodecimi capitis de non eundo inter Saracenos ſine licentiâ, & non mittendo niſi idoneos, potiùs videtur præceptum Iuris communis (*cap. Quàm ſit, de Iudæis & Saracenis*, & *cap. Cum ex iniuncto, de Hæreticis*) quàm particulare Regulæ, & ideò hic non connumeratur.

De præcepto obedientiæ.

An, & quomodo poſſint ire ad infideles prædicationis gratiâ.

NOTA.

Vides viginti quinque eſſe præcepta in Regulâ S. Franciſci, & interrogas, quâ ſinceritate potuerit P. Ioannes Capiſtranus aſſerere, & Eugenio IV. Pontifici Maximo perſuadere, eſſe in Regulâ Monialium S. Claræ 103. præcepta obligantia ad mortale: nam Virorum & Fœminarum Regulæ in rebus ſubſtantialibus conuenire videntur.

Quot præcepta habeat prima S. Claræ Regula?

Reſpondeo oportere, vt præceptorum numerus contrahatur; ne terreantur Nouitij: vnde, vt videris, tametſi Pontifices 28. numerauerint, Ordinis Superiores dicunt eſſe tantummodò 25. in quibus illa ipſa 28. claudūtur: deſiderant enim non augere numerum, ſed contrahere. At hic numerus claſſes præceptorum complectitur, non præcepta: nam in ſingulis multa ſubalternantur. Quoniam in ieiunij præcepto, quod inter æquipollentia quintum eſt, ſunt plura quàm 150. præcepta: nam Aduentus à die omnium Sanctorum ad Natiuitatem vſque complectitur 53. dies: Quadrageſima 47: & annus dies Veneris 52. Vnde omnes ſimul, ſunt dies 152. in quibus abſtinentia à carnibus præcipitur: & præter Dominicas etiam ieiunium.

Quot Regula S. Franciſci?

Quot ſint præcepta de abſtinentia & ieiunio?

Ego hunc vitæ rigorem manuteneri ab Apoſtolicâ Sede deſidero: at hoc æuo tot abſtinentias & ieiunia cadere ſub mortale, nec laudo, nec vitupero: illud enim eſt optimum, quod Apoſtolica Sedes diſponit: deſiderarem tamen, vt P. Ioannes Capiſtranus ad nos redux, ſicut Eugenio IV. ſuaſit eſſe ad gloriam Dei conuenientius, vt præter vota ſubſtantialia ex 103. præceptis, quæ S. Claræ prima Regula continebat, duo tantummodò reliquerentur: ſic etiam ſuaderet Pontifici, vt in hac S. Franciſci Regulâ præcepta Moralia auferrentur, & in pœnalia conuerterentur: aut minuerentur ſaltem: videntur enim nimis multa.

An hoc æuo eſſet conuenientius, ſi pauciora præcepta ponerentur?

1998

Moriturus S. Benedictus Teſtamentum & vltimam voluntatem ſuam reliquit, quæ eſſet Regulæ compendioſa expoſitio, poſſetque in dubiis, ſiqua naſcerentur, iuuare. Dedimus num. 1777. *Sed & illum imitatus fuit S. Franciſcus, cuius Teſtamentum non obligat ſub culpa mortali. Quod & Gregorius IX. & Nicolaus III. expreſsè teſtantur. Ob reuerentiam tamen Seraphici Patris decet illud pro virili à Minoritis obſeruari. Qui ad alia Conſilia Euangelica non tenentur, quàm quæ (vt dictum eſt) in Regula ponuntur. Eò tamen obſtringuntur ſtrictiùs, quam cæteri Chriſtiani, quò ſtatum perfectionis profitendo, ſeipſos in holocauſtum & ſacrificium medullatum Domino obtulerint per verum mundanorum omnium contemptum, & conari debent pro viribus, (vt monet Nicol. III. & omnes Doctores) vt ea obſeruent, cum maximè ſeruiant ad ipſam perfectionem aſſequendam.*

De S. Benedicti Teſtamento.

An, & quomodo obliget Teſtamentum S. Franciſci?

An ad Decalogi obſeruantiam Patres Franciſcani ſtrictius, quàm cæteri Chriſtiani obligentur?

Verba

Verba Sancti Franciſci exhortatoria.

1999 *Nota.* Qui docent blaſphemias in Deum & sãctos diſtingui ſpeciè, etiam dicere poſſent vota Deo & Sanctis facta diſtingui ſpecie: ergo deberent etiam Religioſum S.Franciſci violantem votum, trium infidelitatum reum agere, nam violat votum factũ Deo, & factũ Deiparæ, & factum Prælato. Sed quo fructu? Ergo ſpecie non diſtingui dicamus.

O dilectiſſimi Fratres, & in æternum benedicti Filij, audite me, audite vocem Patris veſtri.

Magna promiſimus: maiora promiſſa ſunt nobis. Seruemus hæc, ſuſpiremus ad illa. Voluptas breuis, pœna perpetua. Modica paſſio, gloria infinita. Multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio. *Fratres, dum tempus habemus, operemur bonum.* Galat. 6.

Forma Profeſſionis Fratrum Minorum.

EGo Frater N. voueo & promitto Deo omnipotenti, & B.Franciſco, & omnibus Sanctis, & tibi Pater; toto tempore vitæ me ſeruare Regulam Fratrum Minorum, per Domnum Papam Honorium confirmatam: viuendo in Obedientia, ſine Proprio, & in Caſtitate.

Et Prælatus, qui Profeſſionem recipit, reſpondet. Et ego ex parte Dei, ſi hæc obſeruaueris, promitto tibi vitam æternam; in nomine † Patris, & † Filij, & † Spiritus ſancti. *Et omnes Fratres reſpondent*, Amen. *Deinde datur ei oſculum pacis ab omnibus, Prælato incipiente*, Vouete & reddite Domino Deo veſtro, *&c.* Pſalm. LXXV.

An in una & eadem materia aut ſubiecta poſſint eſſe duæ formæ puro numero diſtinctæ? rogant Philoſophi. Negãt Thomiſtæ, aſſerunt Scotiſtæ. Huic quæſtioni illa eſt ſimilis, quæ inueſtigat, *An in eodem actu duæ, aut plures malitiæ puro numero diſtinctæ eſſe poſſint?* In ſchola & gymnaſio Religioſi Franciſcani ſint Scotiſtæ; at, vt ſuas & & aliorum conſcientias gubernent, Thomiſtæ. Quo enim fructu numericas malitias multiplicabunt.

THEOLOGIÆ REGVLARIS

PARS SEPTIMA.

COMMENTARIVS IN REGVLAM FRATRVM ET SORORVM DE POENITENTIA,

TERTII ORDINIS S. FRANCISCI,

HABITANTIVM IN COMMVNITATE.

THEOLOGIÆ REGVLARIS

PARS SEPTIMA.

COMMENTARIVS IN REGVLAM FRATRVM ET SORORVM DE POENITENTIA, TERTII ORDINIS S. FRANCISCI, HABITANTIVM IN COMMVNITATE.

SVB tertio Ordine S. Franciſci, qui Deo militant, FRATRES DE POENITENTIA nominantur, quorum alij in Congregatione, & alij in propriis domibus viuunt. Pro ſingulis Regulas proprias Eccleſia edidit: vtramque dabimus, illam tamen præponemus, quæ viuentes in Congregatione concernit, horum enim vita ſanctior eſt.

Primò igitur ſciendum Fratres de Pœnitentia, qui in Congregatione deguni tria vota eſſentialia emittere, & Patrum Minorum priuilegiis gaudere, vt conſtat ex Conſtitutione Pij V. quæ incipit, (Ea eſt officij noſtri) & idem de Sororibus dicendum: vnde in poſterum FRATRVM nomine vtriuſque ſexus pœnitentes intelligam.

Secundò hanc Regulam à Leone X. denuò fuiſſe ordinatam, ſecundò & tertiò aliquibus alteratis prout iudicatum expedire: nos vltimam, vtpotè præcedentium reformationem & correctionem exponemus. Hanc enim trium Ordinum Franciſcanorum Miniſter Generalis recepit: vulgari, & Tertiariis omnibus tradi curauit: quam primò edidit Coloniæ ann. 1619. Ioannes Kinchius ſub Monocerote.

REVERENDISSIMO D. D.

IOSEPHO COSTALTÆ,

MEDIOLANI APVD S. PETRVM

ABBATI MERITISSIMO, &c.

DOMINO ET AMICO SVO OBSERVANDISSIMO, &c.

S: P.

2001 Qualis Costaltæ Calamus?

PAVCIS hodie agam tecum (Reuerendissime & Eruditissime Costalta) vt saltem in aliquo tibi sim similis, qui pauca scribis, & multa paucis verbis comprehendis. Imitabor in primo pauca scribens; at in his paucis multa claudere, ne conabor quidem, nam hæc Sparta tuum genium & ingenium requirit.

De stylo Athenienſi & Laconico.

Differebat olim à Lacedæmoniâ Athenienſis Rhetorica, quòd affluëret hæc verborum & figurarum copiâ, conceptuum inops; illa auara verborum, conceptibus exuberaret. Priorem Magistri facilem iudicarunt; & illustrarunt ornatissimis libris, quos Oratores nostri in aduersaria sua transcribunt. At tam est difficilis posterior, vt illam non doceamur in libris; & qui à pueritiâ Laconicè loqui non didicit, non addiscet prouectior, *nemo enim*, vt ait Hieronymus, *labium mutare poterit annosi senis.*

De Lycurgi Rhetoricâ.

Hanc ob causam Lycurgus ab ipsâmet pueritiâ Lacedæmonas in verborum parcitate instituebat, desiderans, ne pauca multis, sed multa significarent paucis. *Docebat pueros*, âit Plutarchus, *vti oratione, quæ acrimoniam aliquam gratiæ admixtam contineret, pauciſque verbis multam in auditoris animo cogitationem excitaret. Nam Lycurgus, vti demonſtratum eſt, ferreum numiſma maximi ponderis, minimi valoris fecit, contrà numum (vt ſic dicam) orationis, voluit ſub tenui & exigua dictione multum, adeoque abundè ſententiæ complecti: multoſque pueros ſilentio ita inſtruxit, vt dicta eorum ſcita, reſponſioneſque eruditæ eſſent.* Inter huius verborum auariſſimæ sectæ professores, celeber videtur Phocio, de quo idem Plutarchus sic inquit. *Sermo ipſius ſalutaris erat, & in bonis animi cogitationibus exprimendis fælix, imperioſa* (impetuosâ) *quadam & auſtera, nulliſque condimentis edulcata breuitate contentus. Quod enim Zeno dicebat, Philoſophum verba priùs in animum demerſa proferre debere, id in Phocionis erat oratione, vt pauciſſimis verbis plurimum ſententiæ comprehenderet: eoque reſpexiſſe Polyeuctus-Photius videtur, Oratorem optimum Demoſthenem, Phocionem ſumma dicendi vi præditum dicens. Nam, vt numiſma exiguo pondere plurimum pretij continet, ita vis dicendi paucis vocibus multa indicat.*

Lacedæmonum numi.

Phocio Laconicus.

Stylus Philoſophorum, qualis?

De Demoſthene.

Extincta videretur hoc sæculo fulminea hæc scribendi vehementia, nisi indulsisset Cœlum, styli Phocionis hæredem. Opportunè Plutarchus cum numis Orationes composuit: nam sicut illi, si sint vilis metalli, onerant, & non ditant; si tamen aurei, quin nimium locum occupent, quin multum grauent, flauessas opulentas continent: sic similiter verba; sunt enim aliqua, ferrea, aspera, frigida, ponderosa, impolita, quæ licèt multa sint, vilis pretij censentur: cùm tamen alia contrà, aurea, læuia, viuida, suauia, compta, polita, quæ licèt pauca, sunt valoris eximij. Huiusmodi sunt omnia, quæ eloqueris; omnia, quæ scribis: quæ semel legendo nemo penetret; in quibus semper maneat aliquid, quod altera lectio percipiat.

Oratio numo ſimilis.

N. B. Adagio hoc, *Nequid nimis*, vtitur S. Benedictus in Regulæ c. 64. dicens *Prudenter agat, & nequid nimis.*

At (mi Costalta) nequid nimis. Laudo parcitatem verborum, at potest in excessu peccari, nimirùm, si ipsa parcitas modum excedat. Non debet calamus ita esse parcus, vt sit auarus. Amicis scribendum est sæpè, & vberiùs: sæpè, vt conseruetur familiaritas: vberiùs, vt charior & intimior fiat.

Locorum

Locorum interualla non tollunt amicitiam asserente Aristotele *lib. 8. ethic. cap. 5.* at illam raræ Epistolæ minuunt, nullæ delent: quoniam

Sæpè perîsse amor est per longa silentia visus.

Ergo, vt nostra Amicitia, quam ingeniorum proportio conciliauit, & similitudo studiorum conseruat, semper sit eadem; quos separant Prouinciarum spacia, coniungat litterarum frequentia: nam inter istos montes, dum territorium & & iurisdictio à vicinis inuaditur, à grassatoribus itinera Regia clauduntur, libertas & securitas periclitantur; dum Pallas, quæ litterarum Dea solebat esse, concitat vniuersos ad arma; tædiosam vitam agerem, nisi literis tuis leuarer, iuuarer, instituerer. Vt ergo occasio subsit, quæ Epistolas vberiores extorqueat, Commentarium hunc mitto; qui, si tibi placeat, mihi erit gratus, etsi multis displiceat. Illum attentè perlege: & siquid obscuriùs dictum sit, quod potuerit tutiùs aut benigniùs statui, me mone: & Deo, Ecclesiæ, Reipublicæ, Parnasso, Amicis viuas, saluus & incolumis ad multos annos. Dat. apud S. Angelum pridie Idus Iunias 1963.

Cur nõ Epistolæ esse debeant, & breues, & paucæ?

INDEX

BVLLA Leonis Papæ X. 2001. *An quis concupiscentiam dum vixerit, frænare poterit?* 2002.

CAPVT I. De Nouitiorum, seu Nouitiarum ingressu 2003. *An vestiri possit aliquis non confirmatus?* 2004.

CAPVT II. De his, quæ habent promittere fratres, & sorores in professione huius tertiæ Regulæ. De habitu, de forma professionis. 2005. *Nouitij Benedictini olim emittebant vota ante professionem, & in quem finem? An in nouitij approbatione omnes Fratres habituri sint vocem; & si habituri, ante decisiuam?* 2007. *Quid sit, mandatorum Dei obseruantiam promittere?* 1010, 2092.

CAPVT III. De ieiuniis. De laboratorib. 2011. *An die Natalis Domini, si in diem Veneris incidat, possint comedere carnes Tertiarij?* 2012. *Quid dicendum sit de Cisterciensibus?* 2013. *cur ipsi abstineant à carnibus diebus solemnibus?* 2014. *An communitas Cisterciensis, quæ vouerit abstinere à carnibus die Paschatis, possit illas comedere postridie?* 2015. *De ientaculo.* 2016.

CAPVT IV. De Diuino officio, & Oratione. De silentio. De missa audienda à Clericis, & Laicis, 2017. *An satisfaciat Missæ audiendæ præcepto, qui cum collateralibus garrit.* 218. *De examine conscientiæ vespertino.* 2019. *De Missa audienda diebus singulis.* 2020. *De concionibus, & concionatorum qualitatibus.* 2021. *An concionari mulier possit?* 2024. *An tertiarij conciones possint Sacerdotum sæcularium audire?* 2025. *An iuniores Tertiarij, non promoti ad maiores Ordines teneantur ad Officium Diuinum?* 2026. *An debeant singulis hebdomadibus cõmunicare?* 2027.

CAPVT V. De Prælatorum, & officiorum ordinatione. 2028. *Quæritur; An detur præuentioni locus? An Minister à Conuentu debeat, an verò à Prouinciale denominari?* 2029. *Præstet ne Ministros triennales, an perpetuos esse?* 1029. b.

CAPVT VI. De modo interiùs, exteriùsque conuersandi. De qualitate vestium, & de parcitate sermonum. 2030. *Damnatur omnis dissimulatio.* 2831. *Nemo sacer in aula.* 2031. *De choreis, & ludis.* 2032. *Iniurata veracitas.* 2033. *examen conscientiæ quotidianum.* 2033.

CAPVT VII. De visitatione, & cura infirmorum. 2034. *Superiores diebus singulis ægrotos visitare tenentur, & illos veram pœnitentiam monere.* 2035. *Cisterciensium mores.* 2036. *Teneaturne Medicus, an Prælatus ægroto dicere, quòd sit in notorio periculo?* 2037.

CAPVT VIII. De visitatione, quam Prælati debent facere circa fratres, & sorores. 2038. *Visitationum vtilitas.* 2039. *Cur in Patriarcharum Regulis carceris mentio nulla fiat?* 2040.

CAPVT IX. De mortuorum officiis. De exequiis faciendis. De recitandis pro defunctis. 2041. *An ad defunctorum suffragia moraliter Tertiarij teneantur?* 2042.

CAPVT X. De obligatione contentorum in Regula. 2043. De tribus votis. De clausura. 2043. *Aliqua de obligatione Regularum.*

S. FRANCISCI
TERTIA REGVLA.

Dilectis Filiis, Fratribus, & Sororibus tertij Ordinis B. Francisci sub tribus votis essentialibus in Congregatione viuentibus.

2002 LEO Papa X. Dilecti Filij, & Filiæ, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Inter Cætera nostro regimini credita, ea nos potissimè sollicitos reddunt, per quæ, frænatis mundi, carnisque concupiscentiis, innocentiæ, primæque pacis cœlitùs collatæ tranquillus status, ad suam primæuam reduci cognoscitur originem. ¶ Dudùm siquidem huius gratia Nicolaus Papa V I. prædecessor noster tertiam Regulam B. Francisci, quam de pœnitentiâ appellauit, per quam almus Confessor, homines vtriusque sexûs fideles, Spiritu Dei plenus saluare contendebat, confirmauit, & approbauit. Verùm quia temporis decursu, spirante illo Spiritu sancto, non solùm viri coniugati, mundique huius incolæ, pro quibus à B. Francisco præfata tertia Regula edita fuerat, verùm etiam innumerarum Virginum Chori tribus essentialibus, & à quibusdam etiam, clausuræ, nostra auctoritate assumptis votis, non sine militantis Ecclesiæ fructu multiplici, & ædificatione præfati Tertij Ordinis, iugo sua colla subdiderunt. Et quoniam in dicta Tertia Regula, quædam Maritatis accommoda, Cœlibi verò, Virgineoque statui sub huiusmodi Tertia Regula Domino famulantibus, nullatenùs decentia innectuntur, ob quæ castorum animorum nitidi affectus ab ingressu dicti Ordinis nonnunquam auertuntur, nos iuxtà Domini voluntatem, pretiosum à vili separantes eandem Tertiam Regulam in modum, qui sequitur distinctam, de nouo confirmamus, & approbamus, ac vobis, ac successoribus vestris seruandam transmittimus, cuius tenor sequitur, & est talis.

Tertia S Francisci Regula, eadem est ac illa, quæ *de pœnitentia* appellatur.

Quis illam composuit: & pro quibus?

Cur, & quomodo fuerit ab Apostolica Sede alterata & mutata.

COMMENTARIVS.

De concupiscentiâ.

SVb ipsum initium verba illa difficilia sunt: videlicet: Ea nos potissimè sollicitos reddunt, per quæ frænatis mundi, carnisque concupiscentiis, innocentiæ, primæque pacis cœlitùs collatæ tranquillus status ad suam primæuam reduci cognoscitur originem. *Quæ sic vrges. Vel frænare concupiscentiam, est illam eradicare, vel manentem cohibere, & remittere. Primùm dici non potest, ipsa enim, asserente Tridentino Concilio, ad agonem relicta, in hac vita remitti, & subigi potest, non tolli. Secundum etiam dici nequit, non enim homo ad primæuæ tranquillitatis statum concupiscentiæ remissione reducitur: cùm certum sit hominem innocentem ne remissam quidem habuisse. Igitur vt constet periodus, vel dicendum homines in hac posse vita concupiscentiæ ignem funditùs euertere, & extinguere; vel addendum, si nequeant, primùm hominem non caruisse peccati fomite nec concupiscibilis portionis incendiis, sed habuisse has naturæ imperfectiones in gradu remisso & ignobili, & gratiam in intenso, per quas posset passiones subiugare.*

An coerceri & remitti tantùm, an etiam extingui ipsa possit?

An homo integer infectus fuerit concupiscentiâ?

Sed non adquiesco. Hominem innocentem caruisse concupiscentia certum est; hanc non deleri & extingui baptismate, sed ad agonem nobis relinqui est æquè certum: & tamen periodus Decimi Leonis sustinenda. Dico igitur non asseri à Pontifice posse hominem in originali conceptum ad primæuum innocentiæ statum & tranquillitatem illam, quam habuit homo innocens, peruenire: posse tamen propinquiùs & propinquiùs accedere; nam & nos in cœlum tanquam in patriam tendimus, nec ante eò perueniemus, quàm corpore exuamur. Hoc significat verbum reduci *quoniam nec omnis qui ducitur finem attingit, nec principium omnis, qui reducitur. Et sanè Pœnitentia per vitæ veram innocentiam & sanctitatem, per aliqualem passionum pacem & tranquillitatem, nos ad cœlum Paradisum innocentiæ reducit, ad quem non aduenimus, ni priùs à tellure excedamus.*

Possumus propiùs & propiùs ad naturæ integræ trãquillitatem accedere: at nõ pertingere.

Quid verbũ *Reduco* significet.

Quæ ad aliquã classem reducuntur, ad illam primariò non pertinent.

CAPVT

CAPVT I.

De Nouitiorum seu Nouitiarum ingressu.

FRatres, seu Sorores ad hunc Tertium Ordinem recipiendi, debent esse fideles Catholici, de hæresi non suspecti, in obedientiâ Romanæ Ecclesiæ firmi, matrimonio non ligati, debitis expediti, corpore sani, animo prompti, nullâ vulgari infamiâ maculati; cum proximis reconciliati. Et de iis omnibus, antequam recipiantur, ab eo, qui recipiendi habet facultatem, sunt diligenter examinandi.

2003 Quales fratres & sorores esse debeant? An debeant qualitates hæ ante admissionem examinati?

COMMENTARIVS.

2004 An debeant Sacramenti Confirmationis recepisse.

ORiri statim dubium possit circa illa verba, In obedientia Romanæ Ecclesiæ firmi. *nimirùm, vtrùm eorumdem vi inhabiles sint; qui hunc Ordinem ingrediuntur, homines vniuersi, qui non receperint confirmationis sacramentum, isti enim iuxta phrasim Ecclesiæ firmi non sunt.*

Respondeo tamen verba non debere intelligi de Confirmationis Sacramento, & persuadeo. Quoniam strictiores alij Ordines requirunt qualitates, at Sacramentalem Confirmationem non requirunt; ergo nec Ordo iste Tertiarius. Dicẽdum est ergo illos dici in Ecclesiæ Romanæ obedientia, & religione firmos, qui cõstantes qui nullo modo infirmi, vacillantes, ambigui, siue ipsi sacramentaliter confirmati sint sine non sint.

Quinam vocentur *firmi*?

CAPVT II.

De his, quæ habent promittere Fratres & Sorores in Professione huius tertiæ Regulæ.

FRatres & Sorores postquam per vnum integrum annum habitum probationis detulerint (qui de vili panno arbitrio Visitatoris esse debet) si conuersatio laudabilis fuerit apud Conuentum in quo quis, vel quæ, habitum probationis portauerit: de consilio discretorum dicti Conuentus ad Professionem dicti Ordinis recipiatur. In qua Professione promittat seruare mandata Dei, ac satisfacturum de transgressionibus quas facere posset in futurum contra hanc tertiam Regulam, vbi à Prælatis requisitus fuerit, viuendo in obedientia sine proprio, & in castitate.

2005 Anno integro probari debent. Postea debet à Conuentu approbari. Quid ipsi in suâ Professione promittant?

COMMENTARIVS.

2006 An huius Capitis titulus sit benè positus?

IN titulo videretur alicui potius poni posse, De his, quæ debent, *quàm* de his, quæ habent: *sed mihi phrasis ista placet; habet enim veritatem reconditam, & certam. Nil enim debent absolutè Nouitij in Professione promittere, quoniam nec debent profiteri: at ex hypothesi, quòd profiteri velint, habent hæc promittenda.*

An aliquid Nouitij debeant ante vestitionem promittere?

In hoc nostri temporis Nouitij differunt à Nouitiis prisci æui, quod antiqui illi debebant in Professione promittere, isti habent: illi non poterant non profiteri, isti possunt. Debuisse illos stabilitatem ante vestitionem promittere constat ex cap. LVIII. Regulæ D. Benedicti, *& ex his, quæ in eius illustrationem addidi quibus adiungi potest ex Cæsario notabilis quædam historia. Ipse enim* Cap. XXV. libri Dialogorum I. *sic inquit.* [Miles quidam Bnecco nomine, de villa Palnisdorp oriundus mecum in probatione nouitius fuit, vir quidem ætate grandæuus, sed circa propositum Religionis minùs deuotus, multis modis tentatus, & in tentatione victus, cum non acquiesceret consilio Fratrum, sicut canis ad vomitum, sic miser reuersus est ad sæculum. Secundâ vice id actitans, præuentus infirmitate, in domo propriâ in habitu sæculari, diem clausit extremum, nullum pœnitentiæ demonstrans indicium. Qui cum moreretur, tantus fuit circa domum flatus vẽtorum, tanta super tectum multitudo coruorum, vt, exceptâ vnâ vetulâ, omnes de domo territi fugerent, & morientem desererent. Ecce quali morte moriuntur, qui à Deo recedunt. APOLLONIVS: Puto, quia flatus ille ventorũ, & turba crocitantium coruorum, euidẽs fuerit signum præsentiæ dæmoniorũ. CÆSAVRIVS. Planè ita est: ait enim Saluator, *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei.* Miles iste, quia per Apostasiam retrò respexit, de culpâ non pœnitendo, ministris gehennæ gaudium fecit.

Sicut in morte iustorum exhibet Deus signa, quæ adsistentiam Angelorum insinuent: ita in impiorum morte præsentiam Dæmonũ signis manifestis ostendit.

Historia lectione digna.

APOLLONIVS. Si tanta est culpa nouitio redire ad sæculum, quid est, quod S. Benedictus præcepit, vt perlecta regula, nouitio in hæc verba dicatur: *Ecce lex, sub quâ militare vis; si potest obseruare, ingredere: si non potes, liber discede?*

Porrò Nouitios Benedictinos olim in ipsamet vestitione vota emisisse certum est. Sed qualia, vota? Rimari veritatem hîc licet, nescio

CÆSA

autem, an adsequi liceat. Dici posset Nouitios siquidem ter spatio anni probationis sunt approbandi, ad quatuor menses vota emisisse: sed hæc historia aliquid grauius innuit; nam tempore quatuor mensium elapso, manssissent liberi. Emiserat ergo Bnecco professionem qualem *n.* 522. exposuimus, & ex monasterio non prudenter, sed temerè fuerat egressus.

CÆSAREVS, Mauult S. Pater inter duo mala nouitium discedere tempore Probationis quàm iam Monachũ post diem Professionis; vndè eum liberum vocat à loco, non à voto; vt enim taceam de his, qui iam habitum Religionis induerunt, qui semel, ac secundò in facie Capituli stabilitatem suam promiserunt; sæcularibus personis, quæ solo verbo votum fecerunt inter manus Abbatis, nequaquam licitum est vitam sæcularem sectari, vel matrimonio ligari. Circa Nouitium, in necessitate Dominus Papa dispensat, vt ad Ordinem transeat mitiorem; sed non permittit, vt ad vitam redeat sæcularem. Ex his, quæ dicta sunt dignoscere poteris, quosdam conuerti sola vocatione Dei, alios solo instinctu spiritus maligni, nonnullos quadam leuitate animi. Quod autem quidam conuertantur per ministerium aliorum, certum est; quia sicut olim in tabernaculo Dei, cortina traxit cortinam, ita hodie in Ecclesia Dei, frater trahit fratrem, & hoc tribus modis, sermone videlicet, oratione, exemplo Religionis; Ecce funiculus triplex, qui difficile rumpitur.] *Huc vsque Cæsareus.* Vtor editione Colonienſi anni 1599. & lego in margine. *Author hic loquitur de Nouitiis, voto aliquo obligatis.*

2007 An probatio sit annua?

Annus probationis debet esse integer; *constat ex illis verbis*, Postquam per vnum integrum annum habitum probationis detulerint. *Vide quæ dixero in simili materia superius* num. 463.

2008

QVÆRITVR, *An in Nouitij approbatione omnes confratres habituri sint vocem, & si habituri, an merè consultiuam?*

An omnes habeant vocem actiuam in approbatione Nouitiorum?

Regula D. Benedicti Cap. III. iubet vniuersos consuli in rebus maioris momenti, & cum grauius sit vnum fratrem incorporare Ordini, quàm fundum dare, certum omninò est Abbatem, qui hoc secundum sine suorum consilio facere nequit, nec posse inconsulta Communitate Nouitium ad professionem admittere. At iuxta Tertiariorum Regulam, quam expono non omnes Fratres, sed solum sunt Discreti conuentus consulendi, vt ad professionem dicti Ordinis suscipiatur.

2009 An voces merè consultiuæ, an etiã decisiuę sint.

Sed eorumdem vox eritne merè consultiua? Respondeo, esse standum rigori litteræ, & dicendum, Discretos habere vocem decisiuam. Ratio est, quoniam iuxta idiomatis Latini proprietatem aliud est, Rem facere consulto Petro, *aliud, & omnino diuersum*, de consilio Petri: *hoc enim vltimum significat ita rem fieri, vt Petri consilio subscribatur. Ergo cum Leo Pontifex iubet Nouitium ad Professionem* de Discretorum consilio promoueri, *his concedit decisiuum suffragium, vultque ita illum admitti, vt horum stetur iudicio, atque consilio subscribatur.*

1010 Quid importent illa Professionis verba, *Promitto seruare mãdata Dei?*

QVÆRITVR *etiam*, Quid sit promittere mandatorum Dei obseruantiam? *Quoniam, si verba valent quantum sonant, videretur necessario dicendum, Tertiarium, qui occidisset, aut mentitus fuisset, duplici titulo peccasse, nempè contra præceptum, ad quod materia illa spectat, & contra hanc Professionem. Sed existimo hæc ipsa verba benigniùs fore interpretanda, quoniam malè exponentur, si ita, vt contradicant sequentibus, & similibus loquendi formulis non cohæreant. Quamobrem in hac formula.* Promitto seruare mandata Dei, ac satisfacturum de transgressionibus, quas facere possum in futurum contra hanc tertiam Regulam, vbi à Prælatis requisitus fuero: viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate, *Illud*, ac, *videtur poni loco*, aut, *& sumi debere disiunctiuè, quod etiam in S. Benedicti Regula non rarò reperiri in tabula speciali ostendo. Quamobrem existimo huius professionis vigore teneri Tertiarios ad tria substantialia absolutè, ad reliqua, quæ Dei lege interdicta, teneri virtute Decalogi, & ad acceptandam pœnitentiam, si corripi propter illa contigerit ratione Regulæ. Hanc meam resolutionem Caput X. confirmat, vbi expressè dicitur*, in præsenti Regula ..... nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale, nisi humano, vel Diuino iure aliquis aliàs esset obligatus, obligantur tamen Fratres, & Sorores facere pœnitentias sibi à Superioribus impositas, ... obligantur etiam ad tria vota essentialia, &c. *quæ omnia non essent vera, si totum Decalogum ipsi promitterent, & demonstratur. Quoniam si ex vi Professionis aliquis teneretur non occidere, & tamen occideret, duo peccata mortalia committeret, alterum contra quintum Decalogi præceptum, & alterum contra votum. Et hoc secundum vi Professionis contenta in Regula. Falso ergo diceretur nihil in Regula præter tria vota essentialia, & acceptationem pœnitentiarum obligare sub culpa.*

Particula *ac* ponitur interdum pro *aut*.

Quænam in hac Regulâ obligent ad mortale?

An, qui occideret, duo peccata cõmitteret?

CONFIRMATVR. *quoniam altera Tertiariorum, qui degunt in suis domibus, Regula lenior, & benignior, eamdem quoad hoc formulam professionis indicit, & tamen moralem obligationem non agnoscit, Formula, quæ in Capite II. dictæ secundæ Regulæ ponitur, est hæc.* Promitto me Diuina præcepta omnium seruaturum, ac etiam satisfacturum, vt conuenit, de transgressionibus, &c. *Vi cuius videretur homicidium obligare sub nouo peccato, & tamen in Capite XX.* In præmissis omnibus, *ait Pontifex Nicolaus*, ad quæ Fratres vestri Ordinis, non ex diuinis præceptis, vel statutis tenentur Ecclesiæ, nullum ipsorum ad mortalem culpam volumus obligare. *Obligaret tamen ad mortale si homicidium sub voto comprehenderet; quod enim sub vno sæculares peccato, Tertiarios sub duplici obstringeret.*

Quomodo proficeantur Tertiarij, qui non habitant in cõmuni?

Quomodo obligentur?

ITERVM, *Quia Tertiarios rigidiorem, & strictiorem vitam agere, quàm Carthusiani, nemo dicet, at deberemus id omnes dicere, si Deo promitterent se seruaturos esse totum Decalogum: ergò hoc non promittunt absolutè, sed conditionatè; hoc est, aut seruaturos, aut admissuros pœnitentiam. Probatur minor, Quoniam Carthusianus sola lege DEI, adeoque sub vno peccato tenetur Amare DEVM, non admittere Idola, non peierare, non occidere, non mentiri, & Tertiarius teneretur ad vniuersa, & singula strictiùs, nimirum lege duplici, hoc est ratione Decalogi, & voti. Quæ omnia mihi videntur non esse admittenda.*

An Tertiariorum Ordo sit Carthusiano strictior?

Fateor posse institui in Ecclesia Religionem, in qua præter tria vota etiam Religiosi voueant se non esse peccaturos mortaliter, sed hanc iudicarem strictiorem illis, quæ hodie florent. At Tertiariorum Religio, si littera professionis acci

An posset institui nouus Ordo, in quo Religiosi se non esse vllum mortale peccatũ cõmissuros, profiterẽtur.

accipienda est vt sonat, præcipit, vt Nouitij in professione voueant, non solum se non esse amplius peccaturos mortaliter, sed nec venialiter; iubetur enim mandatorũ DEI obseruantiã promittere, cùm tamen etiam venialia opponi censeantur mandatis. Promissio autem de vitandis omnibus peccatis venialibus stando naturæ corruptæ fragilitati de impossibili est; adeoque non obligatoria, vt Theologi affirmant.

Quid de venialibus?

Stet igitur Professionis formulam benè fuisse à nobis expositam, nec debere, aut posse aliter explicari.

CAPVT III.

De Ieiunio.

FRatres, & Sorores, perpetuis temporibus feriâ secundâ, quartâ, sexta, & Sabbatho, (excepto Dominicæ Natiuitatis festo) carnes non comedant. Et à festo omnium Sanctorum vsque ad Resurrectionem Domini omni feriâ quartâ, & sexta ieiunare teneatur. Ac similiter qualibet sexta feria totius anni. Item à festo Beati Martini vsque ad Natiuitatem Domini ieiunent quotidie, iuncta Quadragesima vniuersalis Ecclesiæ vsque ad Resurrectionem Domini, quam tamen à Quinquagesima incipere debent. Diebus verò, quibus non ieiunatur, bis tantum die dumtaxat comedant: Excepto, quod à festo Paschæ vsque ad mensem Octobris laborantes pœnoso seu graui labore, ter in die refici poterunt, ieiuniorum semper diebus exceptis. Poterunt autem itinerantes, infirmi, debiles, tempore necessitatis ieiunium soluere.

2011 Quibus diebus ieiunare teneantur?

An diebus, quibus non ieiunant, possint pluries comedere?

An in itinere à ieiunio excusentur?

COMMENTARIVS.

2012 An Natiuitatis die, si in feriam sextam incidat; possint comedere carnes?

DOminicæ Natiuitatis solemnitas à ieiunio seculares excusat, permittitque carnes, etsi in diem Veneris incidat: huc videtur Pontifex respicere, cum hunc excipit diem, adeoque existimo Tertiarios posse carnes comedere die Veneris, si in illum hanc incidere solemnitatem contingat. Et ratio est, quia iure Regulæ, nec tenentur illa die ieiunare, nec à carnibus abstinere: vnde cùm ex alia illos parte Romana Ecclesia ab abstinentiæ præcepto liberet, superest eos posse illa die carnibus vesci.

2013 Quid de Cisterciensibus dicẽdum sit?

Sed instat difficultas notabilis, quæ quoniam aptiorem locum habere non potuit, in præsentiarum debuit examinari. Peto, an Cistercienses die illo Veneris, in quem Dominicæ inciderit Natiuit. solemnitas possint edere carnes?

Ecclesiæ præceptum cessat die Dominicæ Natiuitatis.

Et respondeo Romanam Ecclesiam in lege à se posita dispensare, alias vniuersas relinquens. Vnde, qui voto, aut lege speciali obligantur singulis diebus Veneris ieiunare, bifariam peccaturi sunt, si talibus diebus carnes comedant, nimirùm contra Ecclesiæ præceptum, & contra illam specialem legem, quæ supponitur. at die Natalis Domini cessat lex Ecclesiastica, & sola manet illa obligatio specialis. Cistercienſis igitur [idem dicito quoad hoc de Franciscano] *qui comederet carnes die Veneris Dominicæ Natiuitati sacro, non est dicendus peccauisse contra Ecclesiæ præceptum, sed contra Regulam; & idcircò id ipsum altiùs examinandum.*

S. Benedicti Regula carnes inhibet.

Stando soli Benedictinæ Regulæ ab omni dispensatione, & priuilegio præcisa, adhuc duæ sunt Authorum illustrium sententiæ. Prior asserit illam ante Abbatis speciale præceptum obligare ad veniale, quod non puto; alia solùm ad pœnam. Consultò illud speciale fuit positum; existimo enim contra voluntatem Abbatis Regulam, ne quidem obligare pœnaliter. Posterior ponit communẽ eiusdem Regulæ obligationem esse mere pœnalem, quod & credo; totam enim efficaciam, quam habet Regula, capit ab Abbatis decreto: & Superiores semper præuaricantes puniunt, nec impunè tolerant obseruantias regulares omitti. Supponendo igitur Priorem sententiam, peccaret venialiter Benedictinus, qui carnes tali die Natiuitatis comederet; & supponendo posteriorem, peccaret tantummodò pœnaliter, & in sententia vtraque posset Abbas in culpa illa veniali, aut pœna lata dispensare. [Franciscanus peccaret mortaliter, quia grauiter à Regula obligatur.)

An abstinentia obliget ad veniale?

At hodie habemus Benedictinam Regulam condecoratam Pontificiis fauoribus, & priuilegiis, & inter alios vniuersis conceditur, vt ter in hebdomada edant carnes: nimirum, tribus diebus, qui Ecclesiasticæ abstinentiæ præcepto impediti non sint; cùm igitur illa dies Veneris non sit Ecclesiastico impedita præcepto, est apta, vt in illa vti possimus priuilegio, & comedere carnes. Hoc de singulis priuatim consideratis dixerim, non de Communitate: nam die Mercurij huius priuilegij prætextu carnes non dantur: ergo ita illud Superiores intelligunt, vt diem Mercurij excipiant. Ergo à fortiori feriam sextam & sabbatum. Ergo, si in feriam quartam, sextam aut Sabbatum solemnitas Natiuitatis incidat, Communitati debent carnes non dari.

Hoc æquo ter in hebdomada carnes comedimus ex priuilegio. Resolutio de particularibus.

2014 An laudandi sint Benedictini Belgæ, qui in solẽnioribus diebus à carnibus abstinẽt?

His positis Belgarum mores proponis, & examini subijcis: Dicis enim in Cistercienſibus Belgij Cœnobiis solere abstinere à carnibus Religiosos Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, & B. Virginis solemnitatibus, & dubitas: An sit laudandus talis mos, cùm enim tota Ecclesia ob reuerentiam, & iubilum carnib. vescitur, videtur intempestiua, & importuna abstinentiæ tristitia, quæ est apud Cistercienses; qui viderentur sanctiùs procedere, si aliorum se ritibus accommodarent.

Sed respondeo non eò tendere Cistercienſium

Laudabile est Regulam ad literam seruare.

rigorem, vt velint Natalem Christi diem, Pascha, & solemnitates reliquas ieiunij festiuitate celebrare, cùm nulla sit in ieiunio prudentum opinione festiuitas. Sed illos hoc modo discurrere cum in huiusmodi solemnitatibus à carne abstinent: Aliis diebus Regulam seruauimus minus exactè, multum humanæ fragilitati indulsimus, multum priuilegiis Pontificiis concessimus, at solemnibus diebus opus vita perfectior; Regulam igitur his diebus seruemus accuratè, omni priuilegio, & mitigatione cedentes. *Cùm igitur bonum sit diebus solemnioribus Regulam ad litteram seruare, cumque Regula ad litteram sumpta carnes solis ægris concedat, hinc est, quod per accidens Cistercienses Belgæ a carnibus die Natalis, Paschatis, & aliis similibus abstineant, quin propter hoc incurrant notam aliquam singularitatis.*

2015 An die Lunæ comedendi carnes vti priuilegio possimus?

Antequam deponam calamum casum vnum valdè necessarium subijciam. Communitas A. Cisterciensis vouit legitimè, & validè abstinentiam à carnibus die Paschatis, & dubitat, an illas comedere possit postridiè?

Respondeo primas in Belgio carnes post Quadragesimæ abstinentiam comedi die Martis, hoc tamen ex deuotione fit, vt vel mortificetur appetitus, vel conseruetur quadragesimali ieiunio adquisita mortificatio. At puto in casu posse carnes comedi die Lunæ, & ratio est manifesta, Quoniam, cum fruamur priuilegio comedendi carnes tribus diebus, illasque de facto comedamus die lunæ [sic fit in tota Hispania & Italiâ] cum dies martis aut iouis impeditur, illas etiam poterimus die lunæ comedere, si Dominica impedita sit. ET HÆC de nostris legibus sint dicta; ita enim volo leges alienas exponere, vt nostras dilucidem; sic nostras, vt & alienæ lucem habeant.

Vtuntur Itali & Hispani de facto.

2016 An sumere jentaculum deceat?

Legant illam huius Capitis lineam: videlicet, Diebus verò quibus non ieiunatur, bis tantùm die duntaxat comedant, *Abbates illi, si qui sunt, qui permittunt serotinas & matutinas reficiunculas publicè in refectorio; pudeatque Tertiarios videri hac parte modestiores Monachis.*

CAPVT IV.

De Diuino Officio & Oratione.

2017 De silentio.

FRatres & Sorores in Ecclesia seruent silentium, præsertim quando Missa celebratur, vel sermo Dei proponitur. In aliis verò locis, seruent quod per suos Superiores circa silentium illis fuerit ordinatum. Debent etiam quolibet die in sero intra se & Deum cogitare quod fecerint, dixerint, vel cogitauerint. Quolibet autem die (si potuerint commodè) debeant audire Missam. Et procurare debent, quod habeant virum religiosum, qui illis verbum Dei certis diebus proponat, & eos ad pœnitentiam, & virtutes inducat. Illi autem vel illæ, qui vel quæ Horas canonicas sciunt per se dicere, debent Horas Canonicas secundum vsum sanctæ Romanæ Ecclesiæ persoluere. Qui verò Horas Canonicas nesciunt dicere, dicant duodecim *Pater noster* pro Matutino, & pro qualibet aliarum Horarum septem, addito *Gloria Patri*, in fine cuiuslibet *Pater noster*, addito etiam *Credo*, & *Miserere mei Deus* in principio Primæ & Completorij. Et qui præmissa nescierit, ter *Pater noster* pro pœnitentiâ dicere debeat. Quoties autem prandium vel cibum sumunt, gratias Deo reddere debent. De confessione verò Sacramentali, & Sacra communione sumenda, seruabunt Ordinationem Nicolai Papæ IV. quod ter in anno confiteantur, atque communicent, vel etiam Statuta à suis Superioribus super hoc ordinata.

De examine conscientiæ. De audienda Missâ. De concione. De horis Canonicis. De gratiarũ actione post mensam. De confessione & cõmunione.

COMMENTARIVS.

2018 Qualis attentio ad audiendũ Missam requiratur?

MVltæ in hoc Capite Leges ponuntur; PRIMA *de silentio, de quo ego* à n. 1287. *& quia Leo Papa illud cum Missæ auditione composuit, interrogas,* An satisfaciat Missæ audiendæ præcepto, qui cũ collateralibus garrit? *Et ego respondeo negatiuè. Quoniam vi præcepti ad attentionem teneor saltem extrinsecam, quam non pono, cùm extrinsecùs distractus sum. Qui enim dicimus attentionem ad satisfaciendum Horarũ Lectioni aut Missæ auditioni non requiri, agimus de attentione intrinseca, non de extrinseca; hanc enim præcipere potest Ecclesia. Nota tamen hanc attentionem vi præcepti Ecclesiastici, non autem vi huius Regulæ graniter obligare, adeoque neminem teneri habere attentionem extrinsecam diebus ferialibus, imò nec diebus festis, si prætermissâ ad quam ex præcepto tenetur, aliam ex deuotione audiat.*

Qualis ad Officium Diuinum?

Secunda est de examine conscientiæ vespertino, quæ valdè necessaria est. Huic propositum matutinum respondet; non bene enim vitam examinamus, si legem nobis non indiximus. Matutino ergo tempore, cùm quis vigilat, Horas Canonicas illa pulcherrima petitione præueniat; videlicet, (Actiones meas quæsumus Domine, adiuuando, præueni, & adspirãdo prosequere, vt omnis hodierna actio à te incipiat, & per te incepta finiatur.) *Postea illius diei obligationes [vnusquisque suas ignorare non potest] meditetur; speculetur, qui debeat singula facere, vt in singulis maiorem Dei gloriam & animæ suæ lucrum intendat. Vniuersa igitur minutim contemplando, humiliter Dei fauorem implorandi sibi ephemeridem, seu illius diei legem indicat, quâ sub nouâ culpâ obligari non velit, quam exactè obseruare proponat.*

1019 De vespertino examine, & matutino proposito.

Prouidentia & præscientia Monastica.

Et

Et vespere recogitet totum diem illum, videatque, an steterit matutino proposito; &, si quid bene fecerit, Deo gratias agat; sin minus, doleat, & sibi aliquam proportionalem pœnitentiam imponat.

2020 De Missa.

TERTIA est de Missa audienda diebus singulis: indecens enim esset à Religioso omitti, quod vix omittitur à male-morato sæculari.

2021 An conciones debeant esse frequentes?

QVARTA de audiendo verbo Dei. Condemno in hoc multarum sanctarum Communitatum negligentiam, quæ dicuntur satis esse oneratæ, nec posse concionibus obrui. Sanè, sicut corpus, sic etiam animus indiget alimentis; & verbum Dei est panis viuus, sine quo arescit sub initium anima, deliquia tandem patitur, & tandem moritur. Sed nec laudandæ, quæ omnibus, nullo excepto, imponunt obligationem concionandi, non enim omnibus datum vtiliter, & salubriter posse. Aduenerat olim Madritum D. Angelus Manrique Cisterciēsium apud Hispanos Generalis, & à regni Primoribus, vt moris, visitatus, requiritur, vt Patrem N. denominet concionatorem illius vrbis. Quid Vir optimus faceret? non erat ille, qui tantum onus subire congruè posset; non erant illi, quibus aliquid negari deberet; vt vtriusque satisfaceret, vrbanissimè & prudenter respondit. [*Duo à se postulari longè diuersa; nimirum, & quod Titium faciat Concionatorem, & quòd illi permittat habere conciones in vrbe. Illud prius humanam excedere potentiam, & à solo Deo solere concedi, adeoque non se, sed illum esse orandum. Cumque secundum præstare sibi illicitum, quousque Deus præstiterit primum, se inducias petere; & tamen polliceri humanitus locum petitum, cum primùm concionaturo Titio data fuisset scientia necessaria diuinitùs.*]

An omnes concionari sciant?

Historia curiosa, lectu digna.

2022 S. Benedicti sententia.

Sanè inconsultum fore, vt omnes & singuli in Communitate Religiosi sine delectu concionentur, monstrari efficaciter poterit ex Regulæ Benedictinæ Capite XXXVIII. Ibi sic. Fratres, non per ordinem legant, sed qui ædificent audientes. *Quam periodum sic vrgeo. Maior omninò prærequiritur ad concionandum scientia, quàm ad legendum, at D. Benedictus non permisit omnes & singulos in Refectorio aut Choro legere; ergo à fortiori id de Concionatoribus erit dicendum.*

2023 Qualis esse debeat Concionator.

Hinc patet meritò Tertiariis iniunxisse Pontificem quod habeant Concionatorem, non qualemcumque, sed virum religiosum, qui illis verbum Dei certis diebus proponat, & eos ad pœnitentiam & virtutes inducat. *Verba sunt formalia Leonis X. & singula digna ponderatione.*

Statuendo Concionatorem debere Virum esse, excludit aliquorum abusum locorum, in quibus permittuntur fœminæ concionari. Videtur fœminina doctrina esse fœminis, & viris gratior: illæ enim gaudent cum audiunt eruditionem proprij sexus, & sibi committi magisterium à tot sæculis sine intermissione negatum; isti libentiùs audiunt sirenas dura proponentes quàm hirsutos homines suauia; ita fragiles vt malint fœmineum rigorem sequi, quam suauitatem masculam. Vbi nemo non videt magna latere inconuenientia; cùm negari non possit Concionatrices, & superbiam fœminarum augere, & lasciuiam virorum; & quod peius, vtramque sub virtutis specie. Ego sanè nunquam adeò dementem vidi fœminam, quæ suggestum adscenderet, hoc enim illi sexui grauissimè interdictum est, vidi tamen Doctrices, quæ instruere præsumerent Concionatores, quæ dicta carperent, dicenda suggererent, iudices spontaneæ in dictione, & sententia præcipites. Vidi etiam, quæ haberent spirituales exhortationes in Excellentissimarum Principum domibus, Monialium monasteriis, & aliis locis piis quibus patientiam suadentibus, qui diceret non esse mulierum concionari, Medeas, Circesque experiretur, putaretque esse aliquas Dæmones subterraneas humano generi turbando immissas. Igitur siquidem fœminea dictio rarò prodest, & semper aut ferè inficit, tutius illis cantilenas profanas, quàm verbi Dei interpretationem committes.

Abyssus abyssum inuocat, & ab hæresi antiqua noui errores nascuntur, nã in Angliâ gubernante Cromvvelio, fœminæ fuerunt in Ecclesiis, concionari permissæ.

2025 Quid nomine *Viri religiosi* intelligendum sit?

Cùm iubet Pontifex conciones audiri à Religioso, interdicitne Tertiariis, vt verbum Dei audiant à Concionatore sæculari? Non puto. Vir religiosus dicitur, bene moratus, cuius vita etiam prædicat; Peccatori enim dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & adsumis Testamentum meum per os tuum? *Fœminæ sanè conciones interdixi: & dubito, an præstaret expositionem verbi Dei bene moratæ fœminæ, quam viro scandaloso permittere. Procurent igitur huius tertij Ordinis professores Virum, cuius eloquio vita consonet, multum enim addiscimus, cum & linguam audimus, & vitam concionari videmus.*

2026 De Officio Diuino. An Moniales, & Iuniores ad sacros ordines nondum promoti priuatim orare teneantur?

QVINTA huius Capitis lex Officium diuinum concernit, & quia legisti superiùs num. 1343. *diuersas Theologorum sententias, & audiuisti Eugenium Pontificem Maximum declarantem Moniales & Religiosos Cistercienses ante Abbatis præceptum ad Horarum lectionem non teneri, qui Tertiarij teneantur, inuestigas.*

Suppono non esse quæstionem de promotis ad maiores Ordines, quoniam Subdiaconos altiore titulo credimus obligari; sed de fœminis, aut etiam viris, qui in sacris non sunt, & assero, vtrosque teneri regulariter, hoc est, pœnaliter. Capite enim decimo huius Regulæ lego, illa omnia quæ in toto hoc diplomate tradita, non esse obligatoria ad peccatum mortale vel veniale, nisi humano vel Diuino aliàs iure aliquis esset obligatus. *Quid si in aliquo Monasterio fuerit legendi Officij admissa, aut indicta obligatio, erit præterregularis, & specialis illius loci, quod non discutio, qui doctrinam generalem & omnibus communem trado.*

2024 An fœminæ concionari queant?

De confessione & communione.

SEXTA & vltima lex, sic intelligi debet, vt Tertiariis iubeatur ter in anno confiteri & sacram communionem recipere, & idipsum singulis diebus Dominicis facere cōsulatur. Quorsum enim tenderet illa examinis quotidiani perfectio, si non deberent pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta frequentari? Fortè Pontifex iubet, vt ter in anno solēniter Sacramenta recipiant, Confessariorum prudentiæ committens, an priuatim & sine solemnitate debeant singulis hebdomadibus semel, aut pluries communicare. Experientia enim docet pœnitentibus hominibus nihil vtilius, quàm frequenter accedere ad Sacramentum pœnitentiæ; nihil fructuosius, post bonam confessionem, quàm refici pane cœlesti.

CAPVT V.

De Prælatorum & Officiorum ordinatione.

2028 De Prælatis.

QVælibet domus, si Monasterium virorum fuerit, habebit Superiorem istius fraternitatis, qui *Minister localis* appellabitur. Si verò mulierum, *Mater* dicetur. Et elgientur per suos Conuentus, vel instituentur per suos Prouinciales Superiores seu Visitatorem Generalem. Ita tamen quòd nullus sit perpetuus, sed certi temporis. Qui Ministri & Matres obedient per omnia, quæ ad præsentem Regulam spectent, Prouincialibus Ministris Ordinis Minor. B.Francisci, & Visitatoribus deputatis ab ipsis Ministris, quandiu in dictis Officiis fuerint. Quo ad vero alia officia intra Domum, seruabunt statuta sua.

Quibus sint subditi?

COMMENTARIVS.

2029

VIdes *Matris in Sororum, Ministri in Fratrum Monasterio electionem committi, vel Conuentui, vel Prouinciali, vel Generali Visitatori. Et inquiris*, An hic detur præuentioni locus, ita vt ille Minister, illa Mater sit, priùs electus vel electa? An penes Conuentum erit eligere Superioris denominandi modum? An Prouincialis poterit nominare Matrem aut localem Ministrum; aut si id nolit, Conuentui liberam actionem concedere? An si tres essent electi, vnus à fratribus, alter à Prouinciali, tertius à Visitatore aut Commissario Generali, hic vltimus esset verus Monasterij Minister, & non alij.

Quomodo Superiores huius Ordinis sint eligendi?

Respondeo iniuriam facere Summo Pontifici, qui ita illius leges interpretatur, vt videantur schismati, & inobedientiæ fauere; Regula enim esset irregularis, si subditis indulgeret insultare impunè Superioribus; quam ob rem iudico primò standum consuetudini & cuiuscumque Monasterij bonis moribus, isti enim habentur loco legum. Iudico secundò debere in dubio exspectari Superioris imperium, quoniam tametsi reliqua esse dubia dicantur aut fingantur, subditos debere obedientiam Prælatis, his commissas esse Ecclesiasticas leges, vt custodibus, interpretibus & dispensatoribus, dubium non est.

Quomodo Bullæ exponi debeant?

Standum est cõsuetudini.

Obediendũ Superioribus est.

Progrederis, & quia Summus Pontifex iubet ne Ministri, aut Matres sint perpetui, Præstetne Superiores esse triennales, aut quadriennales, quàm perpetuos; *inquiris.*

Vtri vtiliores Prælati sint, temporanei, an perpetui?

Huic ego olim sub distinctione controuersiæ respondi. Quoniam, si bona temporalia respicimus, nemo Princeps non depauperabitur, si habuerit triennales Oeconomos, & Gubernatores; adeò expedit Administros, & rerum temporalium Rectores esse perpetuos. Nec contrà militat malum & perpetuum pernitiosè coniungi: scimus enim malos cum facilitate deponere. At si animabus consulatur, multa mala æternitas Abbatum parturit, præcipuè in locis, in quibus à Monasterio in Monasterium transitus enim difficilis. Vide disp. CXX. n. 1491.

Quod prodest œconomiæ, hoc ædificationi morum nocere solet.

CAPVT VI.

De modo interiùs exteriusque conuersandi.

2030 Vt Religiosis his vitam pœnitentem persuadeat, argumentum à nominis ratione desumit.

CVm Fratres & Sorores huius Fraternitatis dicantur *de pœnitentiâ*, oportet eos ab omni curiositate, tàm in vestibus, quàm in aliis quibuscumque abstinere. Et iuxta Apostolicum Principis B.Petri salubre consilium, depositis cæteris vanis huius sæculi ornamentis, nullum ornamentum corporale portare debent, nisi solum humile, & necessarium tegumentum corporis sui. Debent etiam ab accessu Curiarum, Principum, Dominorum, seu Dominarum, vbi mollia huius mundi (Domino testante) habentur, omninò cauere. Nec vllo vnquam tempore choreis, ludis, iocis, & aliis histrionum vanitatibus interesse. Debent quoque esse parci in verbis, & locutionib. quæ rarò sine peccato multiplicantur: Et super omnia ab omni mendacio, & iuramento quocumque iuxta mandatum Domini, nisi pro pace, fide, calumniâ & testimonio perhibendo, cauere debent. Et omni die in sero, inter cætera, debent examinare se, si vel mendacium, vel iuramentum aliquod fecerint, & per quolibet, tet *Pater noster* dicere debent.

Principum interdicit palatiis.

Parcitatem in verbis suadet.

Iuramenta, etiam vera, inhibet & castigat.

COMMENTARIVS.

2031 Contra hypocritas.

LEgimus *in apophthegmatibus veterum*, Æthiopi *pretiosius ornata, quàm deberet, faciei turpitudinem fucata albedine tegenti, & membrorum deformitatem ditissima veste dissimulanti fuisse dictum*, Appareto, quod es; vel esto, quod appares. *Quod verè dici etiam posset*

De Sarabaitis.

posset cuicumque Religioso sub cucullo monastico animam secularem gerenti. Hunc Sarabaitam *nominat S. Benedictus primo Regulæ capite, & docet tali dignum vocabulo*, qui nulla regula approbatus (*sanè nulla approbatur, si quam promisit, non obseruat*) nec experientiæ Magistri sicut aurum in fornace (commissus) sed in plumbi naturâ mollitus, mentiri Deo per tonsuram dignoscitur; *quoniam huiuscemodi homuncio interiùs damon, exteriùs Angelus; nec apparet quod est, nec est, quod apparet. Non est malum* Sanctum *dici aut videri; at malum sanctitate carere, & nomen sanctitatis ambire. S. Benedictus Capite IV. Regulæ*, Non velle dici Sanctum, antequam sit, *persuadet Monacho*, sed forè Sanctum priùs, vt veriùs dicatur, *cui videtur noster Pontifex impræsentiarum consonare, ait enim*, Cùm Fratres & Sorores huius Fraternitatis, dicantur de pœnitentia, oportet eos ab omni curiositate tam in vestibus ac in aliis quibuscumque abstinere; &c. *Ac si diceret, oportet eos esse quales dicuntur, nec mentiri nomine hominibus, vitâ Deo; non enim debent velle dici pœnitentes antequam sint, sed priùs veram agere pœnitentiam, vt verè posteà pœnitentes dicantur.*

Cura vt Sanctus sis, non autem vt Sãctus dicaris.

Noli esse pœnitens secũdum dici.

Et quidem prudenter noster Leo inhibet Pœnitentibus suis Palatia Principum, quoniam, qui mollibus vestiuntur, in domibus Principum sunt, quibus non indigent, qui pœnitentiam agunt, & sunt paucis contenti. Mihi sanè vita aulæ suspecta, & licèt à me nonnunquam frequentata, amata nusquam: omnium. enim legum potentissima est Necessitas, & negotia alibi expediri non possunt. Pœnitentiæ nomine, quo insigniuntur, Tertiario, monet paterna Pontificis pietas, & me etiam meo ipso nomine cœli benignitas. IOANNES CARAMVEL *enim anagramaticôs est*, NEMO SACER IN AVLA. *Et quia inuersionis laudo fœlicitatem, nominis ipse mei recordari non potero, quin putem non Tertiariis modò, sed & mihi dictum*, quòd debeam etiam ab accessu Curiarum, Principum, Dominorum, seu Dominarum; vbi mollia huius mundi (Domino testante) habentur, omninò cauere.

Cur iubeat Pontifex ne Principum aulas frequentent.

Ioannes Caramuel Ἀνάγραμμα. Nemo sacer in aulâ.

Subsequuntur hæc verba, Nec vllo vnquam tempore choreis, ludis, iocis, aut aliis histrionum vanitatib. interesse. *Et quia varia sunt hominum iudicia; quid sit me consule de huiusmodi nugis iudicandum, inquiris.*

2033 An omnes choreæ malæ?

Et respondeo, dari lasciuas & honestas choreas; illas nullo vnquam tempore instituendas aut permittendas, has posse in aliquibus solemnitatibus. Addo tamen Ecclesiasticis personis, & à fortiori pœnitentibus, posse etiam honestas interdici; quoniam & ipsæ lasciuis sunt similes, & videmus eò humanam fragilitatem deuenisse, vt humilitas sit superbiæ, & castitas sit materia lasciuæ. solent enim aliqui superbire quod se putent humilitate præditos, & castæ, quod illibatæ sint, impurè amari; amor. enim lasciuus à bonitate adycitur (nemo amat mala) & cùm casta sit pulchritudo, etiam oculos impuros adlicit & in sui desiderium prouocat. [*Vide quæ in Caput IV. sequentis Regulæ dicturus sum.*]

Etiam bonis & honestis Religiosi interesse non debent.

Duo restant exponenda in præsenti Capitulo, veracitatem sine iuramento aut multiloquio, & examen quotidianum conscientiæ. De hoc vltimo superiùs, nimirum Capit. IV. nunc de primo Et sanè si ad Benedictinam regulam te remisero, multa inuenies, quæ poterunt esse instructioni, Cap. VI. inscribitur de Taciturnitate *& XLII. præcipit*, vt post Completorium nemo loquatur. *Multiloquium condemnat S. Benedictus Capite IV. condemnat omnia iuramenta in ore Religioso, cui nunquam est opus iurare, cum tamen omne iuramentum sine necessitate malum sit. Dabo periodos aliquas hanc Leonis sanctionem illustrantes.* Non falsum testimonium dicere, Dolum in corde non tenere. Pacem falsam non dare. Non iurare, ne fortè periuret. Veritatem ex corde, & ore proferre. Maledicentes non remaledicere, sed magis benedicere. Non esse murmuriosum. Non detractorem. Os suum à malo vel prauo eloquio custodire. Multum loqui non amare. Verba vana aut risui apta non loqui. *Has & alias similes, ex diuersis Sacræ Scripturæ locis sumptas, Capite illo IV. nobis S. Benedictus illustrat, & Verbis Leonis X. & Regulæ Tertiariæ, quam dilucidat, dilucidantur.*

2033 De multiloquio, & iuramento.

Leges à S. Benedicto dictæ.

CAPVT VII.

De Visitatione & Cura infirmorum.

SI quis Frater vel Soror huius Fraternitatis in infirmitatem ceciderit, Ministet domus, vel Mater, semel quotidie per se, vel per aliam personam visitare teneatur. Et de bonis communibus omnia necessaria faciat diligenter illi ministrari. Teneantur quoque infirmum vel infirmam monere ad pœnitentiam acceptandam, veramque conuersionem ad Deum faciendam, mortis propinquitatem & iudicij Diuini districtionem, simulque Diuinam misericordiam proponendo.

2034 An Superiores in morbo subditos visitare teneantur? Quid ægrotis dicendũ?

COMMENTARIVS.

2035 De huius Capitis legibus.

DVas hoc Capite leges reperio maximè necessarias, quas vtinam in omnibus quorumcumque Ordinum Monasteriis viderem obseruari. PRIOR *est*, Vt Superiores diebus singulis ægrotos visitent. POSTERIOR, Vt iidem eosdem veram

ram pœnitentiam & vltimam dispositionem moneant.

2036 An Generales, Visitatores, Prouinciales, infirmos visitare debeant?

Moris est apud Cistercienses Hispanos, vt Generalis Reformator, cum primum ad aliquod Monasterium venit à tota Communitate in processione composita, Te Deum, *cantante suscipiatur. Hac per claustra regularia ipse pompa ad Ecclesiam conducitur, pro ipsò genuflectente communes orationes à loci Prælato dicuntur, & ex Ecclesia à tota etiam Communitate ad aulam Abbatialem conducitur: ibi salutatus à singulis, singulos resalutat, & inquirit an aliqui ægroti sint, qui non potuerint interesse, & si discat talem ægrotare seniorem, iuniorem, aut nouitium, immediatè eò tendit, ab Abbate & vno aut altero Seniore conductus. Id ipsum faciunt Visitatores, & quicumque hospites Cistercienses, quib. conceditur licentia vt cum Religiosis Conuentualib. agant (nemini enim sine expressa licet alloqui hospitem) obtinuit enim, vt dieb. singulis ægros inuisant, & illos sua præsentia & humanitate consolentur. Hanc ego Hispanorum Cisterciensium benignam consuetudinem laudo, & quoniam alicubi desiderari vidi, omnib. admittendam persuadeo, ne dicantur à Tertiariis in obseruantia & morum reformatione vinci, qui putant se perfectissimam religionem tenere, & obligationibus optimè satisfacere. Quæ omnia erunt luci XXXVI. Regulæ Benedictinæ capiti.*

Hispanorum mos.

2037 An Superior subditum statum morbi, & mortis periculum monere teneatur?

Secunda lex, quam hic Papa pronuntiat, respondet Quæstioni, quæ inquirit, Quisnam teneatur ægro mortis periculum manifestare? *Vidi enim aliquando hoc onus à Prælato in Medicum & in ægri amicos reiici; ab illo, ab istis iterum in Prælatum regeri, & multum temporis in hac misera disputatione insumi, & interim non solum ægri vitam, sed & fortè ipsam animam periclitari. At hic iam prudentissimè Pontifex non esse medici, non esse amicorum, sed Prælati confessionem & pœnitentiam ægrotum admonere testatur.*

Etsi ægrotus sanctissimus sit, si in mortis periculo sit, moneri debet.

Nec ideò excusabilis Superior, quod subditus non sit accusabilis, multa enim, Viri sancti, dum viuunt probabiliter differunt, quæ in morte non possent; multa ibi aliter facienda, cùm non iam tuta quæritur via, nec tutior, si possit haberi tutissima. Errorem, si quem sanus commiseris, posteà corriges; sed quem moribundus, cum post mortem locus correctioni non pateat, incorrectum tenebis. Cautè igitur & prudenter agendum, vbi de æternitate beatâ agitur.

CAPVT VIII.

De Visitatione, quam Prælati debent facere circa Fratres, & Sorores.

2038 Quomodo Prouincialis visitare debeat monasteria Monialium?

MInister Prouincialis Fratrum Minorum, vel Visitator eiusdem Ordinis, cui ipse commiserit, visitabit quolibet anno, semel tantum in qualibet domo cum præsentiâ Seniorum. Et factâ visitatione, non debet intrare officinas, nec alia interiora Sororum. Ipse autem Visitator nunquam solus maneat, & separatus cum aliquâ Sorore. Debent autem Ministri, & Matres dicere Visitatori defectus, qui correctione indigent. Similiter & alij Fratres, & Sorores. Et si aliqui fuerint incorrigibiles iudicio discretorum, vel discretarum domus, tanquam morbida pecora ejiciantur de Congregatione.

An incorrigibilis frater vel soror debeat expelli?

COMMENTARIVS.

2039 Quàm necessariæ sint visitationes regulares?

SI Visitationes auferas, suò ipsa pondere obseruantiæ grauitas & austeritas corruet, & disciplina collabetur. Sanè Cistercienses, si non fuerunt qui prima comitia celebrarunt, & Monasteriorum visitationes inuexerunt fuerunt saltem primi, qui annuas. Has vult Pontifex apud Pœnitentiæ Fratres obseruari, & modum procedendi disponit, & ne Visitationis prætextu (nam & Superiores homines sunt) accidat aliquid, quod vitari expediret, Visitatori Sororibusque soliloquia interdicit.

De incorrigibilibus.

Sed quia expungi incorrigibiles littera præcipit, laudandus Summus Pontifex, qui illam pronuntiat, & legendum Caput XXVIII. LXV. & LXXI. Benedictinæ Regulæ, & quæ à num. 1753. *de Religiosorum dimissione posuimus.*

2040 De carceribus.

Sed quia hæc Capita Benedictinæ Regulæ cum hoc VIII. Regulæ Tertiæ Franciscanæ componis & concilias, & summam analogiam respicis studiosè disquiris, Cur olim S. Benedictus in suâ, cur etiam nunc Leo X. in hac Fratrum de pœnitentia regula dimissionem vrserit, carcerum non meminerit?

An præstet incorrigibiles puniri carcere?

Respondent aliqui carcerem à Monasterio non distingui, locus enim in quo corpora detinentur, carcer est, & in Monasterio omnes detinentur Religiosi voluntarij aut inuiti, addunt que non esse ponendam crucem in cruce, carcerem in carcere, atque supplicium in supplicio. Alij aliter philosophantur.

Illi in carcere genio indulgent.

At ego non posse dimitti credidero, qui aut possit corrigi, aut sine Communitatis tortura puniri. At carceres in Monasteriis non laudabo; nam in ipsis vnus dyscolus legirupio commodiùs quàm reliqui dormit, & tota vexatur Communitas. Vellem Viros prudentes, cùm aliquem carcere condemnant, oculos aperirent. Carcer enim bifariam considerari potest, vel in ordine ad corpus, quod macerari dicitur: vel in ordine ad spiritum honoremque, quos inficit. Secunda ratio non habet locum in homine, qui nec Deum nec suæ personæ authoritatem curat. Ergo vnicè debebit examinari prima;

Saginantur, otiantur.

prima; & sincerè loquendo in Cistercienſi Ordine carceres ſunt caulæ in quib. nebulones pingueſcunt. Nullis aguntur ipſi curis, chori pondere non obruuntur: non interrumpunt ſomnum media nocte non ſurgunt primo mane, ſed dormiunt tota nocte, tota die, & agunt vitam laxiorem commodioremque, quam ſancti plurimi de Religione benemeriti. Præſtat igitur illos dimitti, quàm in carcere ſaginari: in magna enim Communitate ſemper ſunt pietates indiſcretæ, vi quarum ieiunio ipſi macerari non poſſint. Et ſiquidem non fiat aliter, fortè nec poſſit, nunquam credam ad Dei honorem conducere torqueri viros Sanctos, vt iniqui maiorem habeant commoditatem. Nunquam haberem carceres, & ſi aliquem vinculis detineri contingeret, eum choro & manuum labori plus quam alios addicerem, ne quòd malus ſit, habeat in otio maleſuado panem, quem alij labore & ſudore lucrantur.

CAPVT IX.

De mortuorum Officiis.

2041 Quomodo Religioſi ſepeliantur.

POſtquam aliquis Frater vel Soror ab hac luce migrauerit, curabit Miniſter, ſeu Mater, quod eius exequiæ ſolemniter celebrentur. Quibus exequiis omnes, Fratres vel Sorores alicuius domus, vbi ipſum mori contigerit, perſonaliter intereſſe debent, nec recedere donec corpus traditum ſit ſepulturæ. Et pro animâ cuiuſlibet defuncti, vel defunctæ infra octo dies quilibet Sacerdos vnam Miſſam, ſcientes pſalterium autem quinquaginta pſalmos, neſcientes verò pſalterium, quinquaginta *Pater noſter*, & in fine cuiuſlibet *Requiem æternam* dicere teneantur. In fine autem cuiuſlibet anni, ſeu infra quemlibet annum, quilibet Sacerdos tres Miſſas pro defunctis: ſcientes pſalterium, vnum pſalterium: neſcientes verò pſalterium, centum *Pater noſter* cum *Requiem æternam* in fine cuiuſlibet dicere debeant. Et circa iſta officia pro defunctis, & alia officia diuina in præſenti ſerie annexa, cura imponitur Miniſtris, & Matribus, vt fideliter perſoluantur.

Quæ ſuffragia ſint dicenda pro ipſis?

COMMENTARIVS.

2042 An hæ orationes pro defunctis obligent ſub peccato?

AD defunctorum ſuffragia & orationes Pontifex conſcientias obligare non vult, & tamen obſeruantiam deſiderat. nam & ipſi amici noſtri ſunt, imò & confratres; & in purgatorio; fortè propter ſcandalum quod ipſis præbuimus, detenti. Et miror ita eſſe ſollicitos amicos de ſalute amicorum corporea, & tam incurios de ſpirituali. Oportet ita diligere, vt numquam ceſſare debeamus, cui enim in hac vita deſideramus gratiam, in alia deſiderabimus gloriam: & ſicut ſalutem, & commoditatem illi vouimus, dum viueret, vt ſanctior eſſet; etiam orationes vouebimus defuncto, vt citiùs à purgatorio liberetur. Variæ, & miræ ſunt Sanctarum Animarum, in purgatorio detentarum, viſiones: quarum ſi omnia credam, ero facilis, ſi vniuerſa decredam difficilis; è quibus ſi vel vna ſit vera, magnæ nobis eſt inſtructioni, & ſolamini. Orandum nobis eſt pro animabus in igne purgatorij detentis, vt & ipſæ, ſi quidem meliores nobis ſunt, vtpotè in gratia confirmatæ, apud Deum interueniant, nam & ſic earumdem ſollicitamus adſiſtentiam, & digni efficimur, vt cum eò deuenerimus, viuentium ſuffragia ſentiamus.

Amicitia etiam poſt mortem perſtat.

Illis, qui orãt pro Purgatorij animabus, concedet Deus, vt habeant, qui pro ſe orent, cùm ad purgatorium deuenerint.

CAPVT X.

De Obligatione contentorum in Regula.

2043 An hæc Regula obliget ſub peccato? An teneãtur pœnitentias admittere?

OMnia, & ſingula in præſenti Regula contenta, ſunt conſilia ad faciliùs ſaluandas animas viatorum. Et nulla ſunt obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale, niſi humano, vel diuino iure aliquis aliàs eſſet obligatus. Obligantur tamen Fratres, & Sorores facere pœnitentias ſibi à Superioribus impoſitas, quando ſuper hoc requiruntur. Obligantur etiam ad tria Vota eſſentialia, paupertatem, nihil habendo in ſpeciali; Caſtitatem, quia poſt Votum non poſſunt matrimonium contrahere, nec ſine tranſgreſſione vitiis carnis ſe immiſcere. Et Obedientiam, quantum ad illa, ſine quibus non poteſt commodè iſta Fraternitas manuteneri. Tenentur etiam ad clauſuram ſeruandam illæ, quæ ipſam expreſsè ſeruare vouerint. Quod omnibus, & ſingulis Conuentibus concedimus, dummodò hoſpitalitas, & charitas,

De votis ſubſtantialibus. In quibus obedire debeant? An poſſint clauſuram vouere?

ritas, quam exercere solent apud infirmos, nullum cum honestate patiatur detrimentum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 20. Ianuarij 1521. Pontificatus nostri anno octauo.

COMMENTARIVS.

Variæ sunt Theologorũ sententiæ circa obligationem Regularum.

Multæ sunt controuersiæ apud Theologos de obligatione Regularum, quas aliqui strictissimè, aliqui laxissimè exponunt. Qualiter Benedictina Cistercienses obstringat decidi disp. VII. & impræsentiarum hanc ipsam Tertiam, quam expono esse mere pœnalem definio. Sic doceor à Pontifice summo in hoc Capit. sic etiam ab aliis Doctoribus. Dico igitur primò nihil esse in hac Tertia Sancti Francisci Regula, quòd vim præcepti habeat, vide à numero 77. ad 88. quod si doctrinæ penitioris gratia omnia, quæ sunt in hac eadem Regula ex legislatoris mente habere vim præcepti statueres, adhuc quærerem, an in professione omnia, & singula te seruaturum promisisses; & si non, statuerem te ad singula non teneri grauiter. Vide n. 89. Si Prælatus præciperet seruari omnia, & singula, quæ sunt in hac Regula, non omnia obligarent sub peccato mortali; iuxta ea, quæ in simili materia à num. 94. tradidimus. Vnde si quispiam omnia, & singula, quæ in Regula continentur voueat, non omnia, & singula grauiter obligabunt, num. 96.

De Legislatoris mente.

De præcepto Prælati.

De voto subditi.

THEOLOGIÆ REGVLARIS

PARS OCTAVA.

COMMENTARIVS IN REGVLAM FRATRVM ET SORORVM DE POENITENTIA,

TERTII ORDINIS S. FRANCISCI,

IN DOMIBVS PROPRIIS HABITANTIVM.

Florentißimus eſt hic Tertius S. Franciſci Ordo, multos enim Reges & Principes in hac vita formauit, & purificatos cælo dedit. Vt puto, inſtitutus diuinitus, nequis ſeruiendi Deo, & viuendi in Ordine commoditate careret. Habet Regulam ſecuram & ſuauem, quam quis poßit in domo ſua ſeruare, & ſine matrimonialis ſtatus aut iniuria aut carentia. Hi ſunt, qui vocantur TERTIARII, *& quamuis propria habeant aliqua, non fruuntur Patrum Minorum Priuilegiis.*

PERILLVSTRI ET CLARISSIMO D.D.

PETRO FRANCISCO PASSERINO;

PROTONOTARIO APOSTOLICO; PHILOSOPHIÆ, Iuris vtriusque, & S. Theologiæ Doctori Colleg. SS. Inquisitionis Placentinæ Consultori, &c. Domino & Amico suo obseruandissimo.

S. P.

LICVISSE Hominibus esse impunè ignorantibus, lugent nunc Artes: parum, & quidem nimis parum, Veterum ingeniis adiutæ; [Vel, qui dubitet, ad Physicam conuertat oculos, videatque, quid debeamus Antiquis: Quinquies enim millesimum annum ætatis Mundus numerat, & hucusque, ne vnîus quidem corporis elementa & proprietates scimus.] At hodie Hominibus non licere esse doctis, lugebit aliquando Posteritas, quæ iuuari ab Eruditis posset, si imperiti permitterent. Iam apud hos triumphat ipsa ignorantia; & doctrinæ contemptus in lepôrem transiuit. Iam num videri volunt Musis loqui, qui dicunt, *Græcum est, non legitur. Subtilitas reprobatur in Iure. Pinguis Minerua sufficit, vt tractentur Moralia. Logica pertinet ad Summuliſtas.* Et illis ego? Nihil. Nam mentiri non volo: & dicere verum non licet. Et quid, si dicerem? Respondeat;

——— Crimen ob istud
Timon Palladiis olim lapidatus Athenis.

2044
An scientiæ & Artes à Veteribus fuerint promotæ?
Mundi ætas?
An hodie impunè homines sint eruditi?

Timon, quia dixit, quod sensit, lapidatur.

Et Ego interim disco, cur Ignorantem Nomenclator Hispanus, *Hecha cantos*, hoc est, *lapides proïcientem* appellet. Ergo dum Analphabeti præscribunt viris doctis, & legunt lapides, quibus literas legentes oppetant, tres lineas ducam, quas prætergredi nequeant, pertingere sanè non audeant. Sit

Hecha cantos apud Hispanos quis?

2045
An Iuristæ indigeant linguâ Græca? An etiam Canonistæ? An & Casistæ?

PRIMA. *Ius Ciuile, sine linguæ Græcæ notitia, medullitùs sciri non potest.* Cùm ergo Pontificium, à Cæsareo multis in locis pendeat, & Aristotelis Ethica, quæ Græca sunt, Moralem Theologiam succollent, scientiæ omnes & Artes, quæ mores dirigunt, linguæ Græcæ cognitione indigebunt. Hanc ob rem nobilissimi Iurisperiti, Pandectas in primo suo idiomate examinarunt; nam

Dulciùs ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Vt Imperatorum & legum sensum eruant, ad Græcam vim recurrunt Budæus, Alciatus, Cuiacius, Otomannus, Pacius, Vulteius, Gothofredus, Conradus Dinnerus, qui Epitetha Græca, Opus laboriosum & elegans, in lucem edidit: & alij plurimi, quos esset longum recensere. Salmanticæ vidi Corream S. Th. Professorem, Louanij autem Valerium Iuris Cæsarei Interpretem, linguam Græcam docentes. Scio reperiri Glossam *ad leg. 5. in verb. Edict. ff. de bonor. possess.* quæ Bartholo & Accursio attribuitur, videlicet, *Græcæ literæ sunt: non possunt intelligi, nec legi.* Interim Authores huius Glossæ reprehendit Conradus Heresbachius in Oratione illâ, quam in Græcarum literarum commendationem scripsit, multis legum locis allegatis, quos non intelligunt, qui Græcè nesciunt: & tandem ait. *Libro V. ff. ex Adriani Principis Rescripto Græco, parum fideliter verso, Accursius hircum mulget, & Bartholus ac cæteri cribrum supponunt: vtrique æquè ineptè priuatum Athenensium Magistratum, hoc est, ἄρχοντας, ad quoslibet Magistratus inferentes, genuinam*

Iuristæ linguæ Græcæ periti.

Alij, vt de his Iurisconsultis altiùs iudicet; hanc Glossam legunt affirmatiuè, *Græcè literæ possunt intelligi & legi.* Sed sensus hiat, quoniã debuissent dicere, *possũt legi & intelligi.*

Quinam Archontes fuerint?

Rescripti sententiam peruertunt: ita vt incertum relinquatur, quid sibi voluerit Princeps, cùm dixit, Magistratus cognoscere de his rebus, pro quibus tutores fuerint: non enim rebus tutores dantur, sed personis. Prætereà magno sententiarum dissidio ad *leg. Muner. Ciuil.* §. *Irenarcha. ff. de muneribus & honoribus*: itemque *in Codice. titul de Irenarchis*, Legistæ disputant, quæstionem excitant, quam dirimere Latinus non possit. Porrò εἰρηνάρχης ex εἰρήνη, *Pax*, & ἀρχὴ, *Principium* componitur, & Schola Bremensis in Epitome Lexici Græci in præfatione ad Φιλέλλωας sic exponit. *Irenarcha est ex historiis & Romano Iure Latinis notus, qui ad pacem inter ciues constituendam & tollendas controuersias ordinatus est. Item, qui morum disciplinæ, ac itinerantium paci ac securitati præest.* Occurrunt alia multa: sed antequam ponam calamum monebo hoc vnicum, plurimos hodie Iurisconsultos libros ipsos, ex quibus ius pronunciant, denominare sine solœcismo nescire vel attende. Pandectæ legum, quæ omne ius complectuntur, à πᾶν *omne* & δέχομαι *capio*. nomen sumunt. In illo committitur error communis; perperam enim, non modò à vulgo, sed etiam à doctis & eruditis viris vsurpatur in fœminino genere, cùm sit masculini. Si quidem ὁ πανδέκτης, ου, & in plurali οἱ πανδέκται masculinorum formam & analogiam retinet. Et quæ ratio efficit, vt dicatur ὁ ποιητὴς, οῦ, & οἱ ποιηταὶ. (1. *hic Poëta*, æ, & *hi Poëtæ*, *arum.*) eadem omninò postulat: vt etiam dicatur, *Hic Pandecta*, æ, & *Hi Pandectæ*, *arum.* Atque in Titul. indicis Iurisconsultorum, qui Pandectis Florentinis præfixus est, in masculino genere hoc nomen positum inuenitur, τῶ πανδέκτα. Atque ita esse efferendum analogia & ratio persuadent: & obseruarunt aliqui Viri docti, quibus adde docent duo Lumina Academiæ Parisiensis, Theod. Marcillium *in Commentariis suis in Institutiones Iustiniani* & *Leg. XII. Tab.* & Georg. Crittonium *Actione secunda, habita in Senatu Parisiensi anno* 1602. Et certè cùm dicimus *Pandectas* (1. omnia continentes) subintelligimus nomen substantiuum masculini generis, nimirùm *libros.* vel saltem ipsum nomen sumimus substantiuè, ne indigeat alio. Quod probè intelligentes eruditi viri Marcillius & Crittonius Professores Regij nunquam nisi in masculino vsurparunt scribentes, *Pisani Pandectæ, Florentini Pandectæ, Vulgarij Pandectæ*, non autem *Pisanæ Pandectæ, Florentinæ Pandectæ, Vulgariæ Pandectæ*, vt passim tamen loquutus est princeps eruditorum sui sæculi, Guill. Budæus *in annotat. in Pandectas*, qui vir cùm omnia propè viderit ad hoc minutissimum (pace tanti viri dictum sit) excutiit atque oscitauit: nec hinc volo authoritati suæ detrahere, iudico enim summè glorioſum esse non nisi in minimis exorbitasse.

De nomine *Pandecta*. Cuius generis sit?

Marcillius & Crittonius laudati.

Guill. Budæus.

An laudari sit de leuibus erroribus argui.

Simili hallucinatione interdum Philosophi & Theologi soritam, fortissimum argumentandi genus, emasculant; nonnulli enim *hanc soritam*, aut *has soritas* dicunt, cùm *hunc* & *hos* potiùs deberent. Est autem Σωρίτης, argumentatio, in quam multi simul syllogismi exonerant, qui sua multitudine, & pondere, ita mentes respondentium aggrauant & illudunt, vt inde *captiosus discursus* nominetur. Ἀπὸ Σωρὸς, quod Græcis sonat *aceruum*, nomen trahit: ab illis declinatur vt Ἀγχίσης, & à Nobis vt *Musa*. Cicero *de Diuinit.* adfirmat vniuersa, quæ asserui: dicit enim; *Quemadmodum* Soritæ *resistamus; quem, si necesse sit, Latino verbo liceat* acerualem *appellare. Sed nihil opus: vt enim ipsa* Philosophia, *& multa verba Græcorum, sic* Soritès *satis Latino sermone tritus est.* Ecce in Datiuo habet *Soritæ*, sicut, *Musa*, quam sequitur; & tamen masculini generis est, vt *Poëta*. Omitto alia, quæ occurrunt, ne in Epistolâ, quæ esse breuis deberet, nimis profundatur oratio.

De voce *Sorita*. Cuius generis sit? Quomodo declinetur?

Syllogismus acerualis.

Resolutio de Græcè linguæ necessitate.

Stat ergo Linguæ Græcæ notitiam Philosophis, Theologis, Iurisperitis (vt nil dicam de Medicis, qui Originalia Veterum legere nesciunt; & dum Interpretibus summâ temeritate confidunt, innumeros mittunt ad Tartara) omninò necessariam esse.

2046 An sint in Ethicâ subtilitates?

SECVNDA. *Moralia subtiliter tractari debent.* Nulla est Metaphisica consideratio, quæ tot habere præcisiones debeat, quam Resolutiones Morales; vel qui dubitet, Quæstiones de Bonitate & Malitiâ humanorum actuum. de Vsurâ, Simoniâ,

Simoniâ, Iuſtitiâ, &c. pingui Mineruâ tractet, & experietur, an poſſit rudi modo exponere, quæ ſunt ſubtiliſſima & intricatiſſima.

Ingenioſiſſimus & eruditiſſimus erat Antiſthenes, & interim multa ſcripſit & ſtatuit, quin ſciret, in quo bonitas aut malitia conſiſteret. In theatro aliquando cecinerat. *Plutarchus in Pericl.* In quo malitia actuum humanorum conſiſtat?

Τίδ' αἰσχρὸν, εἰ τὴ τοῖσι χρωμένοις δοκεῖ;
Quid turpe, niſi videatur hoc vtentibus?

Tumultuat Athenienſium populus; &, vt priorem ſententiam corrigat, addit. An res ſint, quales videtur?

Αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρὸν; κὰν δοκεῖ, κὰν μὴ δοκῇ
Quod turpe, turpe eſt: etſi credas, aut non.

Et quidem vtraque ſententia eſt falſa, vtraque vera: & aduocandus eſt oculatiſſimus Argus, vt eas exponat. Si de materiali malitia diſputetur; prior eſt falſa, & poſterior vera: nam ſibi mortem conſciſcere malum eſt, & materialiter peccauit Lucretia, inuincibili laborauerit ignorantiâ, vel non. At, ſi agatur de malitiâ formali, De materiali malitiâ. De formali.

Quidquid agant homines, intentio iudicat omnes,

quam ob rem, ſi Lucretiæ habuiſſe inſuperabilem ignorantiam dicatur, ſuicidium illud, quod commiſit, non fuit turpe formaliter, ipſa enim honeſtum & bonum iudicauit. At hanc diſtinctionem Atiſthenes, Plutarchus, & Athenienſes ignorabant. An Lucretia ſibi mortem conſciſcendo peccauerit?

Poſſem plurima adiungere, quæ non niſi ſubtiliter tractari queunt: at Epiſtolam ſcribo, non librum: ergo ſpeciminis gratiâ, aliqua de Vſurâ diſſeramus.

Sanè, non licet recipere pecuniam pro Mutuo; ſed neque pro tempore, quo mutuatarius mutuo vtitur. Ergo, qui dat mutuum pro tanto tempore, nihil recipere poterit præter ſortem. Quid dicis? Tres ſunt propoſitiones: prima & ſecunda omnium ſententia veræ: tertia iudicio aliquorum incerta, ſed meo falſa. Veniat igitur Oedipus, qui pingui Mineruâ oſtendat, cur tertia non inferatur neceſſariò ex ſecundâ: tam enim connexæ videntur, vt concedatur ab aliquibus, qui rem non examinarunt exactè. Porrò hic ſyllogiſmus, An liceat ſumere præmium pro Mutuo? an pro tempore Mutui? Aliquæ examinantur Cõſequẽtiæ,

A. *Pro tempore dari nequit pecunia in Mutuo.*
B. *Tantum tempus eſt tempus.*
C. *Ergo pro tanto tempore dari nequit pecunia.*
D. *Ergo, qui dedit centum aureos mutuos pro vno anno, nihil poteſt exigere ſupra ſortem.*

eſt ſimilis huic,

E. *Ambulatio vt ſic, eſt actus indifferens.*
F. *Hæc ambulatio in indiuiduo, eſt ambulatio.*
G. *Ergo hæc ambulatio in indiuiduo, eſt actus indifferens.*

Aio, quidquid de conſequentibus ſit, bonas conſequentias non eſſe.

Ad primum ſyllogiſmum reſpondeo, concedendo maiorem, minorem, & primam conſequentiam; & negando ſecundam: & addo non eſſe cuiuſcumque tyronis differentiam percipere. Multi has duas conſequentias confundunt. Molina etiam ſecundam concedit, & ratione, quâ illam nititur probare, ſe iugulat, Sic arguit: [Hæc priuatio iuris repetendi ſortem intra annum, eſt beneficium meræ liberalitatis: ergo mutuans non inducit ſupra ſe obligationem aliquam. Ergo non poteſt lucrum exigere.] Omnia ceſpitant: Antecedens non ſubſiſtit: nam, ſi ſit vniuerſale, eſt falſum; multa enim ſolent ex merâ liberalitate donari (puta, veſtes, ſupellectilia, &c.) quæ tamen etiam poſſunt vendi: ſi verò ſit particulare, nihil probat; ex particularibus enim nihil infertur. Prima conſequentia eſt falſa; vt benè aduertit Salas *de vſur. dub. 9. num. 12.* nam, ſi mutuans intra annum repetat ſuas pecunias, illas mutuatarius reddere non tenebitur. Leſſius *lib. 2. c. 20. dub. 14.* eamdem conſequentiam d. concedit: & probat: Primò, quia oppoſita ſententia videtur noua. At hoc nec eſt verum, nec ad rem. Non verum, quia ab initio mundi fuerunt mercatores, & huiuſmodi contractus ſemper fuerunt admiſſi. Non ad rem; non enim coïncidunt nouitas & falſitas: ſunt enim euidenter falſæ hæ poſitiones, *Omnia noua ſunt* Primus ſyllogiſmus eſt difficilis. Molinæ hallucinatio. Ex particularibus nihil neceſſariò deducitur. Leſſij opinio. An omnes falſæ opiniones ſint nouæ?

An Mutuum includat tẽpus in ſuo conceptu? An à Precario diſtinguatur?

falſa: Omnia antiqua ſunt vera. Probat ſecundò, quia non poſſe repetere pecuniam intra aliquod tempus, eſt quid intrinſecum Mutuo, alioquin à precario non differret. Et hîc iterum antecedens non eſt verum, nec ad rem. Non eſt verum, quia nullum tempus mutuum includit. Et tamen à precario diſtinguitur; tum in aliis, tum etiam, quia; vt docet Ledeſma *p. 2. tr. 8. c. 35 concl. 4.* Cœleſtinus *comp. tract. 11. c 5. q. 2.* & alij, in Mutuo, & non in Precario transfertur dominium. Vide Dianam *part. 1. tract. 8. reſol. 48.* & *part. 5. tractat. 16. reſol. 50.* & Cotonium *in ſummâ verb. Mutuum num. 16. §. Sed his.* Ego autem malui in Theol. Fundam. num. 1786. materialiter Mutuum à Precario diſtinguere. Alij aliter philoſophantur. Non ergo coincidérent, vt obiiciebat Leſſius. Sed neque illud ipſum antecedens eſt ad rem: quia, ſi includeret tempus eſſentialiter, includeret indeterminatum, non autem determinatum: & tunc non eſſet bona conſequentia, *Non poteſt exigi pecunia pro circumſtantia temporis indeterminati; ergo neque pro circumſtantia temporis determinati.* nam ſimiliter poſſem dicere circumſtantiam temporis & loci in venditione reperiri: quidquid enim venditur, aliquando & alicubi debebit vendi, interim inter hos contractus quoad pretia differentiam omnes Mercatores reperient. (1) *Dabis mihi 100. tritici modios, quando, & vbi voluerit.* (2) *Dabis hîc & nunc.* (3) *Dabis hîc menſe Auguſto.* (4) *Dabis Conſtantinopoli menſe Martio.* nullus enim erit, qui hos quatuor contractus inire velit pro eodem pretio. Ergo tranſitus ex tempore & loco indeterminato, ad locum & tempus determinatum mutat pretium. Sed dices imbibi eſſentialiter in Mutuo tempus determinatum. Sed quantum? Non poſſe Mutuum repeti ſtatim docet Panormitanus *in cap. Precarium, num. 2. de prec.* Sed hoc eſt adhuc tempus indeterminatum relinquere. Baſſæus *tom. 2. Florum Moral. verb. Mutuum, num. 7. §. ſecunda.* determinat 15. dies, & probat ex Bartholo & Baldo *in leg. ſi parum ff. de verb. obligat.* Panormitano *in cap. Precarium, cit.* Menochio *de arbitrar. lib. 20. caſ. 22.* Sed hoc iterum nec eſt verum, nec ad rem. Non eſt verum: quia illi 5. dies ex arbitrio ponuntur, & poſſet alius ponere 20. vel 10. Non eſt ad rem: quia ſtante hac doctrinâ, qui dedit 100. aureos mutuos pro integro anno, iam habet 350. dies, pro quibus poſſit exigere præmium ſupra ſortem: annus enim habet 365. & demptis 15. remanent 350. extra eſſentiam Mutui.

An ab indeterminato ad determinatum fluat Dialectica?

Contractus varij.

An Mutuum imbibat tẽpus determinatum?

Cur potiùs tantum tempus, quàm tantum?

165. —
15. —
350. —

Reſolutio.

Pronuncio hanc Quæſtionem eſſe valdè ſubtilem, & in ipsâ viros interdum doctos hallucinari. Illam tractaui in Theol. Fundam. à *numero 1780.* & *numero 763.* & vt illam ad ſummam claritatem proueherem, *numero 1783.* tres Formulas conſideratione dignas pono.

Hos contractus perpende.

I. *Do tibi 100. aureos mutuos, cùm primum indiguero, aut etiam voluero recipiendos. Et maneo certus & ſecurus, quòd illos recipiam, cùm voluero.*

II. *Do eoſdem quidem tibi pro vno anno; recipiendos tamen ante præfixum tempus, ſi anteà indigeam.*

III. *Eoſdem tibi conſigno pro anno integro; equidem non repetendos ante anni finem etſi grauiſsimè indigeam; etſi debeam aliunde pecunias quærere, & grauiſsimos canones, aut etiam vſuras perſoluere.*

Idea puri Mutui.

Aio primam formulam ponere ob oculos verum contractum puri Mutui. Addo ſecundam non multum differre à primâ, & pronuncio pro merâ circumſtantiâ temporis, etſi longiſſimi, nihil accipi poſſe præter ſortem. Sed quia ſumus in tertio caſu, aſſero contractum illum, qui iuxta tertiam formulam iniretur, non eſſe puri Mutui; nam ſuperadit grauamen, videlicet non repetendi anno integro, & periculum quærendi alibi pecunias & graues vſuras ſoluendi. Et quidem, ſi hoc ipſum grauamen gratis ſubeas, erit contractus compoſitus ex Mutuo & Donatione: &, ſi illud pro pretio ſubeas, erit contractus ex Mutuo & Venditione conflatus.

Contractus compoſitus.

Quænam in illo reperiãtur pericula?

In contractu igitur hoc tertio datur tempus, nempè vnius anni: & dantur tria pericula concomitantia: videlicet (1) perdendi capitale, quod ipſum etiam datis pignoribus abeſſe non ſolet; varij enim ſunt Rei politicæ ſtatus,

& in

& in omni euentu aurum cusum meliùs absconditur & custoditur, quàm merces aut argentum. (2) incurrendi damnum: poterit enim contingere, vt mutuans aliquo superueniente infortunio, indigeat pecuniis; & quia illas à mutuario non potest exigere, debeat ab Vsurario duris conditionibus impetrare. (3) carendi aliquo lucro licito; sæpè enim merces vltroneæ, vt alia omittam, occurrunt, quas emit vili pretio, qui pecuniâ non caret.

Primum periendi capitale.
Secundum damni imminentis.
Tertium lucri cessantis.

Hæc tria pericula nemo tenetur pati gratis: ergo potest illa subire pro pretio. Sed pro quanto? Hîc ingrederemur nouam difficultatem: quia posset Mutuans in excessu peccare; poterit igitur sumere supra sortem, quantum prudentes solent, & permittit Respublica; videlicet 5. vel 6. in 100. vno anno. Hoc mores Hispanorum approbant. Aliis in locis, in quibus floret mercatura, quia lucrum cessans, & damnum emergens, sunt maiora, canones maiores designantur. Lege interim Fundamentum LX. ibi enim hæc omnia vberiùs probantur & dilucidantur.

Peccatur nõ rarò in excessu.

Quantum sit in anno pecuniæ præmium?

TRANSEO ad secundum syllogismum: & Ego omnia concedo: at quia Sanctus Thomas negat consequentiam, volo ostendere, quantâ Angelicus Doctor illam neget subtilitate. Accidentia & circumstantiæ non intelliguntur cùm intelligitur species à suis indiuiduis abstracta; at existunt à parte rei, cùm indiuidua existunt. In conceptu hominis specifico non imbibitur aliquod accidens; at nunquam existet hic homo indiuiduus sine accidentibus determinatis; quam ob rem homo vt sic, nec est albus, nec niger; nec magnus, nec paruus, nec mediocris; nec est hic, nec alibi: nec in hoc tempore, nec in alio &c. at hic homo in particulari erit albus, aut niger; magnus, aut paruus, aut mediocris; hîc, vel alibi; nunc, vel aliàs; &c. Sic similiter in viâ D. Thomæ actus humanus non potest fieri sine fine; & qui ob bonum fit, erit bonus; qui ob malum, malus. Ergo ambulatio vt sic, sine fine intelligitur; at ambulatio hæc humana & libera, sine fine non est. Ergo tametsi ambulatio vt sic, secundum suam speciem considerata, sit actio indifferens; adeoque, nec bona, nec mala: nihilominus ambulatio hæc, aut habebit bonum finem, & tunc erit bona; aut carebit bono fine, & tunc erit mala. Sic Angelicus Doctor, & omnes Thomistæ cum ipso.

Syllogismus alter examinatur.
Aliter cõcipitur species, & aliter existunt Indiuidua.

An humani actus sumant à fine speciem?

Ego autem. *Primò*, ab omni moralitate præscindendo, & considerando vires physicas voluntatis, existimo esse liberum homini operari realiter cum fine, aut sine fine; multa enim facimus, quia volumus, sine alio motiuo vel causâ. *Secundò*, non dari vllam legem naturalem, quæ, vel operari propter finem, aut propter bonum finem semper præcipiat. Vel, qui contrarium sentiat, det hanc ipsam legem in Decalogo. *Tertiò*, ambulationem propter bonum finem, esse actum simul indifferentem & bonum: indifferentem scilicet quà ambulatio est; bonum autem, quà ad bonum finem ordinatur. *Quartò*, ambulationem ob malum finem, esse actum simul indifferentem malumque; indifferentem quidem, quà ambulatio est; malum autem quà circa malum finem est. *Quintò*, ambulationem, propter duos fines (bonum, & malum) simul positam, esse indifferentem, bonam, & malam simul. Et *tandem* eandem ambulationem, si sine vllo fine, aut si propter finem indifferentem fiat, esse totaliter indifferentem.

An omnis humana actio sit propter finem?

An iubeat Deus, vt semper operemur propter finem?

An idem numero possit esse bonus, malus & indifferẽs simul?

HINC PATET, qualis sit illa consequentia, quæ apud multos Theologos & Iurisconsultos reperitur, videlicet

2047

Hæc Opinio est probabilis speculatiuè.
Ergo etiam est probabilis practicè.

An, quæ sunt probabilia speculatiuè; sint etiam probabilia practicè?

admittitur enim ab aliquibus, & negatur ab aliis; & ex doctrinâ præcedente deciditur; quoniam, si potest ad praxim hic & nunc reduci Opinio, provt speculatiuè deciditur; valebit consequentia: aliàs non. Sic Propositio illa, *in rebus Venereis daur materia parua.* dicitur à nonnullis probabilis speculatiuè, non autem probabilis practicè. Et ratio est, quia speculatiuè consi

An in re Venerea concedenda sit materiæ parvitas?

considerata præciditur ab omni periculo: possumus enim leuem sensationem abstrahendo ab omni periculo considerare: at in praxi (hoc est, à parte rei) illa ipsa sensatio non carebit periculo; & ideò, quia periculum esse semper magnum supponitur, semper in praxi erit mortaliter peccaminosa.

Resolutio. Non progredior vlteriùs, quoniam hæc ipsa demonstrarunt clarissimè Controuersias Morales subtilissimas esse, & non posse pingui Mineruâ, vt supponunt Aduersarij, tractari: nam, si in illis interdum hallucinantur lynces; noctuæ, si illas decidere velint, quid facient?

Quàm sit necessaria Dialectica? De cœco & claudo iter agente. TERTIA. *Moralia sine Logica & Metaphysica tractari non possunt.* Concurrit vtraque; neque altera sola sufficeret.

Vt Causarum partialium concursum & cooperationem explicarent antiqui, quemdam claudum, & quemdam cœcum, iter agentes introduxerunt: nam cœcus humeris claudum succollans progrediebatur, securus ne in laberetur: quia sicut cœcus claudo à pedibus; sic erat claudus cœco ab oculis. Dedi alibi Epigrammata Græca & Latina, quæ apud veteres & Iuniores leguntur. Italicum hoc non displicebit.

Su li humeri di vn cieco vn Zoppo ascende;
Così camina il Zoppo, il cieco vede:
Il Zoppo presta l'occhio, il cieco il piede;
Ciascun quel ch ei non ha dal altro prende.
Ciascun l'officio ben prestato rende;
L'vn mira e insegna, l'altro regge e intende
La fatica del premio al par procede,
Quel che vn non ha riceue, e quel che ha spende.
Fan doi corpi imperfetti vn corpo intiero;
Poi che l'vn con li passi altrui qual ceruo corre,
Vede vn con l'occhi altrui come Ceruero.
Ciascun soccorso vien mentre soccorre;
Il Zoppo mostra, il cieco fa il sentiero:
Così per caminar ciascun può corre.

Plures causæ partiales ad eundē effectum cōcurrunt. Stephanus Guassus *lib. 1. de conuersatione ciuili pag. 83.* & Ioannes Lambrechts *discurs Politic. 3. pag. 50.* conceptum illustrant hoc Disticho:

Così l'intiero di due mezi fassi,
L'vn prestando la vista, e l'altro y passi.

cui respondet hoc Gallicum,

Ainsi l'entier se fait de deux moitiez,
L'vn prestant l'œil, & l'autre aydant des pieds.

Exercitus, vt victor sit, & senibus, & Iuuenibus indiget. Hic etiam concursus clarissimè malitiæ conspicitur: nullam enim indipiscetur victoriam exercitus, nisi senes & iuuenes (illi ingenio & consilio, hi virtute & resolutione) confligant. Apud Valerium *lib. 4.* Iuuenalem *satyr. 10.* multa ad rem lego. Apud Ouidium *Metamorph. 13.* sic loquitur Consiliarius Militi.

Quippe manu fortes (nec sunt tibi Marte secundi)
Consiliis cessere meis: tibi dextera bello
Vtilis, ingenium est, quod eget moderamine nostro.
Tu vires sine mente geris, mihi cura futuri est,
Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides: tu tantùm corpore prodes,
Nos animo: quantoque ratem, qui temperat, anteit
Remigis officium, quantò & Dux milite maior,
Tantò ego te supero, nec non in corpore nostro
Pectora sunt potiora manu, vis omnis in illis.

An consiliū debeat præponi viribus? Et in nostro casu pariformiter philosophaberis.

De Dialecticæ, & Metaphysicæ necessitate. Est stadium Theologiæ Moralis percurrendum? Erit tibi ab oculis Logica, à pedibus autem Metaphysica: illa dabit ne erres, hæc verò vt discursum promoueas. Profectò cœcuties sine Logicâ, claudicabis sine Metaphysicâ: & hanc ob rem, si alterâ careas, ad metam peruenire non poteris.

Sunt

Sunt retundendi Aduersarij? Consilium securum dabit Logica, militem & arma Metaphysica: nam, si illa exsit, erit discursus ἄβελος, consilij expers; si hæc, inermis & fragilis. Et quidem hanc ipsam cooperationem ob oculos ponit Fundamentalis ipsa Theologiæ Moralis Hypothesis, videlicet.

Basis Moralis Theologiæ.

Oportet sicut de Realibus realiter, sit etiam de Moralibus moraliter philosopharì; hoc est, dialecticari.

Primum Mobile: secundum.

Ergo primum agens est Logica (sine illâ quis poterit dialecticari?) secundum agens est Metaphysica ideas Entium realium ob oculos ponens: has Logicus considerat, & illarum instar Moralitates fabricatur: clarè & bene, si Dialecticæ cognitio sit clara.

Tertium. Logica. ἀνάγκαμμα. Caligo.

Hinc iam intelligo, cur è LOGICA inuersis litteris CALIGO emergat: qui enim peruersâ vtuntur Logica, vbi lucem desiderant, non nisi tenebras obscuras & caliginosas inueniunt.

Λόγος. ratio. Λοῖγος. pernities mors. Ἄλογος, mente carés. Ἀλογικός, Logicâ carens.

Stat igitur frustrà sibi adulari Ignorantiam; & vociferari, *Moralia edisseri sine Logica posse*: nam inter ἀλόγους, & ἀλογίκους, paruam aut nullam differentiam reperio. & illa tunc credam ab ἀλογίκοις, dignè tractari posse, cùm ab ἀλόγοις. quæ enim sine λόγῳ tractantur, non edisseruntur sine λοίγῳ.

D. Passerini studia dilaudantur.

HÆC OMNIA dixerim (Passerine doctissime) vt Tibi animos addam, & Græcæ & aliarum linguarum Orientalium studio, cui feliciter nauasti operam, te nouo feruore deuinciam: vt, sicut hucusque Moralia subtili calamo pertractasti, sic etiam in posterum subtiliter edisserere pergas: semper demonstratæ Dialecticæ fundamentis insistens, extra quæ, siquid Casuistæ scripserint, aut ab aëre pendet, aut arena fundatur.

Cur illi nuncupatur hic liber?

Ad donum venio. Volui hanc Editionem quartam prodire in lucem illustratam tuo Nomine, ne in publicum emendicatura lucem exeat, sed datura. Ergo libellum hunc, in quo Morales Controuersias Calamus Logicus ad Metaphysicas Ideas diremit, amico animo susci pe; lectione, si maiora studia permittant, honora: & diligere perge

Tui Ingenij Cultorem, &c.

IOANNEM CARAMVEL.

INDEX

REGVLA Summi Pontificis. 2046.
REGVLA, *tota immediatè supponitur, cuius capita hæc sunt.*

CAPVT I. De modo examinandi volentes intrare ordinem. 2046. *An diffamatus de furto aut adulterio admitti possit?* 2048.

CAPVT II. De norma recipiendi volentes intrare ordinem. De receptione ad probationem, ad professionem. De stabilitate in ordine. De mulieribus. 2046. *Non potest homo recipi alteri obnoxius.* 2049. *An probationis tempus debeat esse annuus?* 2050. *Professionis formula.* 2051. *De huius status protectione.* 2052. *An possint admitti fœminæ?* 2053. *An filij familias?* 2054.

CAPVT III. De forma habitus & qualitate indumentorum. 2046. *An ydem panni apti, si venderentur summo pretio?* 2055. 2060. *An præstaret carnes in aduentu comedere quàm pisces carissimos?* 2056. *An in quadragesima?* 2056. *An comedendi carnes Episcopalis dispensatio fauēat religiosis?* 2057. *Eodem modo de vtilitate victus ac amictus philosophandum est.* 2059. *Æque quadragesimalia ac reliqua ieiunia obligant.* 2061. *Eamdem erga Religiosos suos Abbas, quàm erga suos subditos Episcopus habet authoritatem.* 2063. *Doctrinæ, consequentia defenditur.* 2065. *An dispensante Abbate in commestione carnium possint cœnare Religiosi?* 2067.

CAPVT IV. Quod non vadant ad inhonesta conuiuia & spectacula, & quod histrionibus non dent. 2046. *Quæ sint inhonesta conuiuia?* 2069. *Quæ inhonesta spectacula?* 2069. *An tripudia publica laudabiliter institui possint.* 2070.

CAPVT V. De abstinentia & ieiunio; & de dispensatione. 2046. *De venæ sectione.* 2071. *De pharmacis, & medicinis.* num. 2071.

CAPVT VI. Quoties debeant confiteri per annum, & sumere corpus Christi. 2046. *Singulis hebdomadibus communicandum.* 2071. b.

CAPVT VII. Quòd non ferant arma impugnationis. 2046. *De armorum distinctione.* 2072.

CAPVT VIII. De dicendis horis canonicis. De infirmis. De tempore quadrageſimæ. 2046. *Ad hæc moraliter non teneri certum eſt.* 2073.

CAP. IX. Quod omnes, qui de iure poſſunt, faciant teſtamentum. 2046. *An præſtet hominem mori inteſtatum?* 2074.

CAPVT X. De pace reformanda inter fratres & alios extraneos. 2046. *Vide num.* 2075.

CAPVT XI. Quando moleſtantur contra ius, aut contra priuilegia. 2046 *Vide num.* 2076.

CAPVT XII. Quod caueant in quantum poſſunt à iuramentis ſolemnibus. 2046. *Iuramenti grauitas. Qui debeant inſtrui ruſtici in hac materia.* 2077. 2078.

CAPVT XIII. De audienda Miſſa, & Congregatione facienda. 2046. *De communione.* 2080. *De obligationibus.* 1854. 2081.

CAPVT XIV. De fratribus infirmis & defunctis. De exequiis & orationibus dicendis. 2046. *An Miſſæ, ad quas tenemur debeant ſtatim dici? quanto tempore differri poſſint?* 2082.

CAPVT XV. De Miniſtris. 2046. *An omnes collata officia teneantur acceptare?* 2085.

CAPVT XVI. De viſitatione & correctione delinquentium, 2046. Viſitator ſit ordinis Minorum. De incorrigibilibus. 2046. *Viſitationes commendatur. Qui debeant vocari incorrigibiles?* 2084.

CAPVT XVII. De vitandis litigiis inter ſe & cum aliis. 2046. *Optimus modus difficultatis, & lites euadendi præſcriptus à S. Benedicto.* 2085.

CAP. XVIII. Qualiter & per quos in abſtinentiis poſſit diſpenſari. 2046. *An debeat peti diſpenſatio in lege quæ conſcientias non obligat?* 2086.

CAPVT XIX. Quod Miniſtri manifeſtas culpas denuntient Viſitatori. De incorrigibilibus. 2046. *Vide numero* 2087.

CAPVT XX. Qualiter in prædictis nemo obligatur ad culpam mortalem. 2046. *An Regulas obſeruantiæ obligent ad pœnam? & ad quam?* 2088. *An obligent ad mortalem:* 2089. *An ſaltem ad venialem?* 2098. *Quid promittere legem diuinam?* 2092. *An pœnitentias acceptare teneatur?* 2093.

SANCTI FRANCISCI
TERTIA REGVLA,
PRO ILLIS, QVI VOLVNT MANERE IN SVIS DOMIBVS.

2946 *NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis Filiis Fratribus, & dilectis in Chriſto Filiabus Sororibus Ordinis Fratrum de pœnitentia, tam præſentibus quam futuris ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

Super montem Catholicæ Fidei, quam populos gentium, qui ambulabant in tenebris, diſcipulorum Chriſti ſincera deuotio igne charitatis exæſtuans, verbo ſollicitæ prædicationis edocuit, quam Roma tenet, & ſeruat, Eccleſia ſolidum Chriſtianæ Religionis poſitum noſcitur fundamentum, nullis vnquam concutiendum turbinibus, nullis quaſſandum fluctibus tempeſtatum. Hæc eſt etenim recta, veraque fides, abſque cuius conſortio, nemo in conſpectu Altiſſimi acceptus redditur, nemo gratioſus occurrit. Hæc eſt, quæ ſalutis ſemitam præparat, & felicitatis æternæ præmia, gaudiaque communicat. Ideoque glorioſus Chriſti Confeſſor B. Franciſcus huius Ordinis Inſtitutor, viam aſcendendi ad Dominum verbo pariter & exemplo demonſtrans ipſius ſinceritate Fidei ſuos filios erudiuit, eoſque illam profiteri, conſtanter tenere ſimiliter, ac operevoluit adimplere, vt per eius ſemitam ſalubriter incedentes mererentur poſt vitæ præſentis ergaſtulum æternæ beatitudinis effici poſſeſſores.

CAPVT. I.

De modo examinandi volentes intrare Ordinem.

NOs igitur Ordinem ipſum opportunis fauoribus proſequentes, ad eius augmentum benignius intendentes, ſtatuimus, vt omnes, quos ad ſeruandam huiuſmodi vitæ formam aſſumi cotingerit, ante aſſumptionem ſeu receptionem ipſorum de Fide Catholica & obedientia erga præfatam Eccleſiam diligenti examinationi ſubdantur. Et ſi eas profeſſi firmiter fuerint, vereque crediderint, admitti, ſeu recipi tutè poterunt ad eandem. Præcauendum eſt tamen ſollicitè, hæreticus ne quis, vel ſuſpectus de hæreſi, aut etiam infamatus, ad vitæ obſeruationem ipſius quomodolibet admittatur. Et ſi talem inueniri

contin

contigerit extitisse receptum, assignetur ille, quàm citius Inquisitoribus prauitatis hæreticæ puniendus.

CAP. II.

De norma recipiendi volentes intrare Ordinem.

CVm autem Fraternitatem huiusmodi quis intrare voluerit, ministri ad receptionem talium deputati, eius officiũ, statum, & conditionem solerter explorent, sibi Fraternitatis eiusdem onera, & præcipuè alienorum restitutionem apertius exponentes. Quibus præmissis, si eidem placuerit, iuxta modum huiusmodi induatur, & alienis (si qua fuerint apud eum) satisfacere studeat in pecunia numerata, vel secundum exhibitam pignoris cautionem. Sed nihilominùs proximis reconciliari procuret. Quibus omnibus ad effectum perductis, post vnius anni spatium, cum aliquorum discretorum Fratrum consilio, si is videbitur ipsis idoneus, recipiatur hoc modo, videlicet, vt promittat se diuina præcepta omnino seruaturum, ac etiam satisfacturum (vt conuenit) de transgressionibus, quas contra hunc viuendi modum commiserit, cum interpellatus ad Visitatoris extiterit voluntatem. Et huiusmodi ab eo facta promissio per manum publicam in scriptis mihi redigatur. Alio autem modo nullus à Ministris recipiatur eisdem, nisi visum eis aliter fuerit conditione personæ, ac ipsius instantia sollicita consideratione discussis. Ordinamus præterea statuentes, vt nullus post ipsius Fraternitatis ingressum, eadem egredi valeat, ad sæculum reuersurus; Possit tamen transitum habere liberum ad Religionem aliam approbatam. Mulieribus verò viros habentibus (nisi de ipsorum licentia & consensu) non pateat ad consortium dictæ Fraternitatis ingressus.

CAP. III.

De forma habitus & qualitate indumentorum.

FRatres insuper ipsius Fraternitatis, de humili panno in pretio & colore, non prorsus albo, vel nigro; communiter vestiantur, nisi fuerit ad tempus in pretio per Visitatores de consilio Ministri ob causam legitimam, & apertam cum aliquo dispensatum. Chlamydes quoque ac pelles, absque scolaturis, scissas, vel integras, affibulatas tamen, vel patulas, vt congruit honestati, clausasque manicas Fratres habeant supradicti. Sorores etiam chlamyde induantur, & tunica de huiusmodi humili panno factis, vel saltem cum chlamyde habeãt guarnellum, seu placẽtinum coloris albi, vel nigri aut plaudellum amplum de canabo, sine lino absque vlla crispatura consuetum. Circa humilitatem verò panni, & pellitiones Sororum ipsarum iuxta conditionem cuiuslibet eorumdem, ac loci consuetudinem poterit dispensari. Bindis & litigaris setcis non vtantur, pelles dumtaxat agninas, bursas de corio & corrigias simpliciter, absque serico vllo factas, & non alias, tam Fratres habeant, quàm Sorores, depositis cæteris (iuxta Beati Petri Apostolorum Principis salubre consilium) vanis huius sæculi ornamentis.

CAP. IV.

Quod non vadant ad inhonesta conuiuia, & spectacula, & quod histrionibus non dent.

SIt eis ad inhonesta conuiuia, vel spectacula, siue curias seu choreas accessus penitus interdictus: Histrionibus, seu vanitatis intuitu nihil donent. Et ne quidquam illis donetur à propria familia, prohabere procurent.

CAP. V.

De abstinentia & Ieiunio.

AB esu carnium secunda, quarta & sexta feria, dieque Sabbathi abstineant vniuersi; nisi aliud infirmitatis, vel debilitatis instantia suaderet. Minutis verò per triduum, carnes dentur; nec subtrahantur in itinere constitutis, sit quoque ipsarum commestio licita singulis, cum solemnitatem præcipuam interuenire contigerit, in qua cæteri Christiani ab antiquo epulis carneis vesci solent. Aliis autem diebus, in quibus ieiunium non seruatur, oua & caseus non negentur. Sed & cum Religiosis cæteris in eorum Conuentualibus domibus licitè sumere valeant de appositis ab eisdem. Sintque prandij, cœnæque refectione contenti, exceptis languidis, & viatoribus & infirmis. Sit sanis cibus moderatus & potus, cùm textus Euangelicus habeat: *Attendite ne corda vestra crapula & ebrietate grauentur.* Prandium autem, vel cœnæ, nisi præmissa semel Dominica oratione sumatur, post sumptionem cuilibet cum *Deo gratias* iteranda; quod si omitti contigerit, dicatur tribus vicibus *Pater noster.* Qualibet verò sexta feria totius anni ieiunium celebretur, nisi forte infirmitatis, vel alia causa legitima excusentur, nisi festum Natalis Domini feria ipsa occurreret obseruandum. Sed à festo omnium Sanctorum vsque ad Pascha quarta & sexta feria ieiunabunt. Alia quæ ab Ecclesia sunt statuta, vel Ordinariis ex causa communiter indicta ieiunia nihilominus seruaturi. In Quadragesima vero Beati Martini vsque ad diem Natiuitatis Domini, & à Dominica Quinquagesimæ vsque ad Pascha diebus singulis (exceptis Dominicis) ieiunare procurent, nisi aliud fortasse infirmitas, vel necessitas alia suaderet. Sorores grauidæ, vsque ad suæ purificationis diem ab exercitatione qualibet corporali (orationibus duntaxat exceptis) poterunt, si voluerint abstinere.

Laborantes autem (propter fatigationis afficientis instantiam) à Dominicæ Resurrectionis festo vsque ad Festiuitatem Beati Francisci prædicti, ter in die, qua exercitio laboris incumbunt, licitè sumere cibum possunt. Cum verò illos contigerit aliorum incumbere laboribus, de cunctis appositis, die quolibet sumere licebit eisdem, nisi sexta feria, vel dies sit alia, in qua generaliter ab Ecclesia ieiunium noscitur institutum.

CAP. VI.

Quoties debeant confiteri per annum, & sumere Corpus Christi.

SInguli autem Fratrum & & Sororum ipsarum, ter in anno, videlicet, in Natali Domini, in Refectionis ipsius & Pentecostes festiuitatibus peccata propria confiteri, & Eucharistiam deuotè susçipere non postponant, reconciliando se proximis, & restituendo etiam aliena.

CAP. VII.

Quod non ferant arma impugnationis.

IMpugnationis arma secum Fratres non deferant, nisi pro defensione Romanæ Ecclesiæ Christianæ Fidei, vel etiam terræ ipsorum, aut de suorum licentia Ministrorum.

CAP. VIII.

De dicendis horis Canonicis.

DIcant Vniuersi quotidie septem horas Canonicas, videlicet Matutinam, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas & Completorium. Clerici, videlicet scientes psalterium. Pro Prima *Deus in nomine tuo*, *Beati immaculati* vsque ad *Legem pone*, ac alios Horarum Psalmos, iuxta Clericorum ordinem, cum *Gloria Patri* dicant. Cum verò ad Ecclesiam non accedent, pro Matutino psalmos dicere studeant, quos dicunt Clerici, vel Ecclesia Cathedralis, vel saltem vt illiterati alia qualibet hora septem vicibus *Pater noster*. cum *Gloria Patri* dicere non omittant. In quibus, videlicet Primæ ac Completorij, horis minus symbolum, & *Miserere mei Deus* adiiciant, qui nouerunt. Sed si Horis non dixerint constitutis, dicant tribus vicibus *Pater noster*. Infirmi autem Horas huiusmodi non teneantur dicere nisi velint. In Quadragesima verò Sanct. Martini & etiam in Maiori, Ecclesias in quarum parochiis habitant, matutinalibus Horis personaliter adire procurent, nisi causa rationabili excusentur.

CAP. IX.

Quòd omnes, qui de iure possunt, faciant testamentum.

OMnes propterea, quibus de iure facultas affuerit, condant seu faciant testamentum, & de bonis suis infra tres menses post eorum ingressum immediatè sequentes ordinent & disponant, ne quemquam illorum contingat decedere intestatum.

CAP. X.

De pace reformanda inter Fratres & alios extraneos.

DE pace verò inter Fratres, & Sorores, aut etiam extraneos in discordia positos facienda, sicut Ministris videbitur, ita fiat, adhibito (si facultas affuerit) Episcopi Diœcesani consilio in hac parte.

CAP. XI.

Quando molestantur contra ius, aut eorum priuilegia.

SI verò Fratres, vel Sorores contra ius, vel eorum priulegia per Potestates, seu Rectores locorum, vbi domicilium obtinent, vexationibus impetantur, Ministri loci ad Episcopos & alios locorum Ordinarios studeant habere recursum, iuxta consilium & ordinationem ipsorum in talibus processuri.

CAP. XII.

Quòd caueant in quantum possunt à iuramentis solemnibus.

A Iuramentis autem solemnibus omnes abstineant, nisi necessitate cogente, in casibus per Indulgentiam Apostolicæ Sedis exceptis, videlicet, pro pace, Fide, calumnia, & testimonio perhibendo ac etiam in contractu emptionis, venditionis, & donationis, vbi videbitur expedire. In communi quoque loquela vitent, prout poterunt, iuramenta. Et qui die aliqua minùs cautè iurauerit lapsu linguæ (prout contingere in multiloquio consueuit,) die ipso in sero, cùm debet recogitare quid fecerit, dicat tribus vicibus orationem Dominicam, propter incautè facta huiusmodi iuramenta. Memor autem sit quilibet, vt ad diuina obsequia, familiam propriam exhortetur.

CAP. XIII.

De audienda Missa & Congregatione facienda.

VNiuersi sani Fratres & Sorores cuiuscumque ciuitatis aut loci; diebus singulis, si commodè poterunt, Missæ officium audiant. Et mense quolicet ad Ecclesiam, siue loca, ad quam, vel ad quæ Ministri curauerint intimare, conueniant, Missarum solemnia inibi audituri. Vnusquisque autem vsualis monetę denarium Missario tribuat, qui pecuniam huiusmodi colligat, & eam de consilio Ministrorum inter Fratres, & Sorores paupertate grauatos & præcipuè infirmantes, ac eos, qui funeris carere dignoscuntur exequiis, & deinde inter pauperes alios diuidant congruenter. Offerant insuper de ipsa pecunia Ecclesiæ memoratæ. Tuncque (si commodè poterunt) virum Religiosum, & in verbo Dei competenter instructum habere procurent, qui eos ad pœnitentiam, misericordiæ opera exercenda hortetur, sollicitò moneat & inducat. Studeat quilibet, dum Missæ celebratur officium, & prædicationis verbum proponitur seruare silentium, orationi, & officio sit intentus, nisi eum communis vtilitas fraternitatis impediat.

CAP. XIV.

De Fratribus infirmis & defunctis.

CVm autem quemquam ex Fratribus infirmari contigerit, Ministri per se, vel per alium seu alios (si hoc eis infirmus fecerit intimari) semel in hebdomada visitare ad recipiendum pœnitentiam (prout melius, & efficacius

efficacius expedire putauerint) inducentes, necessaria illi de bonis communibus ministrando. Et si præfatus infirmus de præsenti luce migrauerit, Fratribus, & Sororibus tunc, in Ciuitate, vel loco, vbi eum contigerit mori, præsentibus nuntietur, vt perfuncti exequiis, procurent personnaliter interesse. A quibus donec Missarum fuerint celebrata solemnia, & corpus tumulo conditum, non recedant. Hoc quoque circa Sorores infirmas, & decedentes volumus obseruari. Præterea intrà octo dies post ipsius sepulti obitum immediatè sequentes, quilibet Fratrum, & Sororum ipsarum dicat pro anima eius, Sacerdos videlicet Missam vnam; Sciens Psalterium 50. Psalmos, & illitterati totidem *Pater noster*, & in fine cuiuslibet *Requiem æternam* adiiciant. Et post hæc infra annum pro Fratrum & Sororum, tam viuorum quam defunctorum salute, tres Missas faciant celebrari. Qui verò Psalterium sciuerint; illud dicant, & cæteri orationem Dominicam centies dicere non omittant, & *requiem æternam* in fine cuiuslibet addituri.

CAP. XV.

De Ministris.

MInistrare quoque ac alia officia, quæ præsentis formulæ series exprimit, imposita sibi quisque deuotè suscipiat, curetque fideliter exercere. Officium autem cuiuslibet, certi temporis spatio limitetur. Nullus Minister instituatur ad vitam, sed eius ministerium certum tempus comprehendat.

CAP. XVI.

De visitatione & correctione delinquentium.

AD hæc Ministri & Fratres, ac Sorores Ciuitatis, & loci cuiuslibet, ad visitationem communem in aliquo loco Religioso, vel Ecclesia, vbi locum huiusmodi contigerit deesse, conueniant, & visitatorem habeant sacerdotem, qui alicuius approbatæ Religionis existat, quique illis de commissis excessibus iniungat pœnitentiam salutarem. Nec quiuis alius possit eis huiusmodi visitationis officium exhibere. Quia verò præsens viuendi forma, institutionem à B. Francisco prælibato suscepit, consulimus, vt Visitatores & Informatores de Fratrum Minorum Ordine assumantur, quos Custodes, vel Guardiani eiusdem Ordinis, cum super hoc requisiti fuerint, duxerint assignandos. Nolumus tamen Congregationem huiusmodi à Laico visitari. Huiusmodi audem visitationis officium semel exerceatur in anno, nisi necessitate aliqua suadente, fuerit pluries facienda. Incorrigibiles verò ac inobedientes monitio trina præueniat: Qui si se corrigere non curauerint, de ipsius Congregationis consortio expellantur omninò, de consilio discretorum.

CAP. XVII.

De vitandis litigiis inter se & alios.

VItent insuper Fratres & Sorores (iuxtà posse litigia inter se, illa (si suscitari contigerit) sollicitè dirimendo. Alioquin de iure coram illo respondeant, apud quem potestas residet iudicandi.

CAP. XVIII.

Qualiter & per quos in abstinentiis possit dispensari.

ORdinarij autem locorum, vel Visitator cum Fratribus & Sororibus vniuersis, in abstinentiis, ieiuniis & austeritatibus aliis, ex causa legitima (cum expedire viderint) poterunt dispensare.

CAP. XIX.

Quod Ministri eorum manifestas culpas denuntient Visitatori.

MInistri verò manifestas Fratrum & Sororum culpas Visitatori denuntient puniendas. Et si quisque incorrigibilis fuerit, post trinæ admonitionis instantiam à Ministris (de discretorum Fratrum aliquorum consilio) Visitatori nuntietur eidem, de fraternitatis consortio abiiciendus ab ipso, & in Congregatione postmodum publicandus.

CAP. XX.

Qualiter in prædictis nemo obligatur ad culpam mortalem.

CÆterum in præmissis omnibus, ad quæ Fratres vestri Ordinis non ex diuinis præceptis, vel statutis tenentur Ecclesiæ, nullum ipsorum ad mortalem culpam volumus obligari, sed impositam sibi pœnitentiam, pro transgressionis excessu, prompta humilitate recipiat, & efficaciter studeat adimplere.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostri Statuti & Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contrario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Reatæ. 16. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno secundo.

COMMENTARIVS.

TExtus est satis clarus, nec magna indiget illustratione, & si alicubi obscurus, cùm conscientiam non obstringat, non debet prolixè explicari. Notabo tamen aliqua, quæ dum legerem, visa sunt expositione digna.

2047 An possint hæretici admitti?

CAP. I. Fidem, quam illustrat in diplomatis prologo huic instituto adpropriat, iubetque nullum omnino ad hanc viuendi formam recipi, qui sit aut Hæreticus, aut suspectus, aut infamatus de hæresi, qui tales potius debent tradi Sanct. Inquisitionis tribunali.

Sed inquiris, *An infamatus de alio crimine, puta, furto, adulterio, &c. admitti possit.*

Hæresis est morbus contagiosus.

Cur non possit non video. Hæreticos cauendos iubet Pontifex; est enim morbus con-

tagiosus hæresis, nec multi ab ea conualuerunt exactè. Alia peccata mentem relinquunt liberam, nec tam pernitiosa videntur. Multos infames olim viros Mellifluus meus Bernardus è patibulo in Claram-vallem transtulit; multos alij Cistercienses Antistites, nec ideò minoris Ordo factus, quod nobiles & ignobiles, honestos & infames reciperet. S. Benedictus in regula, ne seruos quidem vult excludi. Filios nobilium & pauperum (fortè non multum differt à diuitiis nobilitas) suscipit Cap. LIX. & cùm Capite II. statuit, non debere præponi ingenuum ex seruitio se conuertenti, nisi alia rationabilis causa existat, clarissimè exponit eos qui ex seruitio ad Monasterium veniunt, repellendos non esse.

Neminem, qui sanctè velit viuere, D. Benedictus excludit.

Qui aliis tenetur, esse religiosus non potest

CAP. II. Non posse hominem recipi alteri obnoxium prudentissimè statuit. Sunt enim aliqui, qui ære alieno grauati, aut scelere alicuius conscij, non amore virtutis, sed impunitatis desiderio ad claustra transuolant; quos ad religionem admittere religio sit. Creditoribus ergo vel numerata pecunia, vel secura cautione, vel alia quacumque satisfaciendum via, atequam aliquis non solùm Franciscano, sed quocumque alio habitu vestiri possit.

2050 An & cur tempus probationis sit annuum?

TEMPVS probationis in hoc mitiori viuendi modo videretur aut non requiri, aut paucorum mensium sufficere; verum Ordinum vniformitas postulare videtur, ne sine causa à communibus legibus recedatur, adeoque annus integer probationis fuit, vt hic Ordo quoad hoc non differret à reliquis.

Forrè & annus integer, si non nouitio, reliquis creditur necessarius; cùm certum sit non ita liquidò posse cognosci mores hominis in sua domo manentis, ac cognoscerentur, si degeret in communitate.

2051 Formula Professionis.

PROFESSIO videtur debere his verbis concipi. *Ego Frater N. promitto me omnia diuina præcepta seruaturum: ac de transgressionibus, quas contra hunc viuendi modum commisero, me cùm interpellatus fuero, satisfacturum, vt conuenit iuxta Visitatoris voluntatem, &c.* Illud verbum *Promitto*, obnoxiam reddit personam promittentem illi, cui fit promissio; non tamen semper moraliter, & in præsenti tantummodo pœnaliter, vt constat ex vltimo huius Regulæ Capite, in quo declarat Pontifex, neminem Professionis aut Regulæ professæ vi ad culpam, nequidem venialem teneri. Puto tamen teneri disiunctiuè moraliter: nimirùm aut ad obseruandum hanc Regulam, aut ad acceptandam pœnitentiam, iuxta ea, quæ superiùs *à n. 36.* tradidimus.

An vota possint obligare pœnaliter.

An votum hoc sit disiunctiuum?

2052 An Tertiarij ad quemcunque Ordinē transire possint?

Hic Tertiariorum status videtur esse sæcularis & religioso intermedius, illo perfectior, hoc ignobilior; ideò enim inhibetur ne ad sæculum Tertiarij regrediantur, quibus ad quemcumque Ordinem approbatum transire permittitur.

2053 An vir fieri Tertiarius possit sine vxoris licentiâ?

TANDEM in vltima Capitis periodo fœminas non posse huic inscribi Fraternitati aliter quam ex coniugum licentia legis; & inquiris, *An & viros ista concernat lex est hoc, An saltem ipsi possint, sine vxorum licentia?*

Respondeo summam semper esse curam Summis Pontificibus, vt subordinatio Monarchica manu teneatur, cauereque ne virtutis aut priuilegij alicuius specie detur occasio subditis non obediendi, adeoque præcipit ne in hanc confraternitatem aliqua suscipiatur sine mariti sui licentia. De viro ratio est omninò differens; nam cùm ipse caput familiæ sit, nemini obstrictus, non debet licentiam ab vxore implorare in materia, quæ illæso matrimonij vinculo seruari potest.

Pontifices nunquam interrumpunt hierarchicā subordinationem.

2054 De filio-familias.

Sed quæris, *An filius familias possit Tertiarius fieri; sine conscientiâ, aut licentiâ sui Patris?*

Respondeo, duas dari sententias, alteram, quæ vbique rationis paritatem admittit, alteram, quæ in fauorabilibus solum. Si stemus primæ, dici debet à Nicolao illum excludi; non tamen excludi, si secundæ. Si dicas, Filio-familias licere ingredi religionem sine Patris licentiâ, adeoque à fortiori istam fraternitatem. *Multa* occurrent dicenda. Assumptum enim multis est dubium, puto falsum nobilissimis scriptoribus Gallis, qui filiumfamilias, hominem non suum sed alterius supponunt, nec posse domo excedere sine domini aut heri (hoc est Patris) licentia. Qui admittunt, adhuc reperiunt in consequentiâ magnam difficultatem; non enim filio, cui permittitur domum patriam deserere, ea si domi maneret permitti, quæ in Monasterio possent. Quoniam, qui in Monasterio alienis legibus potest viuere, in domo paterna, si ibi adhuc maneret, non regularibus, sed paternis omninò deberet. Vnde concludunt Tertiarium, cùm maneat in domo paternâ, debere vestes ciboſque habere ad voluntatem sui Patris, nec posse nomen dare confraternitati huic sine eiusdem licentiâ.

Quanta sit subordinatio filij ad patrem?

Tertiarius fieri sine patris licentiâ filius nequit.

CAPITE III. Præcipitur statim sub initium, vt Fratres panno vtantur vili in pretio, & illo coloris nec albi, nec nigri, sed *subalbi*; vbi videtur Pontifex non tam materiæ perfectionem aut imperfectionem, quàm pretium curare; addit enim hoc eodem panno non vestiendos ad tempus, quandiu ille fuerit in pretio. Et quidem paucis lineis multa nos docet: nimirùm dedecere personas Religiosas illa eadem facere, quæ aliàs erant faciuræ, si debeant nimias impendere pecunias, quæ possent rebus seruire nobilioribus.

2055 De vestibus.

Debent esse viles in pretio.

Hinc pateret solutio graui difficultati, quæ solet frequenter occurrere, & semper viros doctos aut ancipites reddit, aut in oppositas sententias trahit.

2056

Anno Domini M.DC.XXXIII. tempore Aduentus fui Compluti, & acerrime cum viris magnis disputaui de voluntatis diuinæ interpretatione aut epikeia; videlicet, Deone gratius esset Religiosos sub illud tempus vesci carnibus, quàm piscibus; illæ enim viliſſimo pretio prostabant, hi vix magno vænibant, quoniam in forum non veniebant. Erant Doctores, qui assererent, & qui negarent; imò & communitates, quæ vterentur piscibus, erant quæ carnibus, & in summâ morum dissimilitudine nulla erat animorum consensio.

An in Aduētu liceat carnes comedere, si fortè pisces vænenunt magni?

consentio. In nostro S. Bernardi collegio pisces dati; & laudandus veniret abstinentiæ ille rigor, ni inficeretur impensis notabilibus, quas contraria sentientes arguebant de prodigalitate. Sed & anno M. DC. XXXIII. apud Bauaros in Episcopatu Augustano tempore quadragesimæ domus plenæ militibus sine incommoditate notabili non poterant eis ad victum necessaria subministrare. Pisces quidem deerant, & si reperirentur, deberent in singulis domibus duæ feruere culinæ, duæ mensæ præparari (alia pro militibus, qui vescebantur carnibus, alia pro domesticis, si vescerentur piscibus) & quid fieri deberet, disputatum. Electa fuit benignior pars, nec creditum velle matrem Ecclesiam filiis suis abstinentiam iniungere in tam magnis angustiis, sub tam magnis expensis. Non erat afflictis danda afflictio, nec congruum ciues miseri & haberent milites, ingratissimos hospites, & deberent pro se alios cibos condire. Ideò Epicoporum prouidentia cum non posset remedium, medium posuit, vt qui à milite & charitate annonæ terebantur, non consumerentur à multiplicatione mensarum, sed possent cibis militaribus vti.

An in Quadragesima possit dispensare Episcopus ob paupertatem?

In Austriâ Magistri mechanici ministrant in Quadragesimâ carnes Officialibus suis, ex licentiâ Episcopi: nam si pisces darent, grauarêtur Magistri, plus enim valerêt cibi, quam quod posset famulus laborando lucrari.

Sed quærebatur, *An hæc Episcopalis dispensatio faueret Religiosis?* Hoc est, *An Communitates integræ in refectorio Monasterij aut Refugij possent vesci carnibus intuitu Episcopalis illius dispensationis?* VIDEBATVR aliquibus, quod non, Exempti enim non subsunt Episcopo in ieiuniorum materia, igitur ipsis non prodest Episcopalis dispensatio. Antecedens probabant, Quoniam ieiunium indictum ab Episcopo, exemptos Religiosos non obligat, ita Suarius, Azorius, Fagundez, & Llamas, quibus subscripsi & ego superius, *numero* 1613. igitur dispensatio ieiunij concessa ab Episcopo, Religiosis non fauet. Et quidem hæc ipsa ratio fortior mihi videtur, quàm aliæ, vi quarum multæ solent opiniones defendi. Ex hypothesi quòd Religiosorum exemptio, illos immunes redderet, vt ieiunij præcepto à Diœcesano imposito non deberent obstringi, posse adhuc frui dispensatione ab eodem concessa, supponebatur à nonnullis; sed hypothesis ipsa difficilior videtur, quò altiùs consideratur; adhuc occurrebat secunda difficultas, *An ratio, quæ obligabat Episcopum vt dispensaret cum sæcularibus, cessaret in Monasteriis & domibus Religiosorum: quoniam ad talia loca pauciores milites remissi, & isti in aula cum Abbate aut Oeconomo, & non in refectorio vescebantur?* Quam ob rem vir mediocris ingenij posset reperire discrimen & sic argumentari. Ratio ob quam Episcopus potuit in hoc quadragesimali ieiunio dispensare sumitur ab expensis; sartor enim exempli gratia duplas deberet facere, si duas haberet culinas mensasque, alteram pro domesticis, alteram pro militibus, vbi enim est angusta supellex domusque, tales multiplicationes non fiunt sine grauissimâ incommoditate. At hæc omnia cessant in Monasteriis, & Ecclesiasticorum refugiis, in quibus facilè est reperire diuersa cœnacula, & diuersas culinas, aut in vna, carnes piscesque sine nimiâ incommoditate condîre. Tempore Quadragesimæ sæpissimè sunt Religiosi ægroti, & eodem labore quo illorum cibi, possent & cibi militum præparari; sed & expensæ non possent excrescere, quia vbi vniuersi sæculares vescuntur carnibus, pisces si fortè ipsi dabantur, viliori pretio reperiri pro Religiosis possint; ne meminero piscinarum, quas ipsi habent, è quibus quos volunt & quando volunt pisces extrahunt, sed & has ipsas solent examinare militaris curiositas, & industria rusticorum paupertas; adeoque vtrinque dubia & rationes exsiliunt. *Hæc omnia* consideras, proponisque & quid iudicem de singulis circumstantiis inquiris. Et ego respondurus dico.

2057 De Religiosis. An prosit illis quoad ieiunia Episcopalis dispensatio?

Epíscopo in materiâ ieiuniorum non subsunt.

Quid, si subessent? Adhuc nõ prodesset dispensatio? nam causa dispensandi non esset.

2058 Religiosorum amictus vilis.

Primò, *Pontificem Romanum cum Tertiariis dicit* (quamdiu Regulam tolerat,) *Fratres ex humili panno in pretio, ... vestiantur, etiam vniuersos Religiosos alloqui*, & ostenditur à fortiori. Quoniam strictiùs ipsi, quam Tertiarij ad paupertatis obseruantiam tenentur.

2059 Victus vilis.

Secundò. *Idem, quod de amictu, de victu etiam debere intelligi*, adeoque debere supponi Pontificem etiam dixisse, *Religiosi omnes cibis humilibus in pretio vescantur*, & contra eiusdem voluntatem procedere, qui vterentur pretiosis. igitur contra Romanæ Ecclesiæ voluntatem est prodigus Religiosus quicumque, qui vtitur veste aut cibo, qui charissimo væniret pretio. Dico

2060 An sericis vti possint peraccidens? sed in quo casu?

Tertiò. *Si per accidens lanam summo pretio vendi contingeret, & vilissimo sericum, tunc debere Tertiarios per accidens vti sericis, nec laneis posse.* Patet ex littera clarissima Summi Pontificis, indicentis vt vtantur vestibus humilibus in pretio. *Idipsum de reliquis Religiosis dicturus sum*, nam & S. Benedictus, quem alij aut sequuntur aut imitantur Capite L V. *De Fratrum indumentis* inscripto, sic ait. *De quarum omnium* (vestium) *colore aut grossitudine non causentur Monachi, sed quales inueniri possunt in prouincia, qua habitant, aut quod vilius comparari potest.* Et de cibis sibi consonus diceret, si consuleretur, *De quorum omnium* (ciborum) *qualitate aut grossitudine non causentur Monachi, sed comedant quales inueniri possunt in prouinciâ, quâ habitant, aut qui possunt vilius comparari.* Non ergo pisces, si exorbitanti pretio & cura essent habendi.

2061 An pauperibus dari licentia possit comedendi carnes, hoc solo titulo, quod pisces charo pretio vendantur?

Quartò, *Non videri abstinentiam quadragesimalem strictius, quam ieiunia obligare* (vtrobique obedientiæ obligatio est) *adeoque nec cum rei domesticæ immenso dispendio.* Nam, & mechanici non tenentur ieiunare, quia ieiunando lucrari necessaria non possunt; Ergo nec tenebuntur ciues pauperes comedere pisces, si vel sic expendere debeant, quæ sunt aliis vsibus precisè necessaria. Puto tamen non posse esse vnumquemque iudicem in causa propria, sed debere ad superiores recurrere, & ab illis dispensationem expectare.

2062 Episcopus cũ Religiosis exemptis in ieiunio dispensare non potest.

Quintò, *Me sincerè meam publicè fateri ignorantiam, nec posse intelligere Religiosos exemptos liberari à ieiunio vi dispensationis ab Episcopo diœcesano concessæ.* Stant in suo vigore

vigore rationes positæ superiùs, quarum libenter ego claram solutionem viderem. Si dicas illos in fauorabilibus se posse Episcopis subiicere, respondeo priuilegio cedere non esse fauorem, & addo hanc eamdem potentiam Religionem ipsam, & non particulares concernere. Addo.

Sicut cum suis subditis Episcopus, sic cum suis Abbas dispẽsare potest.

Sextò, *Eamdem erga subditos suos Abbatem, quam erga suos Episcopus habet, authoritatem & iurisdictionem habere, adeoque si sint similes causæ, posse etiam similem dispensationem concedere.* Hanc assertionem exemptio clarissimè demonstrat, nec debet, quæ claro deducta est ratiocinio, obscuriore probari.

Ago de Religiosis sanis, cùm Abbatem Episcopo æquiparo: nam cum ægrotis plus potest Abbas quàm Episcopi, habent enim Superiores Ordinum plurima priuilegia, quibus Episcopi, & Prælati sæculares carent.

2064 Resolutio.

Hinc patet anno illo M. DC. XXXIII. in Bauaria, si dispensante in abstinentia quadragesimali Episcopo, non dispensaret in suo Monasterio Abbas N. nullum posse Religiosum licitè carnes comedere, nec ieiunium violare, & ratio est, quia sicut ieiunandi præceptum latum à Diœcesano exemptum Religiosum non obstringit nouâ obligatione, sic dispensatio ab antiqua obligatione illum non liberat.

2065

Dices, Hanc meam tibi doctrinam videri inconsequentem, superius enim numero 1913. XI. agens de ieiuniis hæc habeo. *Si in ciuitate receptum fuerit generaliter aliquod ieiunium, obligat Regulares habitantes in ea*, inferque non obligandos Regulares, si generaliter in ciuitate, & à fortiore in prouincia, illud non obliget, At anno illo generaliter in totâ Bauariâ non obseruabatur Quadragesima: ergo hæc ipsa non obseruantia liberabat à ieiunandi obligatione Regulares.

An Religiosi, qui intra mœnia habitant, ciuitatis ieiunia obseruare teneantur?

Quomodo obligent ciuitatis ieiunia?

Respondeo stando dictis, ieiunium generaliter in ciuitate receptum, fundari in voto ciuitatis, quo ipsi realiter, possunt onerare suas plateas, suas domos, suos cibos, suos ciues, suos famulos, suas eleemosynas, ita hospes & peregrinus aut non ingrediatur illa die, aut censeatur implicitè vouere quod vouent. Teneo enim ieiunia, quæ sola authoritate Episcopi imponuntur, nisi adsit voluntas pupuli obligandi personas & res non posse Religiosos obstringere; hi enim obstringuntur per accidens quatenus rebus vtuntur, quæ ad ciues pertinent, & conceduntur sub onere conuouendi, quando illi vouent.

2066 De Aduẽtu. An possint dispensare superiores, si pisces nimio pretio vendantur. De Quadragesima. An ob similem causam Episcopi dispensare possint?

Examinatis igitur his omnibus ad casum propositum *respondeo* anno illo XXXIII. potuisse Abbates & Superiores exemptos in abstinentia Aduentus dispensare, si verum quòd duplo aut ferè pretio staret mensa piscium, quàm carnium, *Addo* Episcopos in Bauariâ anno illo (penuria intensiùs aut remissius videtur Europam vniuersam vexasse) legitimè potuisse dispensasse; quoniam subditi, qui paupertate pressi, & victualium charitate oppressi, vix sufficiebant alendis militibus, nec poterant ciborum distinctione & expensarum multiplicatione grauari. *Subiungo* potuisse etiam Abbates exemptos in suis Monasteriis concedere similem dispensationem, si similes darentur causæ. *At dubito* (non enim statum patriæ & cœnobiorum vidi) an tanta apud Religiosos, quanta apud sæculares fuerit concedendæ dispensationis ratio. Video enim in Belgio gregariis militibus concedi carnes in quadragesima comedendi licentiam, tamen negari Centurionibus; creditur enim cessare in prædiuite nobili rationem illam dispensandi, quæ in milite gregario vrgens est; miles enim caret pecuniis, & debet tenui esse cibo contentus, & tamen viribus indiget vt Ecclesiam defendat; cùm tamen Centurio aut, Legionarius opipara mensa vtens miseriæ tantæ non subiaceat.

An, & Abbates?

De milite gregario & Centurione.

Ne aliquid in re valde vtili aut fortè necessaria ignores, inquiris, *An Abbate Quadragesimæ aut Aduentus tempore in carnium abstinentia ex iusta causa dispensante, aut fortè Summo illam concedente Pontifice, quod esset securius & melius, deberent Religiosi cœnare, an verò carnes comedere meridie, & vespere collatiunculam sumere?*

2067

Respondeo duas esse Authorum opiniones, alteram asserentem abstinentiam à carnibus esse de conceptu ieiunij, nec posse id à carnes comedente seruari, alteram ieiunium ab abstinentia distinguentem, illudque in quantitate, hanc in ciborum qualitate consistere affirmantem.

An de ieiunij essentia sit abstinẽtia à carnibus?

Secundo huic vltimæ opinioni dicendum Religiosos illos in quadragesimâ debuisse vesperi collationem eodem fecisse modo, quo in aliis quadragesimis aliásque fuisse peccaturos eodem omninò modo, quo peccarent, si dispensatio nulla fuisset concessa.

Variæ opiniones. Prima.

Stando alteri affirmo Religiosos in dato casu non priuari cœna ex Ecclesiæ præcepto, adeoque non peccaturos mortaliter aut venialiter contra hoc præceptum. Addo tamen teneri ad ieiunia regularia, quæ etiam obseruantur diebus multis, quibus non interdicitur cœna ab Ecclesia. Habet Regula Benedictina de Quadragesimæ obseruatione speciale Capitulum, (nimirùm IL.) vi cuius etsi carnes ex causa comedantur, & vesperæ ante prandium dicendæ & vesperi non est cœnandum. Et Capite XLI. ieiunia omnia reperio diebus suis destinata, quæ obligabunt omninò regulariter, etsi carnes comedantur: nam ab Idibus Septembris vsque ad caput Quadragesimæ (aut fortè vsque ad Septuagesimam iuxta alios) singulis diebus ieiunant Monachi Benedictini, & tamen tertio in hebdomade vescuntur carnibus. Stat igitur debere seruari formam regularis ieiunij, etsi carnes ex causa in Aduentu aut Quadragesima in Monasterio comedantur.

2068 Secunda.

Alterutra teneatur sententia, sernãda est Regula, & cœna Communitati non possit dari.

CAP. IV. Interdicuntur inhonesta conuiuia. Sed quæ hæc? Illa, existimo, in quibus impudicæ adolescentes locum habent, aut etiam in quibus vsque ad crapulam & ebrietatem comeditur.

Quænã sint inhonesta tripudia?

Interdicuntur etiam choreæ & spectacula; & sicut conuiuium, hæc eadem ego inhonesta

Quænam inhonesta tripudia?

&

& non-honesta diuido, & existimo hæc vltima omninò, at priora nec semper nec vbique interdici. [Vide quæ in Cap. VI. præcedentis Regulæ §. *subsequuntur*, sunt dicta.]

2070 Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis, vir doctissimus & sanctissimus. Octodecim tomos Latinos & duos Hispanos edidit; claruit miraculis: & etiamnum decrepita cupressus ostenditur in Collegio veteri (ibi enim fuit Socius) è quâ Angelus illi loquutus est. Iuuenum & adolescentularum tripudia publica, an bona sint? & cur?

Vt huius Capitis doctrinam altius intelligas, propono casum. In ciuitate Abulensi in Hispania Episcopus N. (de Alphonso Testato multis & bonis libris claro hoc solet circumferri) statuit, vt diebus singulis Dominicis fieret tripudium publicum, ad quod omnes iuuenes vtriusque sexus confluerent, quod etiam ad oppida & pagos extendit, fundatis ad hunc effectum annuis reditibus pro musicâ: & quia hominem alij vituperant & alij laudant, consulor, quid de huiusmodi saltationibus sentiam. Et

Respondeo debere ad mentem Nicolai in hoc Regulæ Tertiariæ Capite honestas ab inhonestis distingui, illas ad modestam iuuenum recreationem conducere, & esse in causa, quòd extirpentur, & proscribantur inhonestæ. In loco sanè publico, coram omnibus, non nisi pudicè & honestè saltatur; in domibus priuatis magna esse solet adolescentum dissolutio: laudandi igitur, qui tripudia priuata interdixerit, & substituerit publica, hæc enim ex se mala non sunt, & per accidens bona esse solent, nam & viam aperiunt matrimoniis legitimis, quibus Respublica carere non potest, & reddunt suauem & intemeratam legem illam, quæ saltationes secretas & periculis obnoxias interdicit.

Hispanorum mores.

Alcaldes, qui?

Mos iam iste in Hispaniâ per omnes pagos (in Castellâ veteri præcipuè) propagatus, ad pietatem conducit. In loco publico diebus festis tantummodò instituuntur choreæ: adsunt senes & vetulæ, & loci Rectores, qui patriâ linguâ nominantur *Alcaldes*. Incipit tripudium post prandium. Cùm primus ad Vesperas pulsus auditur, aduenit Parochus, Sacerdotes & Clerici: adsident, salutantur, salutant: & quasi post horæ quadrantem secundo audito signo, surgit Parochus, & omnes secum ad Ecclesiam conducit. Ecce, si priuata permitterentur tripudia, Vesperas impedirent: at ibi publica deuotionem promouere videntur: qui enim domi occupati ad Vesperas fortasse non irent, dissoluto tripudio ad Ecclesiam festinant cum cæteris.

2071 De illis, qui diminuuntur sanguine.

CAPITE V. Multa de carnium esu diximus, cùm caput tertium exposuimus, sumpta occasione à vestibus; putasimus enim non solùm debere fratres vili, & qui tenui pretio reperiatur, amictu esse contentos, sed & victu nunc autem aliquid de minutis dicendum.

Hic mos paulatim obsolescit, & meritò.

Moris est in multis Monasteriis semel aut iterum in anno vniuersos diminui, & si causam inquiras, ad morem antiquum & morbos arcendos recurritur: nam quæ ab aliquibus de subigenda carne dicta, non videntur habere locum, vbi sanguis nouus & melior procuratur. Non sunt, me iudice, ægrotis neganda solatia, & nonnunquam expedit, vt aliqui solamine pleni occidantur à Medico, quàm vt desperabundi superuiuant, at sincerè dicendum has munitiones, si frequentes, nociuas esse corpori, nec salubres animo. Multa enim triduo illo causa minutionis permissa quæ munitionem ipsam possent reddere illicitam, & habere speciem medij, non tam ad salutem, quam ad laxiorem modum viuendi conducentis. Salutis conseruatio quàm perditio facilior; oportet enim, ne insanè bibat, qui sanè vult viuere: & qui modico vtetur modicè, non indigebit medico, ne quidem modicè. Expertus loquor, qui hæc scribo. Olim, maioris fortè, quam deberem, meam vitam faciens, nescio quâ dulcedine illectus, & affectata rerum securitate præuentus, multum concessi medicis, multum pharmacis, at ab anno M. DC. XXXIV. mihi iniquo & molesto, vitam incepi paruipendere, & soli illam Deo medico commendare, & qui anteà dubia vtebar valetudine, & semper carnibus, incepi frui robusta, nec pharmacopœis indigere, & iam per annos duodecim litterariis laboribus tametsi oppressus nunquam capite dolui, & quidem hanc ipsam constantiam valetudinis, quam Deo cœlitus debeo, habeo humanitùs à multis negationibus, nimirum, Medici, pharmacorum, minutionum, ciborumque minus communium, ex quo enim communi cibo, & potu contentus, nihil matutino tempore specie medicinæ, nihil extra mensam vrbanitatis prætextu, nihil in mensa ob alienam salutem recipio, vel inuitis Medicis & Pharmacopolis robustissimus sum. Eris & tu, si tibi indictam legem putes, quam Tertiariis Pontifex in hoc capite, ait enim, *Sit sanis cibus moderatus & potus; cùm textus euangelicus habeat, Attendite ne corda vestra crapula & ebrietate grauentur.* cui consonat S. Benedictus Capite XXXIX. dicens, *In arbitrio Abbatis erit, aliquid augere, si expediat, remota præ omnibus crapula, vt nunquam Monacho subrepat indigeries. Quia nihil sic contrarium est omni Christiano, quomodo crapula, sicut ait Dominus, Videte ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate.* (Luc. 21.)

Optima medicina, sobrietas.

Scribebam hoc anno 1646. relego nunc & recognosco anno 1663. & in eâdem opinione non vtendi medicinis persisto.

Quales esse debeant Religiosorum cibi?

Leo X Pontifex.

D. Benedictus.

CAPITE VI. Lex ista quæ pronuntiatur de confessione & communione, non ita debet intelligi, vt censeatur satisfacere, si ter in anno confiteatur Tartiarius; nam moris est, vt quicumque modestus vir, singulis diebus dominicis, aut saltem alternis se diuinis sacramentis muniat. Vide ea, quæ dixi in expositione Regulæ præcedentis Capite IV. lege sexta. Frustra enim multæ mortificationes instituuntur, si desit cura sacramentorum.

De Confessione & Cõmunione.

2072 Arma sunt, vel offensiua, vel defensiua. An haberi possint à Tertiariis?

CAPITE VII. Vt hoc caput intelligas, adnotato dari arma defensionis merè, quibus offendere non possumus, qualia sunt pectorale, galea, clypeus; dantur offensiua, quibus & offendere & defendi possumus, si benè vtamur. Puto licere Tertiariis vtraque habere, vtraque enim defensiua sunt, modò illa bona intentione habeant, & de suorum Ministrorum licentia.

Quæ ad solamen conducunt, etsi salubria non sint, ægrotis conceduntur interdum.

2073 De Officio Diuino.

CAPITE VIII. Tertiarios ad horas Canonicas, aut orationes loco illarum iniunctas non teneri in conscientia certum est; quia non ad illas alio tenentur titulo, quam Regulæ, quæ ad peccatum non obligat. Interim proderit legere quæ diximus *anno* 1343.

2074 De Testamentis.

CAPITE IX. Est quæstio difficilis apud Politicos, *An præstet homines mori intestatos? an testamenta sint iuris naturæ corruptelæ?* Multa adduci possent, sed vbi Nicolaus Pontifex testamentum condendum præcipit, ancipitem ipse controuersiam Apostolicâ authoritate dissoluit.

2075 De concordiâ inter fratres.

CAPITE X. De pace inter fratres & alios extraneos reformanda tractatur, quam maximè etiam necessariam iudicat D. Benedictus, iudicant alij Patres, docti à Christo docente victimam ante altare relinquendam, eundúmque, vt quis reconciliemur inimico.

2076 Textus restituitur.

CAPITE XI. Multi reperiuntur errores in editione Ioannis Kinchij, sed in hoc capite aliquid video omninò corrigendum. Lego in titulo; *Quando molestantur* contrarius *aut eorum priuilegia.* & in textu, *Si verò Fratres vel Sorores* contrarius *vel eorum priuilegia, &c.* deleo autem vtrobique *contrarius* & lego *contra Ius.*

2077 De Iuramentis.

CAPITE XII. Iuramenta omnia cauenda esse asseruntur; multa enim requiruntur, vt sine peccato emitti possint: nam deficiente veritate, periuria mortaliter peccaminosa sunt, & saltem peccaminosa venialiter necessitate deficiente.

2078 Multi periurij grauitatē non capiunt.

Sunt, qui iuramenti rigorem non apprehendunt, nec putant sincere à Theologis dici, quæ pro suggestu pronuntiantur. Hi instructione indigent, & in eorumdem gratiam historiolam aliquam recitabo.

2079

Sub annum M. DC. XL. accidit, vt res, quæ videbatur valdè certa, à multis negaretur Brugis, (Belgij ciuitas est) tametsi legitimè adiuratis. Hærebant Iudices, & quæ priuatâ scientia certissima supponebant, cogebantur iuridicâ & ex processu haustâ vel inuiti decredere. Reuocant testes; secundò illos examinant, & constantes, aut potiùs pertinaces reperiunt. Quid facerent? Pensionarius Vir doctus, & prudens dicit vni. Mecum sic Deum alloquere. *Domine, si non sunt vera, quæ dixi, iube Dæmoni, vt meā domū incendat, meam excîdat siluam, segetes eradicet, filiolos auferat, vxorē trucidet, méque ipsum in infernū demergat.* Noluit ille adquiescere, nec tale iuramentum euomere, satius iudicans prioris testimonij execrabile periurium detegere, quam hanc maledictionem incurrere. Oportet igitur Viris indoctis hanc ita materiam proponi, vt magnitudinem peccati intelligant, & detestentur grauitatem. Scio nullum esse, qui hominem auderet occidere, adeoque si semel intelligeret periurium grauius homicidio, nunquam peieraturum. Hoc ego aliquando sum remedio vsus; multi enim in eo nihil mali reperientes, liberè peierabant, qui posteà peccati grauitatem docti, ab illius commissione abstinuerunt.

Quomodo Rustici sint adiurandi?

Debent Iudices, quando examinandi sunt homines ignorantes periurij exsecrabilem grauitatem ostendere.

2080 Ter in anno simul communicabunt:

CAPITE XIII. Hoc mihi Caput fauet; Pontificemque notâ liberat, quem anteà vix defendere potui, & iam clarè propugno. Capite huius Regulæ VI. & præcedentis IV. præcipit, vt ter in anno confessionis communionísque Sacramenta recipiant: & hærebam, qui illos desiderarem diebus dominicis eucharistia, & frequentiùs muniri sacramentali confessione. At sub huius capitis initium lego. *Vniuersi sani Fratres, & Sorores..... diebus singulis.... missæ officium audiant: & mense quolibet ad Ecclesiam siue loca, ad quam vel ad quæ Ministri curauerint intimare, conueniant; missarum solemnia inibi audituri.* Idem de Confessione & Communione dictum puta. Ter in anno ad communionem per modum corporis mystici in Ecclesia à Ministro deputata conuenient, & reliquis diebus dominicis (aut frequentiùs, si prudenti confessario placuerit) seorsim communicabunt.

aliàs priuatim, quoties Confessarius permiserit.

2081 Ad quemnā eleemosynæ, quæ in missâ offeruntur, pertineant?

Occurrit circa oblationes dubium, *An ipsæ ad celebrantem, an ad alium, an fortè ad Ecclesiam pertineant?* Et existimo nullius esse authoritate suprema id decernere, qui non possit subditos inuitos cogere ad oblationem. Vnusquisque est pecuniarum, quas legitimè lucratur, dominus; nec licitè fieri potest, vt quæ data sunt Petro, recipiat Ioannes, tametsi vterque pauper sit. Qui petunt eleemosynas, etiam dicunt pro quo, & à fidelium deuotione recipiunt, quæ posteà propriâ authoritate confundere nequaquam debent. Quæ enim tali ego necessitati succursurus donauero, me inuito adeoque iniustè alteri applicabuntur. interim eleemosynas, quæ in altari offeruntur multi existimant ad celebrantem spectare, at Melleus Doctor contrà accenset illas Communitati: & hoc mihi videtur congruum; voluntas enim offerentium est, non celebrantem, qui solet esse peregrinus, sed communitatem iuuare. Vide supra *num.* 1854.

De silentio & concionibus.

Posteà Pontifex Caput claudit, verbi Dei auditionem & silentium commendans, de quibus sufficienter in præcedenti Regula Capite IV.

2082 De missis & suffragiis pro defunctis dicendis. An, & quanto tempore differri queant?

CAPITE XIV. De curâ erga ægrotos habenda, & de orationibus pro ipsis aliqua in expositione Regulæ præcedentis Capite VII. at nunc ex littera Pontificis respondere valebo difficili quæstioni, quæ inquirit; *An Missæ pro defunctis, ad quas tenemur, debeant statim dici; an possint in multos dies differri?* Circa quam varios homines vidimus, in suo abundantes sensu, iam scrupulis, & iam relaxatione peccantes. Ego autem, ne videar nimis rigidus viuis, aut defunctis incurius, audiam summum Pontificem, & illo audito respondebo.

Quanta mora videatur tolerabilis?

Ipse sic; *Intra octo dies ipsius defuncti obitum immediatè sequentes, quilibet Fratrum aut Sororum ipsarum dicat pro anima eius, &c.* Dilatio igitur, quæ non excedit octo dies numerandos à prima die, qua quis satisfacere potuit, non est notabilis, nec nominari debet negligentia vel culpa.

Illustriss. D. Angelus Manrique, ob pietatem & doctrinam toti orbi notus, Sacerdotes admittere obligationem celebrandi missas triginta, dum nostri Ordinis esset Generalis, permisit: alij tolerant quinquaginta: non autem vidi indulgeri licentiam, vt plurium missarum obligatione se posset Sacerdos grauare. Ergo suffragiorum dilatio, quæ duos menses superet, videtur nimia. Ergo, si tibi centum missæ dicendæ pro defuncto offerantur, 30. aut 40. aut ad summum 50. accepta, & cæteras aliis concede, vt citiùs dicantur.

CAPIT.

2083 An possit Religiosus oblatam non acceptare dignitatem?

CAPITE XV. Vt omnis officium sibi iniunctum acceptet, indicit Pontifex. An excusationi erit locus? Vide quæ de illo dicta, cui impossibilia iniungerentur, nimirum, *à num.694.* Sed & præcipit, vt nullum sit perpetuum officium, & quia nonnulli præstare dicunt Superiores perpetuos, vide quæ in expositione Capitis V. Regulæ præcedentis, & quæ vberiùs in expositione Benedictinæ *à num.1492.*

An Prælaturæ debeant esse perpetuæ?

2084 De Visitationibus annuis.

CAPITE XVI. Quam necessariæ sint annuæ visitationes, declarauit Summus Pontifex iniungendo, vt hæc Tertiariorum, tametsi confraternitas potiùs, quàm religio dicenda sit, singulis annis visitetur.

An Visitator debeat esse Sacerdos?

Sed cur à Sacerdote, cum visitandi Sacerdotes non sint? Quoniam summum debet in visitatione obseruari secretum, videturque id bene posse, qui confessiones audit, doctus enim tacere quæ in confessione sacramentali audiuit, sciet etiam illa, quæ in visitatione, celare.

Quis incorrigibilis censendus sit? An possit expelli?

Incorrigibiles iudicat, qui tertio puniti in materia graui se emendare contempserint; & docemur, quos debeamus & nos incorrigibiles vocare. Illos dimitti præcipit, sed ex discretorum consilio, ne passio aliqua præcipitem agat Ministrum aut Superiorem aliquem in præiudicium animarum. Vide quæ dicta *à num.1757.*

2085 Litigare viros religiosos non decet.

CAPITE XVII. Cauet lites, & iurgia Confratribus Pontifex Summus; sed quando execratur morbum, non designat determinatè medicinam, hanc enim prudentis iudicio committit. Nos autem illam reperimus optimis characteribus expressam in Regula D. Benedicti Capite LXXI. in quo iudico hæc verba esse fortissima. *Si quis autem Frater*, ait S. Pater, *pro quauis minima causa ab Abbate, vel à quocumque priore* (seniore) *suo corripiatur quolibet modo, vel si leuiter senserit animum Prioris cuiuscumque contra se iratum, vel commotum, quamuis modicè, mox sine mora tamdiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat satisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa commotio.* Et ne rem leuem quispiam iudicet, quam tam grauiter indixit ille, subdit, *Quod si quis contempserit facere aut corporali vindictæ subiaceat, aut si contumax fuerit* (nota bene) *de Monasterio expellatur.*

Quomodo vitabuntur iurgia in Communitate?

An, qui pacem perturbet, sit expellendus?

2086 De dispensatione & cõmutatione.

CAPITE XVIII. Declarat Summus Pontifex, per quos possit in ieiuniis & abstinentiis dispensari, & inquiris, *An debeat dispensatio peti in lege, quæ conscientias non obligat?* & si debeat, *Quem effectum habeat hæc ipsa dispensatio?*

Quem effectum habeat dispensatio?

Respondeo primò dispensationem esse necessariam, ne quis pœnæ debitum dicatur incurrere, & à Superiore puniatur. Secundò, ne peccet venialiter ieiunia irregularia violando; quoniam tametsi certum sit Tertiarios Regula non obstringi mortaliter, possent probabiliter dici obligati de leui, & peccare venialiter quotiescumque Regulam violant in materia notabili. Sed de hoc Capite XX. vberiùs.

2087

CAPITE XIX. Pauca addit, quæ ad decimumsextum spectare videntur; & tamen vniuersos Religiosos erudit, vt sciant, qui debeant procedere in suis Visitationibus. *Ministri*, ait Pontifex, *manifestas Fratrum, & Sororum culpas Visitatori denuntient puniendas.* Nota illud *manifestas*, frustra enim denuntiantur, quæ probari non possunt. Si accusare sufficeret, omnes essent infames; nam & omnes (nec Verbum æternum excipio) iniquas linguas patimur; ergo ne detur peruius aditus detractioni aut calumniæ, nemo Visitatori occulta, quæ non possint probari, denuntiet; vel si faciat, talionis iustissimo rigori subiaceat.

Quales culpas debent Religiosi Visitatori denunciare?

2088 De obligatione huius Regulæ. Ad quam obliget pœnam?

CAPITE XX. Qualiter Tertiarij ad regulares obseruantias teneantur, exponit, & quia scrupulosus es, inquiris.

PRIMÒ, *An obseruantiæ regulares obligent ad pœnam?* & si dicantur ad pœnam obligare, *ad quam?*

Respondeo obligare ad arbitrariam à Superiorum prudenti iudicio imponendam.

2089 An ad culpã lethiferam?

SECVNDÒ. *An obligent ad peccatum mortale, si materia sit grauis?* Et quidem meritò de graui agis materia, nam mortalem culpam in leui non posse reperiri ostendi superiùs *à num.41.*

Et ego negatiuè respondeo, ex illis huius Capitis verbis, *nullum ipsorum ad mortalem culpam volumus obligare.*

2090

TERTIÒ, *An saltem obligent sub veniali?*

An res grauis præcipi possit sub culpa leui?

Respondeo duas esse Doctorum sententias, aliam docentem non esse possibilem legem, quæ obliget ad veniale, si materia sit magna: aliam tenentem contrà, posse Superiorem res etiam graues sub veniali præcipere. Stando primæ, cessat quæstio, multa enim in hac regula præcipiuntur, quæ grauia (talia sunt, ieiunia, communio, cura ægrotorum, visitationes, & similia) quæ siquidem mortaliter non obligant, venialiter non possunt obligare. At stando secundæ sententiæ, dicendum potuisse Summum Pontificem hãc regulam de facto sub veniali præcipere, incertum an præceperit. Pro parte enim affirmatiua stat ipsemet textus, nam exceptio firmat regulam in contrarium, & Pontifex cùm mortale peccatum excludit, veniale videtur admittere, aliàs enim excluderet vtrumque vt fecit in præcedentis Regulæ Capite X. vbi dicitur, *nulla esse obligatoria ad peccatum mortale vel veniale.* Pro parte negatiua stat hæc eadem periodus, quam pro affirmatiua citaui; nam strictior est Regula Tertiariorum in communitate viuentium illâ, quam reliqui in propriis suis domibus seruant: atqui illa nec ad mortale, nec ad veniale obligat: ergo neque hæc. At hæc ratio non est demonstratiua; illa enim Regula, tametsi in hoc puncto esset benignior, absolutè esset austerior, habet enim adnexa tria vota essentialia, quibus hæc caret, quam impræsentiarum exponimus. Posset pro negatiua parte addi alia ratio ex præcepti naturâ desumpta; nemo enim prudenter præcipit homini, qui non tenetur obedire, at in materia graui nemo sub veniali tenetur obedire: ergo. Probatur minor. quia licitum est vnicuique opinari sibi non posse tale præceptum

Sunt aduersæ Theologorũ sententiæ.

De Summi Pontificis mente.

Rationes dubitandi.

An strictiùs habitantes in communi obligentur?

An fruſtra debeant poni præcepta?

An absentes cautiùs sint gubernandi?

imponi, & hac stante sententia erit liber ab obediendi obligatione. Prætereà Abbates prouidi, aliter gubernant illos, qui in Monasterio manent; aliter illos, qui sunt extra communitatem. Illorùm negligentiæ videntur, & expiari pœnis corporalibus possunt; horum negligentiæ nesciuntur, & quia pœna corporali curari nequeunt, ad spiritualem aliquando recurritur. Hac ratione induci potuit Summus Pontifex, vt Tertiarios qui in Communitate habitarent, lege merè pœnali gubernare voluerit; nam hæc videbatur sufficere. Cæterùm cum hæc non esset sufficiens, vt illi, qui in suis manent domibus, gubernarentur, debuit addere legem moralem: talem tamen, quæ non terreret subditos, & ideò illos ad veniale obligauit.

2091 Resolutio.

Tu igitur si errare nolueris, tene vtrumque esse probabile, & si meis insistere volueris principiis dic hanc Regulam moraliter non obligare, adeoque transgressores ne venialis quidem peccati reos esse.

2092 Quomodo Tertiarij teneantur legē Dei & Ecclesiæ obseruare?

Si hoc verum. *Quomodo in professione iubetur Tertiarius totam diuinam legem & Ecclesiæ præcepta promittere?* nam si hæc teneat promissio, temerando quodcumque Dei, aut Ecclesiæ præceptum, (puta, occidendo, aut comedendo carnes in quadragesima) committet sacrilegij peccatum, nam & peccabit vt alius quicumque sæcularis, & posteà contra promissionem: & quidem non stare promissioni Deo factæ in materia notabili mortiferum peccatum est.

Promissio triplex: moralis, pœnalis, & regularis.

Ad hæc ego respondeo dari promissionem moralem & pœnalem, dari & regularem. Pœnalis est, qua quis se intendit obligare ad pœnam, moralis, qua ad culpam: regularis, qua se ita vult obstringere, vt Regula statuit & non aliter, & hinc patet Tertiarios siue hanc siue præcedentem Regulam teneant, promissionem emittere regularem, vi cuius nolunt aliter obligari, quàm Regula sancta decernit.

Notetur hoc bene.

Et tandem inquiris, *An Tertiarius teneatur acceptare pœnitentiam, & qualiter?* Respondeo illum ad pœnitentiæ acceptationem teneri, & hic necessariò esse dandam obligationem moralem aut in infinitum progrediendum. Nam si Petrus exempli gratia ieiunium regulare violauit, non peccauit, cùm Regula non obliget sub culpa. Impono illi salutarem pœnitentiam, & præcipio vt vnam missam audiat; & ipse ad acceptandam & implendam pœnitentiam tenebitur pœnaliter, aut moraliter; si pœnaliter, & missam audire non velit, dabo illi aliam pœnitentiam. Quid si nec illam impleat? aut dabitur processus in infinitum, aut impunem contumaciam fouebit sanctæ legis benignitas, aut veniendum est ad terminum, qui vel sit lex moralis conscientiam obligans, vel expulsio. Cum igitur expulsio culpam videatur præsupponere, videtur posse Superiores Tertiarios ad acceptationem pœnitentiæ obligare mortaliter. Considera hanc Regulæ præcedentis (Cap. X.) periodum. *Nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale, ... obligantur tamen Fratres, & Sorores facere pœnitentias sibi à Superioribus impositas.* Nota illud *tamen*, est enim Regulæ generalis exceptio, ergo ad acceptandas implendasque pœnitentias tenentur Tertiarij sub peccato. Consonat verbis Leonis in præcedenti Regula positis Nicolaus, qui in Capite XX. quod nunc exponimus, sic ait, *Nullum ipsorum ad mortalem culpam volumus obligari, sed impositam pœnitentiam..... recipiat, & efficaciter studeat adimplere.* Et hic nota illud *Sed*; quoniam sicut in lege præcedente vnum, *tamen* fuit Regulæ generalis exceptio: sic impræsentiarum istud *sed*. Vnde dicendum reor Tertiarios ad acceptandas & implendas prudenter impositas pœnas teneri moraliter & pœnaliter. [Quod absolutè de vniuersis, quos Regula propria non nisi pœnaliter obstringit, asserendum statuo.]

2093 Aut dabitur processus in infinitum aut ad acceptandas pœnitentias Religiosi tenebuntur moraliter.

Expulsio morale crimen & incorrigibilitatē supponit.

Exceptio firmat Regulā in contrariū.

Quid significet *tamen*?

Quid significet *sed*?

DE ALIIS REGVLIS.

Sunt præter istas etiam aliæ ab Ecclesia approbatæ, quæ speciali expositione non indigent, quoniam speciales non sunt, sed eadem ipsa aut similia alio ordine tradunt, adeoque videor posse ponere calamum, & dicere nullam in hac Regulari Theologia necessariam Quæstionem omisisse.

AD LECTOREM.

INgenium Eximij prodit liber ille parentis,
Dignus cœlicolas liber adire liber.
Hic liber enixus gremio virtutis, apertam
Ceu digito monachis monstrat ad astra viam.
Bernardi BENEDICTE *tui tua dogmata scriptis*
Explicat, & duplici mellea melle fluunt.
Melle fluunt duplici, queis mellea mellens Author
Addidit, vt triplici mellea melle fluant.
Dicite nunc mecum Lectores, de BENEDICTO
Tam bene quæ scripsit, sit benedicta manus.

D. Bernardus Bottyn.

CENSVRA

CENSVRA.

ANtiquis illis Summorum Virorum Benedicti Decimi Pontificis maximi, Ioannis de Turrecremata ex ordine Prædicatorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Smaragdi Abbatis monasterij sancti Michaëlis in Saxonia, & aliorum præclarissimis in Regulam Diui Benedicti Commentariis, hic quoque Eximij Viri Domini ac Magistri nostri Ioannis Caramuelis in eandem Commentarius, varia eruditione refertus, vtiliter adiungetur. Vt qui alia methodo, & Scholastico more non tantùm difficiliora omnia Regulæ loca, ac dubia, quæ circa eandem passim occurrunt, aut occurrere ferè possunt; verùm etiam doctrinam de statu Religioso præclarè illustret. Louanij die Exaltationis S. Crucis sacro. 1640.

F. Andreas à Turri S. Theol. Doctor & Professor Ordinarius Prædicatorum.

CENSVRA.

INfrascriptus S. Theologiæ Louanienſis Doctor & Professor fateor legisse me ea quæ hoc libro in Regulam D. Benedicti exarauit Reuerendus admodum & Eximius Dominus Ioannes Caramuel Lobkovvitz Melrosæ Abbas, Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Progeneralis; eaque, si religionem spectes, pietate plena esse; si doctrinam, quæstionibus subtilissimis iisque solidissimè solutis, imò euacuatis, referta inuenisse, quæque ideo vt ad pietatem, obseruantiam, & pacem Religiosos omnes conditionis cuiuscumque, ita ad veritatem doctrinæ quoscumque possint adducere. Omnium ergo manibus, qui vel illius vel huius amatores sunt, vel haberi volunt, iudico familiariter proterenda. Datum Brugis 10. Iulij 1640.

Fr. Petrus Damasus de Coninck D. Augustini.

CENSVRA.

QVæ in hoc libro suo, cui titulus *Commentarius in Regulam D. Benedicti*, seu *Descriptio Moralis & Historica spiritualium armorum militiæ Regularis*, Eximius ac Clarissimus Vir Ioannes Caramuel Lobkovvitz commentatus est, omnifariæ scientiæ partu grauida, meritò digna censeo quæ cedro insculpta æternitati consecrentur. Sanè quod rarum est, ille se Theologiæ mystam, iuxta ac Themidis sacerdotem opere suo profitetur, vt qui abstrusis, & reconditissimis vtriusque scientiæ mysteriis aptè respondent, planè Asteropeus & ambidexter, ac Ianus quidam geminus, cui quod de Israëlitico populo litteris sacris proditum est (à suo è captiuitate Babylonica reditu altera manu arrepta trulla Hierosolymitanæ ciuitatis mœnia reædificasse, altera strictum habuisse gladium, quo incursantium hostium velitationi obsisteret) appropriare iuuat. Tum veritatis præco illuminandis & eruditendis ignaris operam nauans, ruinas monasticæ disciplinæ, quas ætas nostra hæreticorum tyrannide apertas videt, feliciter instaurat, ac lapides illos, è quibus cœlestis Hierusalem exstruitur, ingenij sui lima politos Ecclesiæ triumphantis ædificio adaptat. Gladio deinde errores qui multorum conscientias obsident, Gordiosque nodos nouus Alexander dissecat. Gladio rursus spiritus sui, gladio illo ancipiti, & bis acuto carnem à spiritu separat, vt inde, qui sub Benedicti regula merent, viuant in spiritu, non corruptionem à carne, sed beatorum vitam à spiritu in lucro reposituri. Ita ex animo iudico voueoque Louanij 14. Calend. Octobris 1640.

Henricus Loyens I. V. D. & in Academia Louaniensi Decretorum Professor Regius.

CENSVRA.

COmmentarius hic, seu Descriptio Mystica ac Historica spiritualium armorum militiæ Regularis, Authore Patre Magistro Ioanne Caramuel Lobkovvitz Sacræ Theologiæ publico Professore Lectore, Diuinæ Orthodoxæque fidei decretis consona est, pro rectè efformandis moribus ad Regularis disciplinæ exercitationem, cunctis ad Euangelicam perfectionem adspirantibus summoperè profutura, si quantocyus excudatur. Actum Antuerpiæ 14. Aprilis 1636.

Gaspar Estrix S. Theol. Licent. Canon. & Plebanus, ac Librorum Censor Antuerpiæ.

ACcessit admodum Reuerendorum PP. *Adriani Crommij, Ioannis de Ionghe, & Ignatij Derkennis* Soc. Iesu & aliorum plurium, Sacræ Theologiæ Professorum Louanij, authoritas, qui Positionibus moralibus seorsim extractis subscripserunt, asserentes esse pleraque certas, & reliquas verè probabiles, posseque omnes sine conscientiæ scrupulo defendi & practicari.

CENSVRA.

Theologia Regularis quoties fuerit recusa?

IVssus de Illustrissimi DD. Ioannis Caramuelis Theologiâ Regulari, quam olim Lovanij scripserat, & Brugis in Flandriâ anno 1640. in lucem ediderat; quam etiam nunc nouis Notis (hoc est, gemmis) ornatam Lugduni recudi permittit, meum iudicium proferre; me esse Authori, me & esse Lectori debitorẽ profiteor; & vt vtrique breuiter satisfaciam, sinceritate in consilium vocatâ sic discurro. Dico Authori. *Auribus tuis obstrepet rudis & inerudita, vt quæ à Parnasso procul, quem tu doctrinæ luce & facundiæ magno nitore Magnus Apollo ad admirationem imples. Sed leniet, vt spero, iniucundum strepitum prona in deuotos tui Cultores benenolentia,*

Simon Oliua Menillius *Syluarum libro pag.* 85.

Pisces sunt muti.

——— Mutis quoque piscibus
Donatura, Cygni, si libeat, sonum.

Et, quod apud Deum fieri amat, dabit affectui meo Diuinus Tuus Genius, quod ingenio deest. Lectori autem.

Idem Menillius *pag.* 117.

Imitatur illud Martialis Epigramma, *Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis*, &c.

Ardua Pyramidum ductas ad sydera moles
Miratur Pharios Memphis circumflua Nilo;
Splendida coctilibus Babylon se mœnibus effert;
Prædicat immanis fastigia celsa Colossi
Clara Rhodos; Triuiæ centum sublime columnis
Templum Ephesus cum laude refert; æquataque cœlo
Caria commemorat fastûs monumenta superbi:
At dilecta Deo, magnoque peracta labore,
Quam triplici decorant rutilantia lilia culmo,
Suspicitur, toto populis inhiantibus orbe,
Machina, ter-geminis quæ surgit ad æthera Libris.

Porrò nostro æuo multæ prodiere Theologiæ, politissimo calamo scriptæ, at quia pictura, si solo candore dilatetur, & vmbris careat, esse bona non potest, permisit Deus, vt aliqui libri prodierint (nullum Authorem nomino, sed me vera loqui omnes sciunt) in quibus nihil præter vmbras & tenebras Lector eruditus inueniat. Libri aliqui Pyramidibus, alij Babylonico muro, alij Colosso, alij Dianæ Ephesinæ templo, & alij Mausoleo sunt similes. Quò magis pergit, magis est tenuis Pyramis, & Authores nonnulli, quò magis pergunt, magis ingenij sui tenuitatem ostendunt. An Babylonis muri crudis, an verius coctis lateribus sint constructi, dubitant Historiographi, vnde Gongora

Pictura carere vmbris non potest.

Alij Scriptores luces sũt, alij vmbræ.

An lateres, quibus muri Babylonis constructi fuerint credi? *Hisp.* si fueron adovos, o ladrillos?

La Ciudad de Babylonia,
Tan celebre por sus muros,
O sean de tierra cozidos,
O sean de tierra crudos.

Et tamen prodeunt quotidie libri, qui meram Babylonem (confusionem) continent:

nent: cuius pleræque omnes Assertiones sunt crudæ, & malè concoctæ rationes, quibus illæ probantur. Colossus terræ-motu corruit; sunt quidem magna Authorum volumina, quæ in arenâ arces altas ædificant; quæ omninò corruent, si primum fundamentum arietes. Ephesiæ Dianæ templum industriâ multorum erectum, vnius ambitione & malitiâ in cineres redactum est: & nihilominus ob oculos ponit libros, in quibus alienos labores malè adsutos reperias; vnde opportunè idem Gongora.

Sententiæ crudæ, & rationes incoctæ

Cur Colossus corruerit?

De Dianæ templo.

Plagiarij sunt Scriptores non pauci.

Que predique el Presentado
un sermon muy estudiado,
bien puede sêr:
Mas que muchos puntos buenos
no sean trabajos agenos,
no puede sêr.

Cur inglorij in Viros glorioſos scribant?

Huius Numinis templum, quidam inglorius & vilis homuncio, vt vel hinc æternitatem nominis indipiscereturſuccendit; quem Plautus *Ephesiæ Dianæ fumificem* meritò dicit; & hodie multi Authores, cùm à propriis Scriptis gloriam desperent, insolentis audaciæ fumo aliorum pretiosissimas speculationes inuadunt, digni pœnâ, quam Ioannes de Villareal Vlyssipone subiit; qui in Caramuelem, ardore magno scripsit, & dum fumo veritatem obnubilat, conscientiam Hebrææ perfidiæ plenam detegit, & tandem pertinax viuus comburitur Sacræ Inquisitionis mandato. Tandem Mausoleum, vt vt celebre, sepulchrum fuit: & moneor, multos Authorum calamos mortales esse, multos morituros, immò etiam multos mortuos. Mortales sunt, qui per accidens viuunt, qualis mea sententia est Aristotelis Philosophia, quæ doctissimis S. Thomæ & Scoti Scholiis vitam debet. Sunt & morituri libri multi, qui cedent fato & tempori, vt veteres multi cesserunt. Sed & alij sunt abortiui libri, & nascuntur mortui; qui in lucem editi à nullo leguntur; negliguntur aut etiam contemnuntur ab omnibus. Scitissimè dixit Martialis,

Plautus *in Mil. scen. 2. act. 2.*

Ioannes de Villareal Iudæus in Caramuelem scribit, & viuus comburitur Vlyssipone.

Libri mortales.

De Aristotelis Philosophiâ.

Libri morituri.

Libri mortui.

Non scribit, cuius carmina nemo legit.

De libro Merendæ.

Huc pertinet Merendæ de Conscientiâ liber, qui à nullo emitur, à nullo legitur, à nullo impugnatur: audet enim in omnes, & curatur à nullo.

Menillij carmina applicantur.

Longè abest ab his omnibus libris Illustrissimi D. Caramuelis Theologia Regularis. *Est dilecta Deo*, quia Lectorum mores reformando dilectos Deo illos reddit. *Magnoque peracta labore*; nam sub annum 1630. fuit incepta, & primam lucem vidit Brugis in Flandriâ anno 1640. Adoleuit, & auctior in lucem secundam prodiit Francofurti in Germaniâ anno 1646. & Venetiis in Italia anno 1651. & tandem multò adhuc auctior hoc anno 1663. Lugduni in Gallia prælum subit. Est quædam doctissima Regularium obligationum expositio, *Quam triplici decorant rutilantia lilia culmo.* Profectò Morales Resolutiones flores sunt (sic vocat suas Bassæus in duobus vberrimis & eruditissimis tomis: sic etiam non rarò Caramuel) & in huius Regulari Theologia, velut in fragantissimo horto tria (aut etiam plura) genera florum reperio. Tria hæc considero: *Quis dicat? Quid dicat?* &, *quomodo dicat?* Author est Trismegistus, argumentum tricoccon, & modus dicendi triarius. Et quidem iure vocari debet Trismegistus Caramuel; est enim nostræ ætatis Mercurius; nobilitate, pietate & doctrina illustrissimus, adeoque tribus titulis maximus. Tricoccos est Heliotropium quoddam, tres rosas emittens (vnde nomini occasio) in solem perpetuò collimans. Talis est Caramuelis Theologia Regularis: tres flores Cœlestes edisserit (Obedientiam, Paupertatem, & Castitatem) & quà Scholastica ad Veritatem (solem omnis Doctrinæ) & quà Ascetica ad Christum (solem omnium virtutum) Theophilos (Auditores) conducit. Calamus, quo eximius hic Doctor librum istum scripsit, Triarius est; miles iam veteranus, multarum victoriarum & coronarum pugil, tribus prærogatiuis celeber; ratione, authoritate, claritate. Ratione quidem; quoniam omnia, quæ statuit, robustis argumentis adfirmat. Authoritate; eadem enim magno roborat Scriptorum suffragio. Claritate; quia singula tam distinctè proponit, vt Veritatem ipsam loqui putes, cùm ipsum audias. Hinc meritò, *Suspicitur toto populis inhiantibus Orbe*; vnde non immerito libris Caramuelis illud applicare poterimus, *In omnem terram exibit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Suo bono hoc ipsum confitentur Typographi, qui iteratis & repetitis prælis illos pluries recudunt; hoc

Quanto labore & tempore compositus fuerit hic liber?

Gnomæ, flores.

Quis? quid? quomodo?

Caramuel Trismegistus.

Τρίκοκκον

Cur sic dicatur?

Sol Veritas.

Sol Christus.

Stylus triarius.

De Triariis vide Liuium *Decad. 1. lib. 8.* Erasmum *in Adagiis*, & alios.

Caramuelis libri per totum orbem distracti, vbiuis magno pretio venduntur.

Neapoli singuli 30. scutis vendebãtur. Vide R. P. Francisci de Vietri Capucini Epistolam Theologiæ intentionali præfixam.

hoc etiam Bibliopolæ, quæ non solùm in Mexico, Peruvia, Brassilia, Chili, &c. sed etiam in ipsamet Europa (in Hispania, in Germania, in Italia) pretio tyrannico illos distrahunt: hoc etiam Ecclesiastici, qui non curant impendium, modo illos adquirere possint. Denique hæc ipsa Theologia Regularis, in tres Tomos diuisa, est quædam Ecclesiæ militantis *Machina, ter-geminis quæ surgit ad æthera Libris.* Hæc Fidem Orthodoxam propugnat, Hæreticos prosternit & atterit, vitia eradîcat, virtutes generosas implantat, & ideò meritò ad æthera Gloriæ & Famæ surgit. Sic sentio. Neapoli, Pridie Calendas Octobris M. DC. LXIII.

D. Dominicus Platus, Sacræ Theol. Professor, Abbas Disenbergensis.

TOTIVS OPERIS
MORALES SYNTHESES:
Et earumdem Censuræ.

2094 An omnes Opiniones probabiles sint æquè tutæ?

DE probabilitate opinionum *disp. 6. num.* 51. disserui; licere sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori non solùm probaui, sed & demonstraui, vt opinor. omnes opiniones probabiles per se esse æquè tutas & securas ostendi; & benigniores, tametsi minùs probabiles, per accidens esse tutiores. summam syntheseon Moralium sub libri finem pono, & sapientissimorum Virorum authoritate roboro, & quia rationem inuestigas, expendo.

Probabilitas duplex.

Duplex est probabilitas; authentica & rationalis. Hæc septa vniuersitatum vix egreditur; pauci enim extra illa reperiuntur, qui de rationum grauitate prudenter possint iudicare. Authentica igitur vtilior, omnibus & singulis etiam Theologiæ imperitis prodesse potest. Eò respexit Diana in suis Resolutionibus. Si solùm rationum momenta congessisset, profuisset paucis; at quia authorum suffragia, profuit vniuersis.

Authores mortui non semper bene citantur.

Sed cùm magnos viros, aut absentes, aut mortuos, iunior aliquis scriptor allegat, non statim teneris adquiescere, præcipuè si præuentus; posses enim credere pro te illos esse, & contra te ingeniosa elocutione retorqueri. Inter Romano-Catholicos & Hæreticos, & inter horum diuersas classes & sectas continua dissidia de mente Augustini inuenienda: ne verbum quidem sine Augustino loqui gloriatur Lutherus, & tamen ne vnam quidem periodum benè explicat. Omnia sensa Caluinus Augustini testimoniis substruxit; & tamen non solùm opponitur nobis, sed & Luthero. Augustini igitur authoritas nulla est, si malè citati, aut obtortè expositi; ergo nec aliorum Authorum, quorum suffragiis Iuniorum sententiæ roborantur, si sine veracitate citentur, aut sine veritate exponantur. Si à mortuis Augustinus resurgeret & scriptis diuersorum recognitis, sed à tali bene allegari & sincerè exponi declararet, ille vnicus triumpharet vniuersos alios Expositores. Igitur & nostri Scriptores Authorum aliorum mentes adsequuti dicendi essent, si & illi, quorum mentem exponunt, ad mortales reuersi, se bene exponi declararent; cumque hoc stando communi rerum ordini impossibile sit, volui citare, adlegare, explicare Authorum viuentium sententias, vt & ipsi viderent, an in meas torquerentur inuiti, an verò spontanei & voluntarij conspirarent. Ipsi nostris adsertis sese subscribere testantur; ergo præter homines illustrissimos, quos propriis locis cito, & me intelligere voluisse scio, potuisse puto, hic suffragia sapientissimorum habes, non solùm me, sed se ipsis iudicibus nostrarum adsertionum probabilitatem propugnantibus. Lege igitur & perfruere, & Deo, (cuius legem, vel inuitis idiotis, superbis, & ambitiosis hominibus, benigniorem reddidimus, & adhuc si sancto meo voto ipsemet annuat, faciliorem reddemus) meas continuas vigilias & studia commenda.

De Augustino.

Ergo præstat consulere Doctores viuos.

ARTIC.

ARTICVLVS I.

De Legibus.

Editionem Romanam in his Syntheſibus ſequuti ſumus.

1126 Lex æterna. LEx æterna eſt liberum Decretum Dei, circa creaturas gubernandas: phyſicè & naturaliter dirigit creaturas non intellectuales; has verò etiam moraliter circa Articulos, ad quos voluit obligare Summus Legiſlator in conſcientia, malitia enim naturalis aut phyſica ante prohibitionem reperitur, nunquàm verò mortalis (nempè Theologica) Decalogus nec mutari nec diſpenſari poteſt humanâ authoritate. Ius particularium gentium pactum earumdem eſt, aut expreſſum aut tacitum; vniuerſale aut non datur, aut debet non diſtingui à Iure naturali. Lex, humana triplex Moralis, Pœnalis, & Mixta. Moralis obligat in conſcientia ex vi quarti præcepti Decalogi. Qui omnes leges pœnales conſcientiam obligare ſentiunt, debent conſequenter dicere, non dari leges merè pœnales. Merè pœnalis ſanctio nonnunquam infert obligationem moralem, nunquam imbibit. Lex pœnalis ſæpè eſt moralis diſiunctiua, nempè indicens aut actionem, aut paſsionem; hoc eſt aut rem talem facere, aut ſubire talem pœnitentiam: ſed hoc etiam poteſt præcipi purè pœnaliter. Lex, vt cenſeatur legitima, debet acceptari liberè à ſubditis. Qui legem iuſtam non admittunt, peccant quidem moraliter; cæterùm antè acceptationem lex non obligat. Mancipiis & debellatis iuſto bello, illis videlicet, qui occidi poſſent, etiam inuitis, poni poſſunt validæ & legitimæ leges. Ceſſante fine adæquato legis in particulari, ceſſat etiam tum eiuſdem legis obligatio. Actus purè interni humanæ legi non ſubſunt, directè. Ad hoc vt grauiter lex obliget, requiritur grauis materia. Regula Benedictina non eſt lex moraliter impoſita, ſed imponibilis ab ordinario Antiſtite; non indiget nouâ acceptatione, eſt enim in ipſa profeſsione accepta; contemptor Regulæ peccat mortaliter.

Lex duplex phyſica & ethica.

Decalogus.

Ius Gẽtium.

Lex humana triplex.

Lex Moralis.

Lex diſiunctiua.

Lex merè pœnalis.

Aliter liberis leges, & aliter imponuntur mancipiis.

Nota hoc benè.

Conditiones legitimæ legis.

Ceſſatio finis.

Materia legum.

An de occultis iudicet humana lex?

Regula D. Benedicti.

Lex (ſaltem laica) indiget acceptatione.

ARTICVLVS II.

De Materiæ Quantitate.

Materia leuis quæ?

Materia grauis quæ?

Materia indifferens.

Duplex materiæ grauitas. MAteriam magnam in abſolutam & reſpectiuam diuido, placent enim in moralibus rebus termini magnitudinis, & paruitatis. Res abſolutè leues videntur eſſe medius Regalis, ſedecim ſalutationes Angelicæ, leuis aſpectus, aut quaſi inſenſibilis carnis contactus, ſemoto (hoc eſt, præciſo) vlteriori periculo. Videntur abſolutè graues iniuſta quatuor florenorum ablatio; Pſalterij obligatorij omiſsio, completa ſenſualitas, & aliæ ſimiles. Quid quid interest termino magnitudinis & paruitatis, abſolutè materia eſt indifferens, cui vni accidit eſſe graui & leui, proportionaliter & relatiuè; Grauis quidem ſi fuerit totum quod indicitur, aut pars immediata rei præceptæ in materia obedientiæ, congruæ, diurnæ in materia furti & ſenſualitatis completæ in materia Venerea, leuis verò ſi fuerit pars partis. In quot partes totum immediatè diuiditur? apud Phyſicos in indeterminatas, quia ſiue Ariſtoteli, ſiue Zenoni ſubſcribas, non eſt dabilis numerus, qui vnus determinet, omnium rerum continuarũ partes. Medici communiùs inquatuor gradus diuidũt, Theologi in octo. Nonum gradum caloris nemo audiuit, nemo dixit. Placet igitur Theologorum opinio, & totum morale in octo partes immediatas diuido, & aſſero, quidquid minus octante fit non eſſe partem immediatam totius, ſed partem partis, ac propterea ſi materia alias ſit abſolutè indifferens, eſſe ſolum relatiuè quantam & habere non niſi leuem quantitatem.

Partes apud Phyſicos.

Apud Medicos.

Apud Theologos.

Partes immediatæ & mediatæ: illæ autem quot?

ARTICVLVS III.

De opinione probabili.

Probabilitas quid? Vide n. 268. & Prologū.

PRobabilem ſententiam dico illam, quæ habet aut rationes aut authores graues. Licet ſequi opinionem minus probabilem. Omnes probabiles ſecundum ſe conſideratæ, ſunt æquè ſecuræ & æquè tutæ, benigniores: licet minus probabiles ſint, ſolent eſſe faciliores, ac propterea non rarò ſecuriores. Prælatus ex vi officij non poteſt præcipere ſimplici ſubdito, vt ſubſcribat potius huïc, quàm alteri parti probabili. Si cauſæ graues ſubſint, poteſt iuberi ne tales opiniones doceantur, defendantur. Subditus poteſt promittere Superiori obedientiam in omnibus rebus, quæ non ſint certò & euidenter malæ; & ex vi huius voti tenetur obedire etiam in materia affecta malitiâ probabili. Tale votum emiſit Prior Benedictinus, vt conſtat ex ipſamet Regulâ: tale Superior: tale Communitatis adminiſtri. Qui pacto, voto aut iuramento promiſerit defendere aliquam opinionem probabilem conducentem ad vtilitatem alterius, tenetur ſtare promiſſis.

An dentur opiniones tutiores & minus tutæ?

Quid poſſit Superior in materia probabili.

An interdici queat doctrina probabilis.

Vide n. 265.

Prioris & Superioris vota.

ARTICVLVS IV.

De Conſcientiâ dubiâ.

In dubio beatus qui poſſidet.

CVm dubitas in Iure diuino, ſtandum eſt pro poſſeſſione ratâ rerum quæ fuerant ante dubium; imò & in Iure humano. Cæterùm ipſummet dubium, ſi ſit contra res humanâ authoritate indictas, Azorius benignè & probabiliter interpretatur.

ARTICVLVS V.

De Nouitiis.

Nouitiorum admiſſio.

REcipere Nouitios ille Prælatus poteſt, cuius Anteceſſores fecere, modo ipſe non habeat legitimam limitationem. Prælatus, ni contrarium lege legitima indicatur, poterit Nouitios veſtire, & dimittere inconſulto conuentu; admittere verò ad profeſſionem non poteſt. niſi ex plurium conſilio. Tempus eſt duplex, Ciuile, & Eccleſiaſticum: illud dies Menſium reſpicit, hoc Eccleſiaſticas ſolemnitates: pro interſtitiis vti Ordinum ita & profeſſionis probabiliùs tempus Eccleſiaſticum ſumeretur, ſunt enim res Eccleſiaſticæ ac ideò tempore Eccleſiaſtico determinandæ; ſed pro profeſſione vſus eſt abſolutè contrarius. Annus probationis debet eſſe integer. Ante profeſſionem ne leuiter quidem peccat, qui habitum relinquit. In dubio debet Nouitius reprobari; approbare autem Nouitios, aliàs habiles, eſt materia gratiæ.

Interim cõſiderare oportet diuerſas Religionũ leges.

Et dimiſſio.

Sed quid ſi ſtaretur rationi?

Tempus duplex Eccleſiaſticum & ſæculare.

Nouitij approbatio.

Annus probationis.

ARTICVLVS VI.

De Profeſſione.

Stabilitas duplex. Profeſſionis annullatio.

STabilitas, quæ ſub promiſſionem cadit, duplex eſt, Ordinis & Monaſterij; & vtraque ſecundum Regulam, non eſt quartum votum Theologum factum Deo; ſed votum, hoc eſt, promiſsio firmata iuramento, facta ſanctæ communitati. Omnes, qui inſtabilitatis pacto fuerunt requi

An teneãtur Benedictini quarto voto.

Transitus ad aliam Religionem. Et in ſecũda probatio.

requiſiti ſufficiunt, vt illud annulletur ſine cauſa: ſi detur grauiſſima: non ſolùm ad aliud Monaſterium, ſed & ad alium ordinem tranſire quis poteſt, & pactum reſcindere etiam inuitâ parte: ſine cauſa, non poteſt ſummus Pontifex, aut profeſſionis, aut alios legitimos contractus legitimè factos annullare. Qui ex Ordine ad Ordinem transfertur; debet probari: Sed quamdiu? non eſt expreſſo aliquo iure determinatum. Vota ſolemnia non eſt opus iterum profiteri; ſufficeret enim profiteri Taleitates Votorum, & noui Ordinis pœnalitates; expediret tamen profiteri vt alij Religioſi. Conuerſio morum debet fieri per tres virtutes eſſentiales, nec addit nouam circumſtantiam in confeſſione ipſa aperiendam. In profeſſione non promittit Benedictinus obedire Regulæ, ſed Prælato, cùm iuſſerit contenta in Regula; Religioſus tenetur in perfectionem tendere per virtutes ſubſtantiales, non aliter, nec poteſt dici non tendere in perfectionem, quam diu non peccauerit mortaliter: qui mortaliter peccat, in perfectionem non tendit, ſed hanc circumſtantiam non tenetur in confeſſione exprimere.

Summi Pontificis poteſtas.

Quo debeat modo Religioſus in perfectionẽ tendere?

Morum conuerſio qualis.

Votum obedientiæ emiſſum à Benedictinis, quale?

ARTICVLVS VII.

De Obedientiâ.

De Officio diuino præcepto.

ANtiſtiti præcipienti, vel quæ ſunt in Regula, vel quæ ad illam conducunt teneris obedire. Item præcipienti recitare Officium Diuinum, in choro. Præcipienti aliquid, quod vel ſit contra Deum, vel contra Regulam, vel contra Eccleſiam debes non obedire; præcipienti vltra Regulam, & non ſecundum illam, potes obedire & non obedire.

Teneris interdum obedire, & interdum nõ obedire.

De rebus propter alias præceptis.

Omnia quæ præcipiuntur propter finem, non habent ab obiecto intrinſeco, ſed à ſcopo ſpeciem. Poteſt res leuis grauiter obligare, ſi ad grauem grauiter conducat.

An res leuis poſſit grauiter obligare?

Quomodo ſit inobediẽtia venialis.

Peccant venialiter, qui omittunt rem grauem præceptam vt medium: *Primò* ſi finis ſit leuis: *Secundò*, ſi ad grauem leuiter conducat. Præceptum impoſitum Benedictino Monacho, ſi ſe prudenter excuſauerit, non obligat, quouſque ſecundo imponatur, quia ſic diſpoſuit legiſlator cap. LXVIII. Abbates poſſunt concedere in ſuis præceptis diſpenſationem ſine cauſa; ceſſante diſpenſationis cauſa non ceſſat ipſa diſpenſatio, niſi fortè data fuerit pro tempore durationis ipſius cauſæ.

An replicare liceat ſubdito?

De diſpenſationis conceſſione, & ceſſione.

ARTICVLVS VIII.

De Paupertate.

Dominium in cõmuni. Benedictini ſunt proprij honoris domini.

DOmini Benedictini habent dominium in communi, imò & in particulari habent, directum in Manuſcripta, ita vt illa donare poſſint, Magiſtrale in diſcipulos, Naturale in actiones internas, externas, & in filios, & in res vnico actu conſumptibiles. Honoris ſui ſunt domini: ni inde ſequatur damnum tertij: poſſunt illum expendere, nunquam prodigere, vitium eſt enim prodigalitas. Iure ſecreti, & honoris non cedunt, poſſent tamen. Vbicumque non relucet proprietas, non violatur paupertas. Qui paulatim modica accipit, ſolet committere peccatum graue, vel cùm grauem materiam tandem capit, vel non vult captam reſtituere. Religioſus eſt filius familias. Patres erga furta filiorum creduntur ſub duplo inuoluntarij, quàm erga furta peregrinorum. Hoſpites & amici videntur eſſe, quaſi medij inter peregrinos & filios.

Dominium in particulari.

Iure ſuo non cedunt.

De furtis paruis.

De furtis filiorum & amicorum.

ARTICVLVS IX.

De Caſtitate.

Peccata contra naturam. Vide infe. riùs cap. 6. & 9.

PEccata contra naturam (nempè Beſtialitas,Sodomia, Mollities)ſunt contra deuotam caſtitatem , non tamen diſtinguuntur ſpecie , etſi in confeſſione ſint explicanda. Ita D. Thomas, teſtibus Filliucio , & Armilla , Tabiena & aliis , præter quos etiam Diana , huic parti probabiliter ſubſcribit.

Nota illud ratione complicis, & vide quæ n. 973. dicuntur.

Sacrilegium eſt duplex: formale & obiectiuum.

Intentio fornicandi formaliter eſt contra pudicitiam , & obiectiué contra caſtitatem : in Religioſo non eſt ſacrilegium formaliter , ſed obiectiuè , id eſt, intentio committendi ſacrilegium. Monachus non vouit Deo alienam caſtitatem , ſed propriam. Votum implicitum , & expreſſum , ſolemne , & ſimplex , differunt ſolummodo modaliter.

Aliena caſtitas: votorum diſcrimen.

Cur delectatio moroſa ſit peccatũ.

Delectationes moroſæ , ideò ſunt peccaminoſæ , quia ſunt principium mollitiei interdictæ. Somniorum non datur cauſa directa ; poteſt contingere quod actio leuis intrinſecè , extrinſecè grauis euadat ratione periculi.

De ſomniis laſciuis.

Periculum duplex proximum & remotum. Vide ſupra num. 300.

Periculum proximum dicitur eſſe , cùm imprudenter quis iudicaret , ſe in tali occaſione non peccaturum eſſe : nemo ſe poteſt exponere proximo peccandi periculo : liberum homini cuicumque eſt , tollere proximum omne periculum : periculum probabile non eſt proximum.

Nota attentè ſingula.

ARTICVLVS X.

De Officio Diuino.

An Choriſtæ qua tales teneantur ad Officium diuinum ?

CHoriſtæ ex vi profeſſionis ſuæ , ſunt mancipati Lectioni communi , ſed non priuatæ ; Abeſſe à Choro , eſt contra legem purè pœnalem : eſſet contra legem moralem , ſi quis abeſſet contra præceptum morale Antiſtitis.

Sunt in aliquibus ordinibus ſpeciales conſtitutiones , quæ debent etiam conſiderari.

An Sacerdotes.

Omnes Sacerdotes tenentur ſub mortifero ſingulis diebus Diuinum Officium recitare. Ab hoc onere immunes ſunt Nouitij , & Conuerſi profeſſi.

Regula Benedictina indicitne priuatam lectionem iunioribus , nondum ad ordines promotis ? Reſoluo affirmatiuè ? negatiue verò Eugenius in Priuilegio quarto conceſſo Ciſtercienſibus , anno 1437. illud igitur probabile à ratione eſt , hoc ab authoritate. Ex ſuppoſitione , quod Regula priuatam eis lectionem indicat , non tenebuntur moraliter ante Abbatis præceptum.

Qualis eſſe debeat conſuetudo , vt conſcientias obligare dicatur ?

Ad hoc vt priuatim legendi conſuetudo iuniores obliget , debet eſſe certa , & certo legitimè introducta : legitimè introducitur , cùm à ſcientibus ſe non eſſe obligatos , volentibus , & petentibus ſe obligare introducitur.

An Iuniores teneãtur horas legere ex conſuetudine.

De conſuetudine dubia.

In dubio ſtandum eſt pro libertate , quæ erat ante conſuetudinem dubiam : idem dico de reliquis conſuetudinibus.

De pronunciatione attẽtione, & mutatione officij.

In lectione officij diuini requiritur directè , & per ſe pronunciatio actualis , & reuerentia , & attentio actuales extrinſecæ : intrinſecæ non niſi indirectè. Mutare officium ſine cauſa non eſt peccatum mortale , licet inconſuetum ; cum cauſa rationabili , nec veniale.

De mutatione temporis.

Non eſt peccatum graue legere priuatim extra tempus præſcriptum : fortè nec dantur horæ præſcriptæ legentibus , priuatim. Intentio ſatisfaciendi non requiritur. Horologia tametſi cum cura dirigantur , non diſtinguunt horas certò , ſed ſolùm probabiliter ; malè regulata , nec probabiliter.

De Horologiis fruſtra ab aliquibus defenſis vide num. 205.

ARTICVLVS XI.

De Ægrotis.

An & quãdo ab horis excuſentur ægroti

IN morbo grauis damni probabile, & certum periculum, imò & dubium, & grauiſſimæ incommoditatis, non dubium, ſed aut certum, aut probabile periculum, excuſat à lectione horarum. Ægrotus poteſt tamdiu ſine ſcrupulo legere, ieiunare, & aliis Eccleſiæ præceptis ſatisfacere, quamdiu non ſcit certò, & euidenter, ſe illa lectione, aut perditurum eſſe vitam, aut paſſurum graue damnum, quòd alias ſine culpa ſibi infligere non poteſt. Æger, qui non poteſt recitare totum, non tenetur recitare partem. Diſpenſatio non facit, quod Ægri legendo vnum *Aue Maria* v. gr. ſatisfaciant officio Diuino, ſed quod non teneantur officium legere modo illud *Aue Maria* recitauerint.

Nota hoc ad ſolamen ægrorum qui volunt agere piam vitam.

De diſpenſatione, quæ ſolet ægrotis concedi.

Nota hoc benè.

Labor & occupationes ſi nimiæ ſint, etiam inter morbos ſunt recenſendæ. Suarius ab obligatione legendi excuſat eum, qui tota die aliquam actionem literariam defendit, cumque tales actiones in aliis Academiis ſint per tres horas matutinas, & tres veſpertinas, in aliis per binas, videtur cenſuiſſe Suarius ſex horarum laborem eſſe ſufficientem, vt quis ab officio excuſetur. Ergo probabiliùs excuſabit labor horarum duodecim: probabiliùs, ſi fuerit legitimè iniunctus, & bonum proximi, aut publicum, aut priuatum reſpiciens.

CENSVRÆ.

HArum Syntheſeum, quas Commentarius meus in Regulam D. Benedicti perſuadet, & hoc Scholion teſtimoniis expreſſis Melliflui mei Doctoris corroborat, pleraſque certas & reliquas verè probabiles, poſſeque omnes & ſingulas ſine conſcientiæ ſcrupulo defendi & practicari iudico. Louanij 20. April. 1639.

Ioannes Caramuel Lobkowvitz.

Idem ſenſit Louanij die Exaltationi S. Crucis ſacro 1640.

Fr. Andreas à Turri S. Theol. Doctor & Profeſſ. Ord. Prædicatorum.

Idem ſenſit Brugis 10. Iulij 1640.

Fr. Petrus Damaſus de Coninck Ord. D. Auguſt. S. Th. D. & Prof. Louanij.

Idem ſenſit Louanij 14. Calend. Octobris 1640.

Henricus Loyens, I.V.D. & in Acad. Louan. Decretor. Profeſſ. Regius.

Idem ſenſit Antuerpiæ 14. Aprilis 1636.

Gaſpar Eſtrix S. Th Licent. Can. & Plebanus, ac Librorum Cenſor.

Omnes iſti ſapientiſſimi Viri Commentarium in Regulam, vnde ipſæ theſes ſunt extractæ approbarunt.

Sed & anno 1636. idem ſenſit.

Adrianus Cromius Soc. Ieſu S. Theol. Profeſſ. Louanij.

Idem de eiſdem propoſitionibus ſenſit.

Ioannes de Ionghe Societ. Ieſu S. Theol. Profeſſor Louanij.

Idem de eiſdem iudicauit.

Ignatius der-Kennis Societ. Ieſu S. Theol. Profeſſor Louanij.

Sed & anno 1642. Ego. ait, etiã ſentio ſaluo meliori iudicio ſupra dictas poſitiones propter authoritatẽ multorũ eſſe probabiles & in cõſcientia tutas.

Fr. Patritius Brenanus Ord. Minor. ſtrict. obſeru. S. Th. Lector Louanij.

Idem cenſuit etiam

Fr. Auguſtinus Eganus eiuſdem Ordinis S. Theologiæ Lector.

Idem etiam de eiſdem poſitionibus ſenſit.

Fr. Raymundus Caronus eiuſdem Ordinis S. Theol. Lector Louanij.

Sub finem anni eiuſdem ſubſcripſit eiſdem adſertionibus.

Ludouicus de Scildere Soc. Ieſu S. Theol. Profeſſor Louanij.

Nec non etiam

Franciscus de Cleyn Soc. Iesu S. Theol. Profess. Louanij.

In Duacenâ Vniuersitate has Syntheses examinarũt, & probabiles iudicarunt,

D Ioannes de Espiers S. Theologiæ Doctor, & Monasterij Aquicinctini Magnus Prior, & publicus librorum Censor.

D. Antonius du Gardin S. Theologiæ Licentiatus, eiusdemque Monasterij Lector, & tertius Prior.

In Vniuersitate Colonienſi.

D. Ioannes Blanquenbertius, Abbas Veteris-montis, ordinis Cistercienſis Vicarius Generalis. S. Theologiæ Doctor, & Professor. ann. 1644.

P. Iacobus Emans Ordinis Carmelitanorum, Sacræ Theologiæ Doctor & Professor Coloniæ. Subscripsit dum esset Francofurti ad Mœnum 14. Martij. 1645.

SYntheses hæ respondent Theologiæ Fundamentalis Editioni Romanæ, in quâ paucula nonnihil strictiùs ponuntur; quia sic iudicarunt Viri doctissimi quibus Sanctissimus Dominus noster illius Libri reuisionem commisit. Ergo illorum etiam præclaris nominibus has ipsas Syntheses certiores & probabiliores reddamus. Fuerunt igitur.

Eminentissimus & Reuerendissim. Princeps Francìsus Maria, S.R.E. Cardinalis Brancaccius, Epis. Viterbiensis, &c. qui in examine, quod ex more fit coram summo Pontifice, me honorauit argumento doctissimo; & consecrauit in Episcopum posteà, vt fauores fauoribus accumularet. In hoc summo Principe nobilissimas Charites Natura & Gratia liberalissimâ manu profundunt: eius Pietatem & doctrinam veneratur Europa: nec est, cur vlteriùs diffundar, quia Oracula non egent Patrono.

Reuerendissimus D. Hilarion Rancati, Ordinis Cistercienſis, S. Crucis Abbas, Theologorum Salmanticensium gloria, Orientalium linguarum peritissimus.

Reuerendissimus P. Hyacinthus Libelli, Prædicatorij Ordinis Prouincialis, & Congregationis Indicis secretarius. Theologiam Romæ cum magno applausu docuit: & suis subtilissimis speculationibus aliquos dilucidat locos nostræ Theologiæ Fundamentalis.

Reuerendissimus P. Michael Alcantara, Ordinis B. Mariæ de Mercede Commissarius Generalis, &c. fuit sanctissimus & doctissimus Vir: at neque in Fundamentis, nec in Opinionibus conueniebamus. Scripsit Tractatum satis magnum contra nostram Theologiam Fundamentalem, in quo vix relinquit paucas conclusiones intactas. Fuit optimus amicus meus, nam Amicitia non cõsistit in vniformitate intellectuum, sed in voluntatum concordiâ. Rogatus à me, cur inter paucas meas Resolutiones, hanc *Peccata contra naturam sunt eiusdem infimæ speciei*, non impugnasset? se illam semper iudicauisse ita manifestam & claram, vt contra obloqui aliqui soleant, at nullus doctè argumentari, respondit.

Illustrissimus D Episcopus Augustinus de Bellis, Clericus Regularis. Habebat hic ingenium meo simillimum, & antequam me cognosceret, Theologiam Fundamentalem propugnandam assumpsit: & multa scripsit Alcantaræ Tractatum refutando. [Præcipuas Obiectiones & Responsiones habet Theologia Fundamentalis propriis locis.] Amaui piissimum & doctissimum virum, dum viueret: & eius memoriam cum solamine recolo. Scripsit duos Tractatus, dum essem Romæ, ALTERVM, *de Donationibus*, in quo esse absolutas contendit, cùm tamen alij iudicent esse conditionatas. ALTERVM, *de intentione Ministri*, in quo contra communem conatur ostendere Ministrum quà talem semper habere intentionem Ecclesiæ, nec referre, si quà Petrus aut Paulus est, habeat contrariam: quæ sententia fundatur verbis Concilij Tridentini *sess. 7. can. 11. & sess. 14. cap. 6.* dicentis, *si quis dixerit in Ministris dum Sacramenta conficiunt, aut conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* cui consonat Florentinum *in Decreto Fidei.* Et ratio erat, quia ad valorem Sacramentum requiritur & sufficit intentio proferendi verba legitima super materiam legitimam provt iubet Ecclesia, quod etiam asseruit Catherinus,

therinus,& videbatur esse communis illo æuo; cui fauet Paludanus *in* 4. *dist.*6; *quæst.* 2. *art.*3. & Syluester *verb. Baptismus* 3. *quæst.* 12. Illam obliteratam restituit Ioannes Marius, Doctor Gallus, *in summ. Theol. disp.* 1. *de sacram. quæst.*6. *&* 7. qui ait, ad Sacramentorum valorem sufficere intentionem faciendi actum externum, hoc est proferendi verba legitima eo modo, quo Ecclesia iubet, & eius Ministri solent facere, quantumuis Minister hic interiùs habeat intentionem illudendi, & non conficiendi sacramenta. Si hæc Opinio esset vera, multi tollerentur scrupuli: at illam Leander *tom.*1. *disp.*4 *quæst.*12. improbabilem iudicare videtur, nam oppositam dicit esse certissimam. Desiderarem igitur, vt qui hos Tractatus haberet; videri & examinari permitteret, si fortè rationes præseferunt, quæ sufficiant ad securitatem.

Hi sunt Theologi, qui Syntheses approbarunt: sed quia toto est mundo celeber Reuerendiss. D. Antonius Diana, intimus meus Dominus & Amicus, proderit legere eiusdem Iudicium Epistolâ sequenti expressum.

Ruerendißimo D.D.Ioanni Caramuel Lobkouvitz Abbati Melrosensi Cistercienſis Ordinis per Angliam Hiberniam,& Scotiam Progenerali.

Louanium.

REuerendissime Pater. Peruenit his diebus ad manus meas Commentarius tuus in Regulã D.Benedicti,& laudes quibus in illo nomẽ meũ cõdecorasti,tãquam effectus benignitatis tuæ cognosco, ideóq; tibi nunc debitas persoluo gratias. Existimo tamen Opera nostra à te perlecta fuisse Cõspicillo Galilæi,quod res paruas magnas efficit,& ostendit. Fateor ingenuè, labores meos Pygmæos esse,Gigantes tuos. Deus bone,in hoc tuo Cõmentario quam omnia viuida,quàm acuta,& quod magis est,quàm solida: Verè in ipso, non solũ Moralis,& Scholasticæ Theologiæ,sed etiam recõditæ eruditionis, & Politioris literaturæ peritissimũ posteritati te præbes. Perge,perge incœptũ iter,& cũ nobis,vt ait Plinius,denegetur diu viuere,relinquamus aliquid, quod nos vixisse testetur.Hoc tu vsq; adhuc egregiè effecisti,fac etiam,me impellente, & in posterum,atq; ex Ærario tuæ doctrinæ ditissimo,aliquid noui semper refera,vnde dites Ingenia opulentiora.Quid agit lumen Hispaniæ,& ornamentum Ordinis tui,sapientissimus Manrique? Eius Annales,opus absolutissimũ ingenti cum voluptate euolui nouissimè, stimula illum per Epistolã vt Theologica sua Æternitati cõmendet. Viuitne Puteanus? & si viuit viuat Nestorios Annos,vt pariat felices ingenij sui fœtus.Saluto & alios viros conspicuos,qui in his partibus florent,& nominatim Professores Regios Louanienses,& Patres Societatis Iesu in tuo indice Synthesium subscriptos.Meditor copiosam tractationẽ,an Principes possint statuere impedimenta matrimonij dirimẽtia. Rubadeus Gallus, notat Doctores Louanienses aduersus Parlamentum Parisiense pro simili controuersia scripsisse; vsque adhuc libellum inuenire non potui; si tu Louanij, vt spero, inuenias, precor vt quantocius mihi mittas, impositumque grauamen condona. Tu interim,vale vir doctissime,& tui obsequentissimum redama. Romæ in Ædibus S. Siluestri montis Quirinalis die primo Nouembris 1642.

Reuerendißimæ D. T.

Addictißimus seruus

D. ANTONIVS DIANA Clericus Regularis.

Reuerendißimo & doctißimo Viro, Antonio Diana S.Inquisitionis Consultori,&c. S. P. D.

Romam.

EXimie & sapiẽtissime Vir. Quotiescumque honorifica tui nominis in Operibus meis mentio facta,processum non ex affectu, sed ex mente. Virum non cognoscebã,sed admirabar; Te vnũ legendum consulebam discipulis, Te vnum spiritualibus filiis,Te vnum amicis,vtpotè formãdis cõsciẽtiis generosis aptum.Locutus sum de te, scripsi, edidi plurima ab adulationis & passionis suspicione alienus; sed iã quid faciam? quem legebã,diligo; quem venerabar,peramo.Honoratus tuis literis subornatũ me fateor,aucto tamen amore,tui nominis

autho

De Telescopio Galilæi.

authoritas apud me nõ creuit, peruenerat enim ad terminũ supremũ, vltra quẽ ascẽdi non potest. Galilæi Cõspicillo legendis cælis tabulis vtor, in quibus multa noua reperi, multa interlegi, & nõnulla descripsi; fractũ enim sublimiori cõtemplatione spiritũ hæc etiam floridiora studia nonnunquã recreant, vacillantem firmant, & periclitantem restaurant. Sed esto libros tuos Galilæi telescopio perlegerim; quid inde? nil quidem aliud, quam tui nominis sublimior exaltatio. Oculo artificiali Galilæi non nisi cœlestia leguntur; ergo si tali vtor, cùm tuas lucubrationes lego, vel obscurè profiteor, tuos libros cœlestes, literas sydera, & te intelligentiam, tot cœlorũ præsidem, quot voluminum moderatricem. Ingeniũ tuũ tametsi longè dissitum magnũ apparet oculis armatis perspicillo; nõ quod illud res paruas magnas efficiat, vt modestia tua asserit, sed quod rebus magnis, quã distãtia suffuratur magnitudinẽ vel ex parte restituat, minorẽ tamẽ. Vera. Solis diameter multas pedum myriades complectitur, & pedalis apparet, cùm illũ decem pedes transpicilli ministerio extẽdimus, nõ videmus maiorem, quàm est, sed millenis vicibus minorem. Non aliter de te moraliũ literarũ Sole philosophabor. Distãtia in causa, vt licèt maximus, vulgo hominũ æqualis esse Doctoribus aliis appareas; Te incepi contemplari armatus telescopio, quod sinceræ literæ subministrarũt: maior mihi videris quàm vulgo, maior doctis quàm imperitis, maior hodie quàm sub initium; sed licèt plus in te cognoscamus, detegamus & suspiciamus, quò vberiùs resolutionibus tuis fruimur, ex vngue tamẽ leonem, ex decempedali radio immensam Solis magnitudinem, & veteris Romæ pulchritudinẽ ex paucis marmoribus ad nos translatis ingeniosè rimamur.

Representat obiecta maiora, quàm nudis oculis videri solẽt, at multò minora, quàm sunt.

2097 Quantus Reuerendissimus D. Angelus Manrique fuerit?

Manriquũ nostrũ tibi esse Hispaniæ lumen, & mei ordinis ornamẽtum gaudeo; cõmunem enim sentẽtiã sequeris. Sic ad vnũ amici & inimici. Re & nomine Angelus; quãtus in scholasticis sit demõstrat academica dignitas. Cathedræ primariæ emeritus professor est; ad hanc, & alias prius promotus, non Principum fauore, sed sapientum iudicio. Quantus in scriptura, libri editi concionatorij. Alij conciones publicant, quibus plausibiliter vtuntur oratores neologi: at inter alios Manriqui libros Laurea Euangelica magnâ cum laude authoris, inutilis iudicabatur. Nemo auderet vel vnam inde lineam excerpere: nemo vel vnam periodum declamare: nam impunè non faceret; placuerat liber ille omnibus, sciebatur memoriter ab vniuersis; ideoque vix possibile vel vnam declamari lineam, quin furtum ab auditoribus incusaretur. Artes curiosæ, si viros illustres non constituunt, exornant. Poëseos & Rhetorices notitia sublimiore præditus; ligatâ oratione animos miseriis illigatos soluit; solutâ, dissolutos alligat rationis regulis. Vt posteritas quantus in Architectonicis fuerit, cognosceret; erexit crucem Architectis. Gradus Salmanticensis Collegij subintelligo, pulchrè diuites, & securissimè periculosos. Cochlea optimè elaborata saxa intorquet; aëre vacuo immensam molem appendere conspicimus; sed si miraculum perpendimus, reperimus illam, quanta est, Manriqui artificis ingenio subcollari. Sed, quia huius Angeli authoritas nota est omnibus, nec verbum addam.

Laurea Euãgelica, ideò inutilis, quia fuit optimus liber. Ille in omnium Artiũ genere excelluit.

Fuit tandem Episcopus Pacis-Iuliæ: vulgo de *Badaxos*.

2098 Michaël Ferro Manrique in Dianam audet.

Sed quoniã de Mãriquo agimus, de alio neoterico ipsi cognomine vel verbulũ subiungendũ est. Manriquum contra Dianã scripsisse, librũ in Galliis imprimi, ab omnibus desiderari, vulgus vociferabatur imperitũ. Mirabãtur doctiores, & mirabar: illi propter cõmunes, ego propter rationes peculiares. Cõtra homines de Ecclesia benè meritos impunè inuectiuas scribere solis hæreticis cõcessũ est: ideò vix nullus suadere sibi poterat Virũ Eximiũ, cathedræ primariæ in Academiâ principe moderatorẽ, talẽ errorẽ cõmisisse: quorum sententiã ego à dotibus, quas in Mãriquo suspicio, confirmabam. Pientissimus, vrbanissimus, & studiosissimus virtutis est: illosq; tyrannicos iuniorum laqueos, quibus imperitorum cõscientias implicãt, vt insolentiùs dominentur, mordicus detestatur. Hærebamus, inquã, distracti parturientium mẽtium strepitu: & abortus paruiculus mus. Michaël Ferro Mãrique, nõ solùm tui, sed & Prisciani infensissimus hostis. Indiguit Dianæ inimicitia, vt nomen haberet, qui aliter cognosci non poterat; sed non est idẽ habere bonum nomen, quod magnum. Pro Prisciano, ab eo singulis ferè lineis transfosso, scribant syntaxiani; nemo, me consule, pro Diana scripserit; discat Ferrus Grãmaticam, & si natura ingenio faueat, & studium non desit, post decẽ vel duodecim annos scribet, quæ sint digna adsensu vel dissẽsu.

Ita ignorat Grãmaticã, vt omnes nominum declinationes, & verborum coniugationes, totãque syntaxim inuertat.

An

An Puteanus noster viuat, inquiris, sed cur? mori non potest, qui æternus; & æternitatem ille dudum adeptus. Orbem libris, academiam nostram suâ præsentiâ nobilitat vir verè magnus; sexagesimum septimum agit annum, adhuc robustus & vegetus; omnium suorum Operum exornat editionem, vt quæ seorsim leguntur, possint simul in paucis voluminibus haberi; hortamur vt festinet, sed indigent suo quoque tempore res magnæ. Quos valere iubes Professores Regij Eximij sunt, & omnes Vniuersitati necessarij: tantî, qui sine discipulorum iacturâ ad altiora promoueri, & sine meritorum iniuriâ intermitti non possint.

Erycius Puteanus laudatur.

Professores societatis laudati.

Reuerendi Patres Adrianus Crommius; Ioannes & Ionghe, Ignatius der-kennis, quos saluere desideras, moribus & ingenio potentes, vitâ & doctrinâ hanc prouinciam illustrant, à paucis mensibus illis adnumerati Ludouicus de Scildere & Franciscus de Cleyn, præditi acri ingenio & florido, digni qui à Te etiam amentur, colantur, suspiciantur.

Bernardus Campmans, Abbas.

Sed quia magnas mentes internoscere ambis, te Dunensium meorum nomine saluere iubeo. Antistat D. Bernardus Campmans Vir verè multis titulis magnus & illustris. Summis laboribus pro Reipublicâ & Ordine fractus agit felicem senectam inter filios, delicium singulorum. Eius vices gerit D. Bernardus Bottynus Cœnobij Prior, summi ingenij Vir, olim Philosophiæ Professor. Theologiam profitetur. D. Leander vender Bandt, cuius ingenio linguæ & calamo summam authoritatem debes, Ioannem Bargantinum à me Hispanè editum, in idioma Latinum ita transtulit, vt cùm meos ipsos conceptus tanto donatos splendore conspicio, memetipsum admirer, & vix credam me potuisse tantæ eloquentiæ, vel leuem occasionem dare. Prodibunt post aliquot menses ipsius *Epistolæ morales*, in quibus multa acutè proposita, & solidè resoluta reperies.

Bernardus Bottyn Prior, qui posteà in Abbatiâ successit.

Leander van der Bandt, Lector.

2099 Hodie 22. Innij ann. 1663. ætatis meæ 57. surrexi horâ ter. tiâ post mediam noctẽ; & obseruato naturali ieiunio, post 18. horas studij, (Missam legere & horas recitare, etiâ est studere) surgo ad cœnam, nõ quia sum lassus, sed quia vocor. Ago immortales gratias Deo, qui tam robustam valetudinem mihi concedere dignatus fuit.

Vt aliquid faciam, quod me vixisse testetur, hortaris. Affectui & promouendarum litterarum amori gratias ago. Sed quid te impellente facturus sim, sincerè loquor, non reperio. Non sum ex eorum numero, qui nati docti, libris non indigent, nec lectione proficiunt. Libris diu noctuque insisto & posteà multa ignoro. Gratiasque ago Omnipotenti Deo, quòd meis æmulis tam acre induserit ingenium, vt conuiuiis & floridiori relaxationi studentes sciant euidenter Caramuelum declinasse ab omni probabilitate Hæc est miseria nostri æui. Iudicaturiunt studiosos otiosi, academicis laboribus exercitos tyrones, & modestos homines Sardanapali. Interim, quia sic iubes, adhuc diligentiùs in posterum Theologicis rebus vacabo.

Posse Ecclesiam ponere impedimẽta matrimonij extra dubiũ est. Posse & Principes supremos in suis terris, nisi oppositũ Ecclesia illis præcipiat, docẽt Victoria, vterque Sotus, omnes tres Ledesmæ, Bellarminus, Angles, Henriq. Sanchez, Ægidius, Valẽtiâ, Rebellus, Cornejus, Ochagauia, Moure, Luysius, quorum sententiam probabilem iudicãt Leander, & alij qui oppositã tenent.

Moralem Theologiam scripsi, nunc relego & exorno, cuius intentum omnes difficultates reducere ad prima eaque naturalia principia; coalescit ex quæstionibus curiosis, iudicio veterum & iuniorum firmatis,

Commentarium Francofurtenses reducere desiderant, auctiorem & locupletiorem illis dabimus.

Liber de præcepto & dispensatione à D. Bernardo compositus, & à me dilucidatus impræsentiarum hic Louanij apud Euerardum de VVitte imprimitur, quem vt spero, non contemnes ratione Authoris.

Resolutionum præcipuarum librum apparo, in quo variæ, eæque difficiles controuersiæ deciduntur, casibus propositis extraordinariis & variis pro opportunitate temporum & consultorum.

Sed quia Scholasticam Theologiam profiteor; insudo Cursui Theologico iuxta Bernardi mentem claram & facilem; qui multa volumina complectitur, & debet prodire per partes.

De impedimentis Matrimonij aliqua scripsi, dictaui, & publicè defendi; nihil edidi. In similibus materiis à tuâ sententiâ abeo; cùm igitur de immunitate Ecclesiasticâ totus pro clero, & Pontifice multa pulcherrima edidisti, quæ sæcularibus non placent. Ego meis insisto principiis, nec facilis sum in concedendo Pontifici, quæ iudico Regi deberi. Impedimenta varia sunt, & possunt diuersimodè considerari; quæ occurrerunt tumultuario calamo scripta, & potiùs congesta, quam digesta transmitto. In variis occasionibus Doctores nostri de hac materia consulti, sibi semper similes creduntur prudenter respondisse: sed quia celebrior de matrimonio Gastonis, Francisci Delphini consultatio, videntur illam Galli impugnare, illam tu quærere. Habeo quidem inter alias chartas; sed quia librorum in albis

& MSS. chaos examinare debeo, vt inueniam, eam per alium veredarium transmitam. Vale Vir doctissime, in sacrificiis memor Tui

IOANNIS CARAMVEL

Louanij 4. Eid. Decemb. M.DC.XLII.

D. FRANCISCO PENNEMAM SVO.

S. P. *Brugas*

2100 INTER Multos Discipulos, quorum olim mihi formatio, & promotio hodie magnis curis stat, pauci respondent debito; sed Te inter paucos video ingratitudinis notam diligenter effugere, & cùm possis Magistrum, velle apud Me non nisi discipulum agere. Sed & hoc ipsum laudo; oportet enim colere, per quos profecimus; & Ego in hac materia amicorum sententia nimius sum, multum enim illis defero, à quibus habeo quòd nihil eis deferre possim.

Erat hic Titius, vt vidimus postèà Cornelij Iãsenij discipulus, hæresi Iansenianâ tinctus, quæ omnem probabilitatem exsecratur: nam cùm dicant Iansenistæ Deum impossibilia de facto iubere, consequenter affirmant, iubere, vt homo supra intellectûs vires intelligat, & supra voluntatis vires diligat: adeoque neminẽ apud Deum ignorantiâ, inuincibili, aut auxilij sufficientis carentiâ excusari: ergo nec opinione probabili, cuius honestas in ignorantiâ inuincibili fundari debet. De Eminentissimorum DD. Cardinalium Declarationibus in hac Epistolâ non egi: quoniam illæ præcisæ à Pontificis authoritate pendent ab illorum doctrinâ: at quando confirmantur à Papâ, iam sũt Apostolicæ, & habendæ in illo certitudinis gradu, quo Papa iusserit.

Titio, viro apud Benedictinos Gallos authoritatis eminentis, ita displicuisse istas Syntheses, tametsi viginti aut plures Magni subscripserint, vt in illas sæuierit censuram crudelem euulgando: non miror, semper enim ignorantia est imprudens & audax. Noctua etiam, non infimæ magnitudinis inter aues, conquesta olim in volucrum comitiis fuit, quòd Sol esset nimis caliginosus, nec tamen lego Solem euulgasse pro lucis thesauris apologiam, sed irrisisse cæcutientis calumniam, communi omnium suffragio & applausu contentum. Sol, mi Franciscе, est veritas, nec minùs clarus ille quod in eum blasphemias noctua euomat; nec minùs certa ista, quòd in ipsam ignorantia præsumat. Hæc cum omni moderatione sint dicta; sed quoniam Veritati, & eximiis hominibus pro ea stantibus quibus hæ stupidæ insidiæ parantur, est fauendum, vrbanè, fortiter tamen vrgenda. Sic discurro.

Has omnes & singulas Syntheses esse probabiles dixi, & dico; negat ille, improbabiles, laxas, pernitiosas, scandalosas, (cur non etiam hæreticas?) affirmat. Furit, an docet? sæuit an censet? Ipse loquitur, & in hoc nec à psittaco differt; at ego Soles reipublicæ litterariæ propugno, & meum Assumptum sic demonstro *Quæcumque opinio habet viginti Authores pro se, est omninò probabilis. Nulla est in Syntheſibus, quæ plures non habeat. Ergo nulla, quæ verè probabilis non sit.* Quid tuus ad istum syllogismum Titius? Si neget formam, ostendet se ignorarẽ Dialecticam. Si maiorem, se moralem Theologiam ne quidem à longè salutasse; ad probabilitatem enim non iam viginti; sed etiam multò pauciores in omnium opinione sufficiunt. Si minorem, se non scire legere, ibi enim prostant Subscriptiones superstitum Virorum, quibus maiores hodie in Orbe Christiano non dabit. Ergo quidquid ad syllogismum illum dicat, erit Noctua Solem incusans, quòd audiat lucidus, cùm tamen tenebrosus sit. Sed hæc de illo sufficiant, cuius nomini parcere volui, tametsi non pepercerit meo; quia demonstrationes dedignantur cum stupida ignorantia confligere. Nos igitur, qui nolumus ita loqui, vt non possimus apud doctos non vocari ignorantes, Theses illas relegimus, & illis istas etiam subiicimus.

Prima. *Quicumque opinionem, quam specialiter consulti, viginti illustriores illustriorum Vniuersitatum Theologi probabilem iudicant, iis non obstantibus improbabilem dicit, ostendit se quid probabilitas sit, ignorare.* Patet, quia nemo doctus est, qui neget opinionem octo aut decem Authorum debere vocari probabilem.

Secunda. *Repugnat opinionem probabilem, in materia quæ de necessitate medij ad salutem æternam non est,* (quidquid de necessitate medij sit, illam enim huiusmodi Theses non tangunt) *esse periculosam, temerariam, audacem, malè sonantem, aut aures pias offendentem.* Constat ex probabilitatis definitione. Sanè Probabilis opinio periculosa non est; nulli enim se exponit periculo, qui non se exponit periculo peccandi, & eum, qui minùs probabili sententiæ subscribit, non peccare probabilior sententia (adeoque communis)

munis) affirmat. Nec est temeraria; nam motiuis grauibus subsistit, quibus cum temeritas componi non potest. Si non sit temeraria, nec erit audax; quoniam coincidere videntur, audacia & temeritas, aut saltem separari non posse. Cùm igitur probabilis sententia bona sit nec pernicioſa, nec scandaloſa ipſa est Laxa dici non debet, sed benigna. Et per consequens, malè sonare nequit, nec pias aures offendere, quòd si aliquas offendat, non sunt piæ. Corollarium. *Repugnat aliquem esse vel mediocriter doctum, & tamen cum probabilitate has durißimas notas componere.*

Tertia. *Nulla ex prædictis Syntheſibus aliter poteſt ſua probabilitate priuari, quàm ſi contradictoria tranſeat in Articulum fidei.* Patet; quia opinio probabilis est, quæ à magnis & multis defenditur; & tamen humanitus non poterit fieri, quòd illi Doctores, qui subscribunt, multi aut magni non sint. Vel finge quemcumque casum possibilem præter definitionem Ecclesiæ. Congregentur vniuersi Europæi, docti indocti, magni parui, non tamen poterunt facere, aut verè definire, viginti non esse viginti, aut Viros eximios, & summarum Academiarum lumina, non esse magnos.

Videas igitur quàm stupidè Titius, contra tot Academiarum illustrißimarum Soles fuerit ausus, & Inuidiæ ignoranti condoleas, in posterúmque Syntheses illas tanquam securißimam basin tuarum omnium Resolutionum statue, & diligere perge.

IOANNEM CARAMVEL LODKOVVITZ.

Moguntiæ 4. Maij M. DC. XLV.

NOMENCLATOR REGVLÆ BENEDICTINÆ.

TERMINORVM notitia, vocum acceptio, dictionum suppoſitio, phraſium significatio ſemper exponenda est, præſertim TEXTVS à communi declinat. Tulit Benedictinam REGVLAM noſter Lycurgus alia rerum contemplatione præoccupatus, hinc vt conceptus ſæpè nouos exprimeret, ſæpè etiam vti debuit syntaxi noua. Hanc NOMENCLATOR explicat, vt in offenſo pede poſſis progredi, & adſequi LEGISLATORIS ſpiritum & mentem.

A

Abbatis nomen Christo primariò conuenit; Regulæ c. 2. *Chriſti enim agere vices in Monaſterio creditur quando ipſius vocatur prænomine, dicente Apoſtolo, Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus ABBA, Pater.* De Abbatis nomine tracto curiosè *n.* 678. 679.

Abbas subiectus est Regulæ. C. 3. *Ipſe tamen Abbas cum timore Dei & obſeruatione S. Regulæ omnia faciat.* & C. 63. *Præcipuè vt præſentem Regulam in omnibus conſeruet,* & c. 3. *In omnibus igitur omnes magiſtrã ſequãtur Regulam: neque ab ea temerè deuietur à quoquã,* & infert meus, Bernardus, *ergo nec ab ipſo Abbate,* ita lib. de præcep. & diſpẽſ.

Abbas dicitur *Pater Monaſterij.* C. 33. *Omnia verò neceſſaria* (debent) *à Patre Monaſterij ſperare, nec quidquam liceat habere quod Abbas non dederit, aut permiſerit.* De authoritate paterna Abbatis diſputo *numero* 753. *& numero* 1676. Abſente Abbate *Monaſterij Pater eſt,* quicumque Monaſterium gubernat. *num.* 739. *&* 1577.

Abſtineri. Mira hæc vocum syntaxis, *Carnium verò quadrupedum omninò ab omnibus abſtineatur comeſtio.* C. 10. hoc est, *Omnes omninò abſtineant à quadrupedum carnibus.*

Ad nomen Sanctorum petitionem facere, est instrumentum solemne & publicum condere Sanctorum nominibus corroboratum. Capite 58. *De qua promiſſione ſua faciat petitionem ad nomen Sanctorum quorum reliquiæ ibi ſunt, & Abbatis præſentis.*

Agnoſcere pro certo, Hiſp. *Tener por cierto.* C. 2. *Agnoſcat pro certo, quia in die iudicij ipſarũ omniũ animarũ redditurus eſt Domino rationem, ſine dubio addita & animæ ſuæ.* Et c. 4. *In omni loco Deum ſe reſpicere pro certo ſcire.*

Allelu-Ia Hebraica vox est, adsumitur à D. Benedicto tum alibi tum c. 15. exponitur à me. *n.* 1257.

Ambroſianum. Cap. 9. 12. 13. est Hymnus, cui id nomen inditum, quia præcipui ab Ambrosio sunt conditi.

Ἀναλογεῖον el faciſtol, el artil, suggestum libri. Cap. 9. *Legantur viciſſim à fratribus in*

codice super analogium tres lectiones.

Ananian & vxorem eius *Sapphiram* pœna corporali fuisse punitos constat ex sacra pagina, an & spirituali non vult Benedictus resoluere. Cap. 57.

Angustæ sunt in limine vitæ viæ, in prolog. *Non illico pauore perterritus refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda.* Capite verò 5. etiam ipsamet via angusta dicitur.

Annona ab anno dicitur, sed à nostro Legislatore pro Diæta seu diei congrua vsurpatur. Cap. 31. *Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo, vel mora offerat*, & C. 35. *Septimanarij autem ante vnam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes & panem.*

Ascendere in cor hominis. Hisp. *Pasar por la imaginacion.* Cap. 4.

Aspectus positi pro *Oculis.* Cap. 7. *Inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus.* Idem quod paulo post *Publicanus ille euangelicus fixis in terram oculis dixit, Domine, &c.*

Assistere ad opus pro *assistere operi.*

B

Breue, liber in quo suppellectilia scribuntur. Hisp. *Vn Inuentario.* Cap. 32. *Ex quibus Abbas Breue teneat*, hoc est, *quorum Inuentarium habeat Abbas.*

Bonitas transcendentalis à morali apud multos Hæreticos non distinguitur, qui asserunt ea quæ volumus, quia volumus, bona & sancta esse, Hunc errorem adscribit Sarabaitis Benedictus. Capite. 1. *Quicquid, vel elegerint, hoc ducunt sanctum, & quod noluerint; putant non licere.*

C

Caput Quadragesima. Cap. 48. sumitur pro die Cinerum, qui aliàs *Caput ieiunij* dicitur.

Cauere cum accusatiuo vsus est Cato de Re rustica. cap. 5. *Scabiem pecori & iumentis caueto.* Benedictus videtur hac constructione delectari. Capite 7. *Ostendit nobis* (sacra Scriptura) *omnem exaltationem genus esse superbiæ; quod se cauere Propheta indicat.* Et posteà, *Cum item cauemus illud quod de negligentibus dictum est, Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in voluptatibus suis*, & iterum, *Cauendum ergo ideo malum desiderium*, & Cap. 11. *Quod tamen omninò caueatur ne proueniat*, & Cap. 62. *Ordinatus autem caueat elationem & superbiam.*

Clausura pro *Interdictione.* Cap. 6. *Scurrilitates verò, vel verba otiosa & risum mouentia æterna clausura in omnibus locis damnamus.* Claustra imperij nouit Cicero, pro Flac. enim ait, *Omnes sinus, promontoria, litora, insulas, vrbes maritimas claustris imperij nostri contineri.*

Cogitationes à conceptione debent sacrificari Deo. In Prolog. *Qui malignum diabolum aliqua suadentem sibi cum ipsa suasione sua à conspectibus cordis sui respuens deduxit ad nihilum, & paruulos cogitatus eius tenuit, & adlisit ad Christum*, & Cap. 2. *Neque* (Abbas) *dissimulet peccata delinquentium: sed mox vt cœperint oriri radicitùs ea, vt præualet amputet.* & Cap. 4. *Cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum adlidere. Cogitatio* vox frequens & communis est; *Cogitata* substantiuè dixit Cicero 1. de leg. Agr. sed *Cogitatus* non memini me legisse alibi, nisi sæpè apud Ecclesiasticum, & præsertim capite 30. vers. 11. *Et ne despicias cogitatus illius.*

Color. Quæstio celebris est, quæ examinat quid coloris nomine intelligatur cùm dicitur, *De colore non causentur Monachi.* Resoluo pag. 767. & nomine coloris non nitorem, sed ipsammet coloris speciem intelligi debere existimo. Hinc lux Capiti 55. *Vide n.* 1620.

Commissum adsignatum. Hispanicè *Comision señalada.* Capite 42. *Si quis fortè in adsignato sibi commisso fuerit occupatus, occurrat.*

Consignare est *tradere, deponere.* Cap. 32. *Eis* (Abbas) *singula, vt vtile iudicauerit, consignet custodienda.* Hinc *Reconsignare* idem quod *restituere.* Cap. 35. *Vasa ministerij sui munda, & sana Cellerario reconsignent.*

Contristari metaphoricè dicitur de Deo. In Prolog. *Instantissima oratione deposcas, vt qui nos iam in filiorum dignatus est numero computare, non debeat aliquando de malis actibus nostris contristari.*

Cordis oculi. In Prolog. *A conspectibus cordis sui respuens.*

Cordis voluntas. Cap. 3. *Nullus in Monasterio sequatur cordis voluntatem.*

Crapula crimen indignum ingenuo viro est; nescio an omnibus aliis vitiis maior, nam Capite 10. *Nihil contrarium est omni Christiano quomodo crapula.* Verba valde notanda.

Cum ponitur loco *Pro.* Cap. 59. *Qui verò ex toto nihil habent, simpliciter petitionem* (hoc est scripturam) *faciant, cum oblatione* (hoc est, pro oblatione) *offerant filium suum.* Et sic debere textum exponi clarum est, quia quam oblationem possent Deo dare qui supponuntur non modò esse pauperes, sed & nihil omninò habere.

D

De pro *Ex.* Cap. 10. *Pro ipsis tribus lectionibus vna de veteri testamento memoriter dicatur.*

De pro *Post*, vel *Vltra.* Cap. 8. *Amplius de media nocte pausetur*, hoc est, *Parum adhuc post mediam noctem.*

De loco *Pro.* Capite 17. *Iam de Nocturnis, vel Matutinis digessimus ordinem Psalmodiæ.*

Degradare, ab ordine & gradu deponere. Apud DD Benedictinos degradari dicitur, qui ex altiori gradu ad ignobiliorem detruditur. Cap. 63. *Quos, vt diximus, altiori*

tiori consilio Abbas prætulerit aut degradauerit, &c.

Deificum Lumen. Verbum Diuinum Lumen est de Lumine, verè Deificum, quia seruis suis pignus Diuinitatis communicat. In Prolog. *Apertis oculis nostris Deificum Lumen* (hoc est verbum Dei) *attonitis auribus audiamus.*

Deus est vbique essentia, potentia & præsentia. Vbique essentialiter, quia vniuersa cognoscit & esse Dei est intelligere, vbique potentialiter, quia omnia condidit. An & vbique præsentialiter? Affirmo cum meo Authore, qui Cap. 19. ait: *Vbique credimus Diuinam esse præsentiam.*

Decani ab Ecclesiasticis vocantur, qui *Decuriones* dicerentur, de illis agit D. Pater Capite 21. Decaniæ constare debent senibus & iuuenibus, liquet ex 22. capite. Indicitur vt dormiant deni aut viceni in eadem aula, & additur, *Adolescentiores Fratres iuxta se non habeant lectos, sed permixti cum senioribus.*

Digestus à Benedicto dicitur, qui iam cibos digessit. Capite 8. *Digesti surgant*, hoc est, surgant hora qua possint cibos digessisse.

Dignus quis debeat dici; exposui *pag.* 694. Creandus in Abbatem debet esse dignus, non dignior. Probo ibidem ex Regula. ¶ Abbas non tenetur eligere digniorem in Præpositum, aut Decanum, sed satisfacit cùm eligit dignum. Cap. 65. *Quod si* (Decanus) *nec sic correxerit, tunc deijciatur de ordine Præposituræ, & alius qui dignus est in loco eius subrogetur: & de Præposito eadem constituimus.* ¶ Sufficit etiam præficere dignum Oeconomum Capite 31. indicitur vt eligatur in Celleratium sapiens, maturus, humilis, &c. non sapientior, maturior, humilior. Et idem obseruauit S. Pater cùm exponeret Ostiarij Monastici prærogatiuas Cap. 46. imò nec peccat Abbas, qui omissis dignioribus ad ordines promouet dignum. Cap. 62. *Si quis Abbas sibi Presbyterum, vel Diaconum ordinari petierit, de suis eligat qui dignus sit sacerdotio fungi.*

Dirigi in via, est *iter agere* sed cur hac phrasi vtitur D. Pater Capite 67. satisfacio *pag.* 790. c.

Disciplina pro *Iustitia* aut *distributiua æquitate.* Cap. 2. *Ergo æqualis sit ab eo omnibus* (erga omnes) *charitas: vna præbeatur in omnibus secundum merita disciplina.*

Districtio est *rigor.* Cap. 37. *Nullatenus eis districtio Regulæ teneatur.*

E

EXcommunicatio monastica animum respicit non animam: hominem priuat conuersatione & communicatione, sed conscientias non ligat. De ea agit Diuus Benedictus per multa capita, & ego *à pag.* 827.

Expletio, finis. Capite 17. *Post expletionem vero trium Psalmorum recitetur Lectio vna.*

Extollere, est *turbare, interpellare.* Cap. 48. *Qui vacat otio aut fabulis, & non est intentus lectioni, & non solum sibi inutilis est, sed etiam alios extollit.*

Extra pro *Contra.* Cap. 2. *Ideóque Abbas nihil extra præceptum Domini* (*quod absit*) *debet aut docere aut constituere.*

F

FOres vel *Foris pro Extra.* Cap. 43. *Si foras Oratorium remaneat, erit fortè aliquis, qui se aut recollocet & dormiat, aut certè sedeat foris.* [*Foris* pro *Extra*: vide *Intus.*

Fortior pro *Maior.* [*Ætas fortior* dicitur ab anno ætatis quintodecimo. Capite 70. [*Psalmi fortiores* dicuntur Cap. 18. qui prolixiores.

G

GLoriæ à D. Benedicto vocantur Psalmorum diuisiones, quòd Gloria claudantur. Capite 13. *Canticum Deuteronomij, quod diuidatur in duas Glorias*, id est, *in duas sectiones*, & Capite 17. *Primæ hora dicantur tres singulatim, & non sub vna Gloria.*

Gratia, si stemus communi sententiæ, à Deo vno producitur & infunditur, non ab Angelis, non ab Hominibus: sed contrarium sensisse nonnullis videtur noster Author, cùm dixit in Prologo: *Rogemus Dominum vt gratia sui iubeat nobis adiutorium ministrari*, auxilia ergo gratuita ex eius opinione nobis infunduntur ab Angelis iubente Domino. Falluntur tamen, quia bonæ inspirationes & admonitiones, gratiæ adiutoria sunt: & hæc nobis ministrant Angeli, imo & Homines, quoties mores nostros inspiratione, correctione & instructione promouent. Hoc sensu D. Bernardus serm. de triplici genere bonor. mihi column. 381. *A sanctis Angelis*, ait, *auxilium quærendum est*, & explicans quale petendum sit subiungit, *vt illi supereminenti Majestati preces nostras offerant, & referant gratiam.*

H

HEmina mensura liquidorum. Vide comment. Cap. 40. pag. 764.

Porrò Hemina, tametsi non ita sit nota mensura, hoc tamen extra dubium est, fuisse valde paruam, & tres, vel quatuor scyphos communes non excessisse. Petrus Gassendus in illo eruditissimo volumine, quo Epicuri mores contra communem opinationem defendit, *lib. 6. cap. 3.* de eius sobrietate & frugalitate eximiâ disserit: & hoc Dioclis testimonium ex Laertij *lib.* 10. adducit. *Frugalissimis & vilissimis cibis* (Epicuræi) *victitabant: quare & contenti erant vinuli heminâ.* Et addit se exploratum habere heminam esse dimidium semisextarij Romani, vel duodecimam partem congij: & vix illam quidpiam excedere semisextarium Parisinum: nam, vt colligit, heminæ sex cum semisextariis septem exæquentur. Ergo Hemina. semisextarium & sextam semisextarij partem continet. Consonant fere Villapandus & Pradus *de templo.*

tom.3.part.2.lib.3.cap.7.pag.447. & quia Hiſpani ipſi ſunt, pagina 547. vnam Heminam & tres Heminæ quintas partes vni Quartillo Hiſpanico correſpondere affirmant. Ergo, quarum Hemina habet 5. partes, habet Quartillum 8. In noſtris Monaſteriis ibi (nam vinum eſt in abundantia) datur ſenioribus vnum Quartillum, Iunioribus dimidium Quartilli: in collatione autem omnibus dimidium Quartilli (vtor hac voce, vt clarè intelligar.) Ergo illis 8. iſtis verò partes quarum Hemina continet 5. Illis igitur paulò plus, his autem paulò minus, quàm Hemina.

Quo accentu vox hæc proferri debeat multi neſciunt: at illas iuuare poterit Ioannes Scapula, qui in Lexico voce ἥμισυ, inquit. *Ἡμίνα, ἡ. dimidium ſextarij. Athenæus lib.11. teſtatur τὴν κοτύλην vocari etiam ἡμίναν.* Secundam ſyllabam, non ſolùm acutam, ſed & longam eſſe (nam apud Græcos, non ſicut apud Latinos accentus à quantitate pendet) conſtat ex Fanij hoc Diſticho.

At Cotylas, quas, ſi placeat, dixiſſe licebit
Heminas, recipit geminas ſextarius vnus.

Ecce obiter κοτύλην, Cotylam ſecundâ acutâ & breui præditam: videlicet in linguâ Græcâ: nam Latinè modum noſtræ prolationis ſequuti acuimus primam.

Horas temperari, diſponi. Cap.41. *Hora ſic temperetur, vt cum luce fiant omnia.*

Hiems Monaſticè eſt ſpatium temporis, quod intereſt primæ diei Nouembris & Paſchati. Cap.8. *Hyemis tempore, id eſt, à Kalendis Nouembris vſque ad Paſcha.* Sed aliter computant Aſtrologi.

I

IMponere Pſalmum, aut Antiphonam. Hiſpanicè *Leuantar*, eſt cantum incipere. Cap.24. *In Oratorio Pſalmum, aut Antiphonam non imponat.*

Impoſſibile dicitur id quod eſt valde difficile, vel ſecundum ſe, vel ſaltem reſpectu illius, qui debet obedire. Vide comment. ad C.4. & ad 68.

In ponitur pro *Ad* C.3. *Si qua minora agenda ſunt in Monaſterij vtilitatibus*, hoc eſt, *ad Monaſterij vtilitatem.*

Indeclinabilia ſæpè declinantur à D. Benedicto. *Gloria* nomen vltimi verſus in quocumque Pſalmo, per caſus & numeros inflectitur: ſed & infinitiuum declinauit Capite 35. *Accipiant*, ait, *ſingulos biberes, & panem.*

Indigeries idem quod *indigeſtio*. Cap.10. *Nunquam ſubrepat Monacho indigeries.*

Indigere ſæpè dicimus, non indigeri. Capite 55. *In frigidis regionibus amplius indigetur.*

Indirectum, vno tono, ſine melodia, Hiſpan. *En-tono.* Cap.12.

Iniuria non ſignificat quantum ſonat. Capite 58. *Si veniens perſeuerauerit pulſans, & illatas ſibi iniurias* (hoc eſt incommoditates, vel forte inciuilitates) *& difficultatem ingreſſus poſt quatuor, aut quinque dies viſus fuerit patienter portare, &c.*

Intenſio non fit actibus æquè perfectis, hi enim habitus perficiunt extenſiue. Cap.7. *Actibus noſtris aſcendentibus ſcala illa erigenda eſt*, non enim erigeretur per æquè ſublimes & perfectos actus.

Intus pro *intra.* Cap.3. *Neque præſumat quiſpiam cum Abbate pro ſuo proteruè intus, vel foris Monaſterium contendere*, hoc eſt, *intra vel extra.*

In vnum, idem quod *ſimul*, *vnà.* Cap.42. *Mox vt ſurrexerint à menſa, ſedeant omnes in vnum.* Et inferius. *Omnes ergo in vnum poſiti compleant.*

Iuramentum emiſſum ſine cauſa aſſeritur eſſe malum ratione periculi. Cap.4. *Non iurare ne fortè periuret.*

Iuſſio, vide *Præceptum.*

L

LAudes dicuntur Pſalmi 148. 149. 150. Aliqui Laudum nomine etiam Canticum trium Puerorum intelligunt, quod licet non contradicat. Cap.12. vbi hæc vox reperitur, contradicit tamen Cap.13. vbi agitur de ferialibus diebus, in quibus illud Canticum non legitur, & nihilominus Laudes dici iubentur.

Legere ſibi, Hiſp. *Leer paraſi.* C.48. *Sibi ſic legat vt alium non inquietet,*

Libra propenſa, genus ponderis, de quo num. 1616. in Com. ad cap.39.

Lutheranus qui legeret hæc verba Prologi, *Succinctis ergo fide, vel obſeruantia bonorum actuum lumbis noſtris, & calceatis pedibus per ducatum Euangelij pergamus*; inferret aut bona opera non eſſe neceſſaria, aut ſaltem illi qui habet fidem. Sed notandum eſt hic, ſicut & in aliis locis, particulam, *vel* ſumi copulatiuè, non enim Benedictus poſtulat fidem aut bona opera, ſed vtrumque, quia fides ſine operibus mortua eſt; conſtat ex contextu totius Prologi, & præcipuè ex immediatè ſubſequentibus.

M

MAgiſter primus Benedictinorum Chriſtus. In Prolog. *Ab ipſius nunquam magiſterio diſcedentes, in eius doctrina vſque ad mortem in Monaſterio perſeuerantes, paſſionibus Chriſti per patientiam participemus, vt & regni eius mereamur eſſe conſortes.* Magiſter alter Regula Cap.3. *In omnibus igitur omnes Magiſtram ſequantur Regulam.* Tertius Abbas. Vnde in Prolog. *Auſcultà, ô Fili, præcepta Magiſtri*, hoc eſt, *tui Abbatis Ordinarij.*

Magis pro *Potius.* Capite 4. *Maledicentes ſe non remaledicere, ſed magis benedicere.*

Maior Congregatio, eius meminit D. Benedictus. Cap.21. *Si maior fuerit Congregatio, eligantur de ipſis, &c.* & cap.31. *Si congregatio maior fuerit, ſolatia ei dentur,* & c.35. *Si maior congregatio fuerit, Cellerarius excuſetur* Eam explico. *n.*1600.a.

Maior dicitur Abbas. Cap.5. *Mox vt aliquid imperatum à Maiore* (id eſt, ab Antiſtite) *fuerit, ac ſi diuinitus imperetur, moram pati neſciant in faciendo,* & c.2. dictum fuerat,

rat, *Abbas, qui præesse dignus est Monasterio semper meminisse debet quod dicitur, & nomen Maioris factis implere*, & tandem c.7. *Vt quis pro Dei amore omni obedientia se subdat Maiori*, hoc est, *Abbati*, cui Monachus omni obedientia tenetur, nempe pœnali, morali, filiali, & solemni.

Maiores vocat seniores, paulò inferiùs, agens de octauo Humilitatis gradu. *Nihil agat Monachus*, ait, *nisi quod communis Monasterij Regula, vel Maiorum* (hoc est seniorum, saniorum, sanctiorum) *cohortantur exempla.*

Mandatum, Hisp. *Recado, ô besamanos.* C.26. *Si quis Fratres præsumpserit sine iussione Abbatis Fratri excommunicato quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, &c.*

Matutini vocantur à D. Benedicto, quæ iam *Laudes*, & qui nunc vocantur *Matutini*, apud eum *Nocturni*, necnon *Vigiliæ* nominantur. Cap.8.11.12.35.

Meliorari idem quod *Conualescere.* Cap.36. *Vbi meliorati fuerint, à carnibus more solito omnes abstineant.*

Militandi verbo libenter vtitur noster Author cùm de Monachis agit, & optimè, quia *militia est vita hominis super terram*, militat enim omnis amans. Totus Regulæ Prologus fundatur hac metaphora, sub eodem c.1. Cœnobitas fortissimum genus appellat, & c.2. *Omnes in Christo vnum sumus*, ait, *& sub vno Domino æqualem seruitutis militiam baiulamus*, & tandem c.61. *In omni loco vni Domino seruitur, & vni Regi militatur.* Vide *n.*309.

Minus pro *Paucioribus.* C.10. *Nunquam minus à duodecim Psalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicatur*, & c.18. *& quia minus veniunt tres Psalmi.* Hisp. *Y porque echamos menos, y nos vienen à faltar tres Salmos*, & c.56: *Quoties tamen sunt minus hospites.* Vide *n.*1655.

Missæ. Torquet hæc vox Expositores. Qui putant non nisi sacrum Eucharisticum significare, non legerunt Regulæ c.17. præcipiens Missas fieri post Vesperas, & post Completorium. Missæ igitur Orationes sunt illæ, seu Collectæ (fortè Commemorationes) quibus Horæ clauduntur. Videtur nihilominus *Missa* significare sacrum c.35. vbi lego culinæ Hebdomadarios ieiunos debere remanere vsque ad Missas; clarius cap.38. vbi Hebdomadarius Lector post Missas & Communionem petit ab omnibus pro se orari.

N

Nobilis ponitur pro *Diuite* cap.59. Constat ex epigraphe, opponit nobiles pauperibus, dum ait, *De filiis nobilium, vel pauperum.*

Necessitas duplex, naturalis & virtualis. Illa dicuntur necessaria naturaliter, quæ arbitrio carent: illa verò virtualiter necessaria dicuntur, quæ libera quidem sunt, sed liberè volunt sic esse, ac si essent necessaria. Talia sunt agentia intellectualia, quibus est virtualis necessitas, seu libertas ordinata ad aliquem finem necessario virtualiter, aut sanè infallibiliter vt alij loquuntur. Hinc intelligendus noster Author c.7. *Voluntas habet pœnam & necessitas parit coronam.* Hinc etiam intelligendus Mellifluus Doctor variis locis.

Negligentiam & vitium distinguit D. Benedictus, distinguo, & ego *n.*1612. c.ad c.43. *Negligentiam* etiam distinguit à *Contemptu* c.2. Vide quæ de contemptu dico *n.*97.

Nihil aliquid pro *Nullare.* Cap.5. *Hæc conuenit his, qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant.*

Non pro *Ne?* frequentissimè.

Nonus, quis? Subdecanus. Cap.63. *Iuniores autem Priores suos Nonos vocent.*

Numerus pro numero (puta singularis pro plurali, aut è contrà) occurrit aliquando in Regula. Cap.3. grad.1. *Ne Deus dicat nobis in futuro, Hæc feci[sti] & tacui:* & cap.32. *Vt dum Fratres vicissim succedunt, sciat quid dat, aut quid recipit.* [*Feci[sti], sciat, dat recipit*, in singulari sunt, & nihilominus de multis prædicatur. ¶ Pluralem pro singulari reperio cap.3. *Si qua verò minora*, ait, *agenda sunt in Monasterij vtilitatibus*, hoc est, *ad Monasterij vtilitatem*, quò respiciens Bernardus serm.6. de Aduēt. post medium. *Primò, siquidem*, ait, *omnia sua, de hinc etiam semetipsum exposuit vtilitatibus meis:*

Nunciare horam, non est pulsare, sed designare horas, in quibus conuocandi sint Fratres ad Chorum. Sic expono cap.47. *Nunciare hospitem* idem est, ac annunciare alicuius hospitis Aduentum. Cap.53.

O

Obediens fuit Christus Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Dubitant Scholastici, An huiusmodi verba inferant præceptum verum & rigorosum. Resoluit negatiuè noster Petrus de Lorca, sed Patres omnes affirmatiuè; inter quos Benedictus c.7. *Tertius humilitatis gradus est, vt quis pro Dei amore omni obedientia se subdat Maiori* (seu Antistiti) *imitans Dominum; de quo dicit Apostolus; Factus est obediens vsque ad mortem.* Christus igitur omni obedientia, cuius fuit capax, se Patri subdit: habuit igitur verum & rigorosum præceptum moriendi. Benedicti verba fortia sunt, & omnem possibilem obedientiam probant, ideo ex hypothesi, quod actuum indiuiduatio à Christi libertate pendeat, non solùm passionis circumstantiæ, sed & actuum omnium singularitas fuit diuinitus ipsi præcepta.

Obedientia exterior semper est necessaria, & stante præcepto obligatorio sine culpa deficere non potest. Sola autem ad meritum sufficit, ni inficiatur malignis & demeritoriis circumstantiis. Cap.5. *Cum malo animo si obedit discipulus, & non solum ore, verum etiam in corde si murmurauerit, etsi impleat iussionem, & tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, sed pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.*

Obedientia, quæ Maioribus (id est Prælatis) *præbetur, Deo exhibetur; ipse enim dixit, Qui vos audit me audit.* Sunt verba expressa cap.5. Hinc patet omnes leges morales humanas, quæ obligant in conscientia, sumere vires à Diuina; sublato enim Decalogo nec filij tenerentur obedire parentibus, nec subditi Antistiti solemnibus votis dispensatione sublatis. Consonat sibi Pater sanctus, quia sub capitis initium dixerat: *Mox vt aliquid imperatum à Maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt.*

Octaua hora, quæ? Sexta incidit in meridiem & in mediam noctem, erat ergo secunda post noctis medium. Cap. 8.

Odire pro *Odisse*. Cap.4. *Desideria carnis non perficere, voluntatem propriam odire*, & paulò post, *Castitatem amare, nullum odire.*

Ordinare est suo quoque ordine disponere, quia *Ordo* & *Ordinatio* recta rerum dispositio est. Hoc sensu Caput 63. inscribitur. *De ordine Congregationis.* ¶. *Ordenar.* Hispanicè est iubere, & *Orden* iussio. Hoc sensu locutus est noster Author Cap.65. *Nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciens*, hoc est, *nihil contra iussionem, aut dispositionem.* ¶ *Ordinare* etiam est promouere ad dignitatem. Suetonius in Vespasiano. *Ipsum candidatum ad se vocauit, exactaq; pecunia, quãtam is cum suffragatore suo pepigerat, sine mora ordinauit.* Hinc *Ordinatio* Prouinciæ Administratio est. Idem in Nerone c.40. *Spoponderunt tamen quidam destituto ei Ordinationem Orientis, nonnulli nominatim regnum Hierosolymorum. Ordinatio* autem apud nostrũ Authorem *Administratio* etiam est, & *Creatio.* Administratio quidem, c.65. *Ideóque nos prauidemus propter pacis charitatisque custodiam in Abbatis pendere arbitrio Ordinationem* (idest Administrationem & regimen) *Monasterij sui.* Creatio autem c.64. cui titulus, *De Ordinando Abbate*, hoc est, *de eligendo, creando, promouendo, declarando.* Et mox incipit textus his verbis: *In Abbatis Ordinatione illa semper consideretur ratio, vt hic constituatur, &c.* hoc est, *In Abbatis creatione, electione, denominatione.* ¶ Ecclesiasticè *Ordinare* est ad ordines sacros promouere, & in hoc sensu vsus est eodem verbo c.62. *Si quis Abbas sibi Presbyterum, vel Diaconum ordinari petierit.*

P

PAr consilium, idem quod *concors, vnanime.* Cap.64. *Quod si etiam omnis congregatio vitiis suis* (*quod quidem absit*) *consentientem personam pari consilio elegerit.*

Pascha, Hebræa vox est, plerumque indeclinabilis. Cap.8. *A Kalendis Nouembris vsq; ad Pascha.* & c.10. *A Pascha vsque ad Kalendas Nouembris.* Clariùs c.15. *A sancto Pascha vsque ad Pentecosten sine intermissione dicatur Allelu-Ia*, & c.41. *A sancto Pascha vsque ad Pentecosten ad sextam reficiant.* Si velis declinare *Pascha*, *æ.* lege in c.10. *A Pascha vsque ad Kalendas*; vt declines *Pascha, atis* verba capitis octaui fauent; vt dicas *Pascha* per omnes casus, omnia testimonia conspirant.

Pater Monasterij, Vide *Abbas.*

Pelagius diuersos habuit discipulos, alij seuerius negabant gratiam, alij eam humanæ libertati submittebant, hominem inchoare dicebant, sed Deum perficere. In Prologo Regulæ D. Benedictus sugillat hunc errorem, dicens, *Quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas*, ne autem putes te saltem à te habuisse, quod inceperis, immediatè subiungit, *vt qui nos in filiorum dignus est numero computare.* Ecce boni meritorij inchoationi gratiam adoptantem & iustificantem præmittit, cuius virtute adiuta anima inchoat contritionis actum, quo se disponit vt ab ipsamet gratia formaliter & à Deo efficienter perficiatur. Et paulò post admittit gratiam excitantem, dum ait; *Exsurgamus ergo tãdem aliquãdo excitante nos Scriptura, ac dicente, Hora est iam nos de somno surgere.* Et clariùs; *Antequam me inuocetis, dicam: Ecce adsum.* Ecce Deũ inuocamus, quia ipse præsens per gratiam nobis fuit antequã inuocaretur, ipse etenim præmouit nos ad inuocandũ, & inuocantibus adquieuit. Ideo subiungit noster Author, *Timentes Dominũ de bona obseruãtia sua non se reddũt elatos, sed ipsa in se bona, non à se posse, sed à Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant, illud cum Propheta dicentes: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Ex quibus verbis hæ nascuntur Conclusiones. *Prima*, Datur moralis & meritoria bonitas non solùm orta ab homine, sed remanẽs in homine. *Secunda*, Has actiones bonas & meritorias à seipso homo non solùm non facit, sed nec potest facere. *Tertia*, Dei est auxilium quo fiunt huiusmodi actiones. *Vltima*, Homo à seipso nec habet perficere, nec facere, nec inchoare, nec posse, sed hæc omnia recipit à gratia Dei. Hanc vltimam Conclusionem roborant immediata nostri Authoris verba: *Sicut nec Paulus*, ait, *de prædicatione sua sibi aliquid imputauit, dicens: Gratia DEI sum id quod sum: & iterum ipse dicit; Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Igitur qui nihil sibi imputauit, ne ipsum quidem posse imputauit sibi, aliàs enim aliquid sibi imputasset. Fauent insuper verba, quæ paulò post sequuntur: *Ergo præparanda sunt corda & corpora nostra sancta præceptorum obedientiæ militatura, & quod minus habet in nobis natura possibile, rogemus Dominum vt gratia sua iubeat nobis adiutorium ministrari.* Ecce meritoria illa obedientia, de qua sermo, nec in nobis, nec à nobis habet, quod sit proximè possibilis, sed à gratia DEI. Idcirco c.4. statuitur Conclusionum Conclusio, *Bonum aliquod in se cùm viderit, Deo adplicet, non sibi.*

Pendere ex vel *ab aliquo*, Latinè dicitur, præcipuè cùm sonat. *Dependere.* Noster Author legit, *Pendere in.* C.3. *In Abbatis pendeat arbitrio*, & Cap.24. *Culparum modus in Abbatis pendeat iudicio*, & Cap.65. *Prouidemus expedire propter pacis charitatisque concordiam*

cordiam in Abbati : pendere arbitrio ordinationem monasterij.

Per varias constructiones habet in Regula Benedictina; poni loco *Pro* notaui in c. 11. *Infirmorum contuentes imbecillitatem credimus heminam vini per singulos sufficere per diem.* ¶ *Per se.* Hisp. *De por si*, idem est, quod *seorsim.* Cap. 53. *Coquina Abbatis & Hospitium per se sit*, hoc est, *si separata & peculiaris.*

Petitio, instrumentum publicum, autographum. Cap. 58. *De qua promissione faciat Petitionem*, hoc est, *scripturam*, & sub finem, *Illam tamen Petitionem* (seu autographum) *quam de super altare Abbas tulit, non recipiat.* & Cap. 59. *Parentes faciãt Petitionem, quam suprà diximus, & cum oblatione ipsam petitionem & manum pueri inuoluant in palla Altaris, & sic eum offerant.* & in fine, *Qui vero ex toto nihil habent, simpliciter Petitionem faciant, cum oblatione offerant filium suum coram testibus,*

Præceptum strictè sumptum sonat moralem; aut pœnalem sanctionem. Capit. 4. *Memor illius Dominici præcipit. Quæ dicunt facite : quæ autem faciunt, facere nolite.* & Cap. 7. *Semper sit memor omnium, quæ præcipit Deus*, & Cap. 23. *Hic secundum Domini nostri præceptum admoneatur semel & secundo.* In Prologo videtur agi de rigorosis legibus cum dicitur : *Ausculta, ô Fili, præcepta Magistri; hoc est Abbatis Ordinarij.* & paulò post, *Cùm ergo interrogauissemus Dominum, Fratres, de habitatore tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum.*

Præceptum pro *Consilio* ponunt nonnulli authores, & variis in locis Benedictus, Cap. 7. *Præceptum Domini in aduersis, & in iniuriis per patientiam adimplentes, percussi in maxillam, præbent & aliam, auferenti tunicam, dimittunt & pallium, angariati milliario, vadunt & duo*, & cap. 23. *Si quis præcepti seniorum suorum contemptor repertus fuerit* : seniores enim non præcipiunt moraliter, & rigorosè, sed consulunt & suadent obseruanda iunioribus.

Præceptum ponitur non raro pro licentia, sicut & *præcipere* pro *permittere, indulgere, adquiescere, facultatem concedere.* Cap. 51. *Non præsumant foris manducare, etiam si à quouis rogentur, nisi fortè eis ab Abbate suo præcipiatur.* Cap. 53. *Hospitibus autẽ, cui non præcipitur, nullatenus societur, neq; colloquatur*, & Cap. 54. *Nullatenus liceat monacho —munuscula recipere, aut dare sine præcepto Abbatis sui*, & Cap. 62. *Ordinatus autem caueat elationem, aut superbiam non quidquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur.*

Præceptum & *Iussio* sunt synonimæ voces, ideo hæc vltima & verbum *Iubere*, à quo deducitur, significant minus quam sonant. Capitis 26. titulus, *De iis, qui sine iussione Abbatis iunguntur excommunicatis*, textus, *Si quis Frater præsumpserit sine iussione Abbatis Fratri excõmunicato quolibet modo se iungere—similẽ sortiatur excõmunicationis vindictã.* Cap. 31. *Curam gerat de ómnibus, sine iussione Abbatis nihil faciat*, & Cap. 33. *Ne quis præsumat aliquid dare, aut recipere sine iussione Abbatis.* & Cap. 67. *Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subiaceat. Similiter & qui præsũpserit claustramon sterij egredi, vel quocumque ire vel quidpiam quamuis parum sine Abbatis iussione facere.* In quibus omnibus locis *Iussio* significat *licentiam*, quia ex licentia Antistitis Cellerarius potest œconomicam rem gubernare, & quicumque Confrater loqui ligato excommunicatione regulari, egredi ex monasterio, aut similia facere. ¶ Cap. 31. in corpore, *Iussio* legitur pro *Dispositione.* Cellerarius *omnia mensura faciat, & secundum iussionẽ Abbatis.* ¶ *Iubere* sæpè significat *dicere*, aut saltẽ *indicere*, aut *permittere*, Cap. 42. *Si inuentus fuerit quisquam præuaricari hanc taciturnitatis Regulam, grauiori vindictæ subiaceat, excepto si necessitas hospitum superuenerit aut forte Abbas aliquid iusserit*, hoc est *dixerit.* & Cap. 44. *Qui dũ iussus ab Abbate venerit*, id est *vocatus ab Abbate* Cap. 47. *Psalmos autem vel Antiphonas post Abbatẽ ordine suo, quibus iussum* (id est dictum) *fuerit imponant. Cantare autem, aut legere non præsumat nisi qui potest ipsum officiũ implere, aut ædificentur audientes; quod cum humilitate & grauitate & tremore faciat* (nempè ille) *cui iusserit* (hoc est dixerit) *Abbas.* & Cap. 53. *Suscepti autem hospites ducantur ad orationem, & postea sedeat cũ Prior, aut cui iusserit* (id est dixerit) *ipse*, & Cap. 54. *Non præsumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Abbati, quod si iusserit* (hoc est permiserit) *suscipi, in Abbatis sit potestate*, & Cap. 57. *Artifices, si sunt in monasterio, cum omni humilitate & reuerentia faciant ipsas artes: si tamen iusserit* (id est permiserit) *Abbas. Quod si aliquis extollitur pro scientia artis suæ —euellatur ab ipsa arte, & denuò per eam non transeat, nisi forte humiliato ei iterum Abbas iubeat* (hoc est permittat) & Cap. 60. *Concedatur ei tamen post Abbatem stare & benedicere, aut Missas canere, si tamen iusserit* (siue quòd idem est, permiserit) *ei Abbas sin aliàs, nullatenus aliqua præsumat.*

Portare in sensu morali est *tolerare & sufferre.* Cap. 36. *Qui tamen patienter portandi sunt*, & Cap. 58. *Si veniẽs perseuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias, & difficultatem ingressus post quatuor, aut quinque dies visus fuerit patiẽter portare, &c.* Hoc sensu locutus est optimus Benedicti discipulus Bernardus ser. 2. in vigil. Natal. Domini. *Nõ solũ sine querela*, ait, *sed & cũ gratia inter fratres maneas portãs omnes, orãs pro omnibus.*

Presens alicui rei dicitur, quam constructionẽ obseruauit noster Author. Cap. *Nobis Deũ credamus semper esse præsentem*, & inferiùs, *se tremendo iudicio Dei præsentari existimet.* Sed paulò antea præpositionem *In* admiserat expressè dicens, *Demonstrat nobis hoc Propheta, cùm in cogitationibus ità Deum semper præsentem ostendit.*

Præuidere sumitur pro *disponere, prouidere, iudicare.* Cap. 25. *Cibi autem refectionem solius percipiat; mensura vel hora qua præuiderit*

(hoc est censuerit) *Abbas ei competere.* & Cap.65. *Nos præuidemus* (id est iudicamus) *expedire propter pacis charitatisq; custodiã.*

Prior sumitur comparatiuè & absolutè. absolutè loquendo, Prior à meo Authore ille dicitur, qui præsidet aliquo actu monastico, siue is sit Abbas. siue Præpositus, siue alius. Cap.6. *Si quæ requirenda sunt à Priore* (nempe ab eo qui monasterio præest) *cũ omni humilitate & subiectione reuerẽtiæ requirantur.* Cap.7. *Vt ostendat sub Priore* (hoc est Superiore) *debere nos esse, subsequitur dicens; Imposuisti homines super capita nostra.* Cap.13. *Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore* (nempe ab eo qui Choro præsidet) *propter scandalorum spinas.* & Cap.20. *In Conuentu tamen omnino breuietur oratio, & facto signo à Priore* (hoc est, abillo, qui Conuentui præsidet) *omnes pariter surgant.* & Cap,38 *Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliunde quidquã requirere, ne detur occasio maligno, nisi fortè Prior voluerit pro ædificatione aliquid breuiter dicere.* & Cap.43. *Sicut offertur aliquid à Priore, & accipere renuerit, &c.* his duobus locis Priorẽ eum nominat, qui præsederit in Refectorio. & Cap.40. *Si aut loci necessitas, vel labor, aut ardor æstatis amplius proposuerit, in arbitrio Prioris* (nempe illius, qui domum gubernat) *consistat.* & Cap.53. *Suscepti autẽ hospites ducantur ad orationem, & postea sedeat cum eis Prior* (nempe qui monasterio præest) *aut cui iusserit ipse.* & mox; Ieiunium *à Priore frangatur propter hospitem; nisi fortè præcipuus dies ieiunij, qui non possit violari.* & Cap.68. *Quod si post suggestionem* (excusationem) *suam in sua sententia Prioris imperium perduraverit, — confidens de adiutorio Dei obediat.* Consulto *Prioris* nomine vsus fuit in hoc capite potiùs quam *Abbatis* S.Pater, vt doceremur obediendum esse etiam impossibilia (hoc est valdè difficilia) iubenti, non modò Antistiti, sed & Priori, hoc est illi, qui in monasterio agit Patrem-familias, siue Abbas fuerit, siue non. Cæterum soli Abbati tenemur ex vi voti, quia ipso absente obedimus Priori ex vi quartæ legis Decalogi, quod expendo, num.1612. a.

Prior comparatiuè sumptus respicit posteriores, & in hoc sensu Prior poterit dici, qui senior. Cap.63. *Iuniores igitur Priores* (hoc est, seniores) *suos honorent: Priores, iuniores suos diligant.* & mox; *Priores, iunioribus suos fratres nominẽt; iuniores autem, Priores suos Nonos* (hoc est Subdecanos) & sub finem; *Vbicumque autẽ sibi obuiant Fratres, iunior à Patre benedictionem petat.* & Cap.71. *Iuniores Prioribus suis omni charitate, & solicitudine obediant.* & post. *Si quis autem Frater, pro quauis minima culpa ab Abbate, vel à quocumque Priore* (hoc est seniore) *suo corripiatur quolibet modo, vel si leuiter senserit animum Prioris cuiuscumque contra se iratum, &c.*

Prior hodie non significat quẽcumque communitatis Benedictinæ Præsidem, sed ipsũmet Præpositum, & hoc communiori acceptione; sunt enim aliqui, qui post Præpositum voluerunt habere Priorem & Superiorem, sed non expedit multiplicare Præsides in monasteriis.

Pro hospite. Hisp. *Pro huesped.* Latinè. *Tanquam hospes.* Cap.61. *Si quis monachus peregrinus — pro hospite voluerit habitare in monasterio.* Hispanè, *Si algun Religioso peregrino se quisiere quedar por huesped en otro monasterio, &c.*

Proprietas rerum deuota est Deo solemniter in professione: an DD.Benedictini sunt domini sui corporis, & voluntatis? Difficilia sunt verba S.Patris. Cap.33. *Quibus nec corpora sua, nec voluntates, licet habere in propria potestate.* & Cap,58. *Ex illo die* (nempe professionis) *nec proprij corporis potestatem se habiturum sciat.* Respondeo potestatem negari à D.Benedicto, non verò proprietatem. Corpus, voluntas & omnes actiones Religiosi non sunt alius veri domini, subsunt tamen alius imperio & potestati. Vide ea quæ expendo n.820.

Protrahere est tarda, morosa grauique voce psallere. Cap.43. *Si quis ad nocturnas vigilias post Gloriam Psalmi nonagesimiquarti (quem propter hoc omnino protrahendo & morosè volumus dici) occurrerit, non stet in ordine suo in Choro.*

Q.

Quanti pro *Quot* Italismus, aut Hispanismus est, reperitur tamen Cap.17. cui epigraphe, *Quanti Psalmi per easdem horas canendi sunt.*

R.

Regula inscribitur totum opus D.Benedicti, duos nihilominus peculiares Articulos Regulas nominauit, nempe clausuræ & silentij sanctiones. Cap.66. *Non sit necessitas monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam sæpiùs volumus in congregatione legi, &c.* Capite autem 42. *Si inuentus fuerit quisquam*, ait, *præuaricari hanc taciturnitatis Regulam, grauiori vindictæ subiaceat.* Fortè hos duos Articulos specialiter Regulas nominat, eò quòd sine illis Regula non possit obseruari.

S.

Sanctus in hac vita mortali ille est, qui obligationibus suis satisfacit, inter quas ex præcipuis est nemini esse scandalo, aut malo exemplo: teneris igitur non solùm cauere ne legem Dei non violes, sed etiam ne violare videaris. Debes & velle sanctus esse, & talis videri. Carpo illos, qui volunt sancti potiùs videri quàm esse, cùm deberent è contra velle sancti esse, & ideò tantum velle tales videri, quia si incautè procedentes scelerati iudicarentur, scandalizarent proximos, & hoc ipso sancti nõ essent. Hac mente perstringebat Benedictus, cùm dixit Cap.4. Debere Religiosum *non velle dici sanctum antequam sit: sed priùs esse, quo verius dicatur.*

Secreti iure non cedunt DD.Benedictini, ideò omissa fraterna correptione denunciari non possunt. Putant multi Religiosos sub nostra Regula militantes obligari ad

omnia

omnia mentis arcana Antistiti manifestanda ex præscripto eiusdem Regulæ dicentis. Cap. 7. gradu 5. *Omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, vel mala à se absconsè commissa, per humilem confessionem Abbati non celauerit suo.* Falluntur tamen, quia Legislator noster non præcipit vt secreta communicentur Antistiti, sed asserit confessionem huiusmodi esse actum profundæ humilitatis, quod nemo negat, maximè si Abbas talis sit vt de eius prudentia & fidelitate non possit cordate dubitari. Cap. 49. indicit vt extraordinariæ abstinentiæ ieiunia, mortificationes, pœnitentiæ, quæ secretè solent fieri, exponantur Abbati. *Hoc ipsum tamen*, ait, *quod vnusquisque offert, Abbati suo suggerat, & cum eius fiat oratione & voluntate.* Peccata illa quæ legi pœnali contrariantur, qualia sunt ea omnia quæ Regulæ soli opponuntur, licet secretò commissa, Abbati aut toti Conuentui humiliter sunt manifestanda. Cap. 46. *Si quis —— aliquid deliquerit aut fregerit quidpiam aut perdiderit, vel aliud quid excesserit vbiubi, & non veniens continuò ante Abbatem vel Congregationem ipse vltrò satisfecerit & prodiderit delictum suum, dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi.* Peccata autem moralia, & quidquid ad conscientiam spectat nemo tenetur reuelare Prælato, ipsi tamen aut alteri ea potest confiteri. Cap. 46. *Si animæ verò peccati causa latens fuerit, tantùm Abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciant curare sua, & aliena vulnera non detegere aut publicare.*

Senior sæpè sine comparatione ponitur, & nihil aliud significat quàm *senex*. Ouidius libro 2. Transformationum:

Tum senior quamuis obstet mihi longa vetustas.

Eodem prorsus sensu vsurpauit hanc vocem noster Author Cap. 3. *Si qua verò minora agenda sunt in monasterij vtilitatibus, seniorum tantum vtatur consilio*, hoc est, *consilio aliquot prudentium senum*: contingit enim illos qui prouectioris sunt ætatis, aliquando non satis percallere œconomicas & politicas difficultates.

Senior comparatiuè ad *Iuniorem* refertur, & sonat *Antiquiorem*. Cap. 4. *Seniores* (id est, antiquiores confratres) *venerari.*

Seniores in plurali sumuntur pro Magistratu, pro Senatu, quoniam is ex prouectioris ætatis hominibus legi solet. Liuius 4. Bell. Maced. *Scriptum erat Aristonem priuatim ad neminem, publicè ad Senatum mandata habuisse.* Hoc sensu B. Pater cap. 23. *Si quis —præceptis Seniorum suorum contemptor repertus fuerit, bis secundum Domini nostri præceptum admoneatur semel & secundo secretè à senioribus suis: si non emendauerit, &c.* Seniorum nomine aptè intelligimus Decanos, Præsides, & Prælati administros. Bernardus Homil. infra octauam Epiph. sic ait: *Vt humilitatis & obedientiæ simulque propriæ voluntatis deserendæ seniorum præceptis, etiam vtilibus prætermissis obtemperandi expressiùs & excellentiùs commendaret exemplum, cum his tam sublimibus, tam vtilibus, tam denique necessariis prætermissis seniorum se subdit voluntati, vt ait Euangelista, Et descendit cum eis, & erat subditus illis.* Ecce *Seniorum* nomine priùs intelligit Templi sacerdotes, quos *Senes* etiam vocat serm. 2. in Purific. sub initium. Posteriùs verò *Seniorum* nomine intelligit Mariam & Ioseph.

Senipeta, qui senium petit, qui ad senectam adpropiat. Hac voce vsus est Benedictus cap. 27. imo eam exposuit dicens: *Vt sapiens Medicus* (debet Abbas) *immittere quasi occultos consolatores* (nempè) *senipetas, id est, seniores-sapientes.* Non collimauit noster Author in vocis etymon, sed in sanctionis scopum; consolari enim oportet afflictum monachum, & hoc præstare nec iuuenes nec stolidi possunt; mittantur ergo viri graues prudentia eximij, ætate venerabiles, qui fluctuantem confratrem consolentur.

Septenario Diuinitatem ethnici scriptores adtribuunt, sed Author noster sanctitatem. Cap. 16. *Septenarius sacratus numerus à nobis sic implebitur.*

Significare horam operis Dei. Cap. 47. non est pulsare cymbala, nec campanas torquere, sed præscribere tempora Diuino officio. Vide *Nunciare.*

Silere à bonis dixit Propheta Rex, eum imitatus Benedictus non *sileri* modò, sed & *taceri à bonis* dixit, Cap. 6. *Ait Propheta, Humiliatus sum & silui à bonis. Hic ostendit Propheta, si à bonis eloquiis interdum propter Taciturnitatem debet aceri, quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati debet cessari.*

Solatia vocat S. Pater subministros; hoc est, ministrorum socios & coadiutores, quos ministris concedit quotiescumque Communitas est tanta, vt oneri suo non possint sine adiutorio satisfacere. Cap 31. de Cellerario: *Si Congregatio maior fuerit, solatia ei dentur.* hoc est, permittatur illi vt vtatur vnius aut alterius ministerio. Capite 53. de Coquis ait, *In quam coquinam ad annum ingrediantur duo Fratres, qui ipsum officium bene adimpleant, quibus, vt indigent, solatia administrentur.* Et paulò post de Coadiutoribus instituit legem vniuersalem: *In omnibus officiis ista sit consideratio, vt quando indigent, solatia* (hoc est socij) *ministrentur eis, & iterum quando vacant obediant imperanti.*

Spondere verbum est, quo vtitur D. Benedictus cap. 29. *Si reuerti voluerit*, ait, *spondeat priùs omnem emendationem.* sed quid est, emendationem spondere? expono num. 1750. b.

Subtrahere vox musica est, & significat *intonare morosè & grauiter.* Hispan. *Entonar de spacio.* Cap. 13. *Sexagesimus sextus Psalmus dicatur sine Antiphona, subtrahendo modicè sicut in Dominica, vt omnes occurrant.*

Super se. Hisp. *De por si.* Lat. *Seorsum.* Cap. 36. *Fratribus infirmis sit cella super se deputata.*

T

Temerè discedere à Regula interdicitur; ergo si exceptio firmat regulam in contrarium, discedere prudenter, conceditur. Quis igitur temerè discedit? qui sine sufficienti causa. Cap.3. *In omnibus igitur omnes Magistram sequantur Regulam; nec ab ea temerè deuietur à quoquam.*

Temperiùs, restituo *Temporiùs*, hoc est, *citiùs*. Cap.11. *Dominico die temporiùs surgatur ad Vigilias.*

Typus varias significationes habet, nulla tamen congruit Cap.30. vbi Cellerario imponitur hæc lex: *Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo vel mora offerat.* In qua *Typus* nihil aliud quam *excusationem* potest significare.

V

Vel particula disiunctiua sæpissimè extrema connectit & æquiualet coniunctioni *Et*; dabo periodos in quibus vt coniunctio debeat exponi necessario. In Prolog. *Succincti ergo fide vel obseruantia bonorum actuum lumbos nostros, & calceatis pedibus per ducatum Euangelij pergamus.* Verè cursus noster non esset iuxta Euangelij legem, si haberemus fidem sine operibus, aut hæc sine illa; instructi igitur & fide & bonis actibus debemus pergere. Capite 1. de primo Monachorum genere, *Primum*, ait, *Cœnobitarum, hoc est, Monasteriale, militãs sub Regula vel Abbate.* vbi prudentes coniunctiuè intelligunt *sub Regula & Abbate*; non tamen incongruè disiunctiuè potest intelligi, si periodus illustretur commentario adhibito *num.*308. Vix aut ne vix quidem poterit sumi disiunctiuè in his locis; Cap.2. *Memor sit Abbas, quia doctrinæ suæ vel discipulorum obedientiæ, vtrarumque rerum in tremendo iudicio Dei facienda erit discussio.* Et infrà: *Inobedientes, verborum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coërceat.* Capite 6. *Scurrilitates verò vel verba otiosa & risum mouentia æterna clausura, in omnibus locis damnamus.* Et cap.7. grad.8. *Nihil agat Monachus nisi quod communis monasterij Regula, vel Maiorum cohortantur exempla.* & grad.11. *Monachus leniter & sine risu humiliter cum grauitate vel pauca verba* (id est perpauca, valdè pauca) *& rationabilia loquatur.* Cap.17. *Iam de Nocturnis vel Matutinis digessimus ordinem Psalmodiæ*, hoc est, *Iam disposuimus Psalmodiam pro Nocturnis & Laudibus.* Capit.27. *Si ad vltimum vstionem excommunicationis vel plagas virgarum.* Cap.60. *Si promittit de obseruatione Regulæ, vel propria stabilitate.* Et cap. 67. *Dirigendi Fratres in via, omnium Fratrum vel Abbatis orationi se commendent.* Similiter *Aut* nonnunquam copulatiuè sumitur. Cap.11. *Psalmus nonagesimus quartus cum Antiphona, aut certè decantandus,* & capit.60. *Concedatur ei tamen post Abbatem stare, & benedicere, aut Missas canere.*

Veracitas virtus est nobilissima, quæ mendacio opponitur. Sæpè violatur ore hæc puriſſima virtus, sæpè corde. Ore quidem cùm ex ignorantia erramus, & falsa dicimus cùm dicere putamus vera. Corde autem, cùm aliquem volumus fallere. Est ergo Benedictinum dogma Capit.4. *Veritatem ex corde & ore proferre.*

Vestiarium aula illa dicitur in qua vestes seruantur. Græcè ἱματοφυλάκιον. Vestes, quas noster Legislator cap. 55. concedit Religiosis, sunt; Cuculla, Tunica, Scapulare, Pedules, Caligæ, & Femoralia, si iter agant. ¶ *Cucullæ* nomine quid intelligi debeat, notum est. ¶ *Tunica* videtur *Toga* esse. Qui thoracis & indusij non meminit, fortè neutrum indulsit. ¶ *Scapulare* tunicæ superpositum, ne illa macularetur. ¶ *Pedules* apud Vlpianum *l.25. D. de aur. & arg.* Fasciæ sunt quibus pedes vinciuntur: sumuntur pro calceis & tibialibus. ¶ A *Caliga* Hispanus habet *Calçones*, his autẽ non tibias, sed & femora tegit. Fortè aptiùs intelligitur textus hoc modo. ¶ *Femoralia* quæ? femorum etiam tegmina differebant à caligis non vsu sed figura.

Stramenta lecti, sunt *Matta*, Hispanè *jergon*, & straminibus aut iuncis facilibus præparabatur. *Sagum*, Hisp. *Vna manta de sayal, jerga ò otra materia gruesa*, Hispano-arabicè *Vna alhonbra.* Sagi nomine non intelligitur id, quod Hispanus *Plomon* aut *Colchon* nominat, ex testimonio Suetonij in Othone. *Ferebatur & vagari noctibus solitus, atque in validum quemque obuiorum vel petulantium corripere, ac distento sago impositum in sublime iactare.* Hispanicè, *Deciase tambien, que solia salirse à tomar el fresco, y entretenerse la mayor parte de la noche y que diuertia manteando alos que ò por violencia del vino, ò por pusilanimidad y cobardia venian a sus manos.* Cæterùm si *Sagum* esset (Hispan. *Colchon*) nec plicari, nec ferri, nec excuti sine magna difficultate posset. ¶ *Lana* vestis est quæ cæteris superimponitur, Belgicè *Nachttabbaert*, vnde Hispan. *Vn tabbardo*, togæ est similis, quæ chlamydis & Coopertorij (Hisp. *Vn Cobertor*) iuxta rerum temporumque exigentiam vices gerit. ¶ Tandem *Capitale*, Hispan. *Vn cabeçal*, Hispano-arabicè, *Vna almohada.*

Præter vestes & lectum stratum, vt vidimus, concedit noster Legislator hæc suppellectilia. Cultellum; Graphium seu calamum; Tabulas scriptorias, iam chartam; Tabulam seu mensam, cur non & sedem? acum & necessaria ad reficiendas vestes, & mapulam, fortè ad tergendas manus: tandem & bracile, quod & Hispanus nominat *Mangillo.*

Vindicta ponitur pro supplicio. Cap.42. *Si inuentus fuerit quisquam præuaricari hanc Taciturnitatis Regulam, grauiori vindictæ subiaceat.* & Capit.67. *Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subiaceat.*

Vsufructuarius, alias *Fructuarius* dicitur qui vsum habet. Hinc deducit noster Author *Vsufructuarium, rij*, substantiuum, quod *Vsumfructũ* adsignificat. Cap.59. *Faciant ex rebus, quas dare voluint monasterio donationẽ, reseruato sibi, si ita voluerint, vsufructuario.*

VOCES

VOCES HEBRÆÆ,

Quarum ſignificatio in hoc Opere radicitùs examinatur.

HEBRÆA Linguarum vniuerſarum Parens, artificioſiſſimo etymo imponit nomina rebus ſignificatis: naturâ aut arte duce habet voces rerum eſſentiam deſcribentes; idcirco debui nonnunquam Hebraica vocabula expendere, vt adſequerer proprietates & prærogatiuas rei ſignificatæ.

א

אב | אבא Abbas: Chriſti eſt prænomen ſignificat Patrem, Amantem, Magnatem, Eminentem, Magistrvm, Dvcem, Antiſtes dicitur אב *voluntas*, quia ſubditi non debent velle, quod non velit Prælatus, Φιλόξενος *Amator pauperum & peregrinorum*, ibidem.

אבה Amare, concupiſcere, *pag.*679, b. & *pag.*798, a.

אבוי Pauper, paupertas, *num.*1667.

אבון Mendicus, *num.*234.

אדני Adonai: *eſt nomei Dei. num.*1129.

אדר Adar, nomen menſis, qui correſpondet Februario. *num.*1193.

אזן Auris. *num.*219.

אזנים Bilances, ſtateræ, *num.*219.

איש Vir, *num.*172.

אם Mater, cœtus, conuentus, familia, poſtis, *num.*128.

אמה Cubitus, menſura, *num.*128.

אמים Æmæi; erant religioſi antiquæ legis: *num.*127. 128. 131. 133.

אמן Amen: *Aduerbium affirmantis.* Verè, profectò. *Hiſp.* Si, En verdad. *num.*1170.

אנוש Enos, qui aliàs Enius: *num.*118. 124. 161.

אנשי—דשם Enoſæi nomine, *num.*126. Eſeni, Enoſeni: *num.*124. 126.

ארץ Aretſia. Tellus. *num.*182.

אש—אנוש Vir-Enoſis; Eſenus. *num.*124. 161. 274.

אשה Fœmina. *num.*172. ἑστία Veſta. *n.*172. & 182.

את—יהוה ipſum-Deum. Locus curioſè expoſitus *num.*118.

ב

ב eſt nota Ablatiui, ſed aliquando Accuſatiui; *num.*1107.

בוא Venire, *num.*1063.

ברך Benedicere, *num.*1073.

ברכה Benedictiones; Eſt nomen libri. *numero* 1129.

בתולה (Vetula) Virgo apta connubio. *numero* 205.

בתולים Virginitates, *num.*205.

ד

דיאנא Diana, *num.*204.

ה

הביא Adducere, *num.*1063.

הזק Roborare, *num.*1282.

הלולים Laudes, fructus commendabiles; *num.*1258.

הלל Laudare, *num.*1255. inſanire, *n.*1258.

הללויה Allelu-Ia. Laudate Deum; *num.*1255.

המעלות Adſcenſiones, Gradus. *n.*1281 d.

הנכה Dedicationis Templi Hieroſolymitani ſolemnitas, *num.*1192.

ז

זז Radix inuſitata, *num.*136.

זוזים Zvzitæ, *num.*127. 136.

זמזומים Zamzvmæi, Viri contemplatiui in veteri lege, *num.*127. & 133.

זמם verbum frequentatiuum à radice זמם contemplari, ſpeculari, meditari, *n.*133.

ח

חסד Eſſe miſericordem, *num.*138.

חסיא ὅσιος, Sanctus, *num* 161. 273.

חסידה Ciconia; eſt miſericordiæ ſymbolum; inde nomini occaſio. *num.*138.

חסידים Asidæi, Miſericordes, clementes; *num.*127. 138.

י

יה Vnum ex decem Dei nominibus, verbum abbreuiatum. *num.*1256.

יהוה Nomen tetragrammaton, vnde Gentiles duxerunt ſuum IOVEM, *num.*115. Reuelatio facta Euæ parienti Cainum, donata particulari illuſtratione, *num.*118.

יום כפרים Dies expiationum; Hebræis valde solemnis, *num.*1188.
יבך Gyrare, circumdare, *num.*1261. c.

כ

כסלו Kislev, nomen mensis nostro Nouembri respondentis, *num.*1192.
כפרים Expiationes, quæ solemniter fiebant apud Hebræos, *num.*118.
כרה Perfodere, *num.*219.

ל

לבן Lauari, dealbari, candescere: inde לבן Libanus, *num.*1168.
לך Vade, *item* Tibi. *num.*225.
לץ Derisor, *num.*150.

מ

מאזנים Bilances, *num.*219.
מזוזה Postis, Columna, *num.*136.
מן Ab: *est etiam nota comparationis*, Præ. *num.*1128.

נ

נזר Secernere, *num.*149.
נזרים Nazaræi, *num.*127.146.
ניסן Nisan, Hebræorum mensis respondens primo veri, *num.*1181.
נפילים Inclinati, Cadentes; Nephilimi, veteres religiosi, *num.*127.137.
נפל Cadere, *num.*137.

ס

סיון Sivan, mensis Hebræorum, qui correspondebat nostro Majo, *num.*1186.
סכות Tabernacula, Solemnitas tabernaculorum fuit valde celebris, in lege veteri, *num.*1190.

ע

עולה ἁλεία, Captura, *num.*204.
על Circum, circa, iuxta, *num.*1106.
עלה Ascensus, *num.*1281. d.
עצרת Cœtus, congregatio. Nomen Hebrææ festiuitatis, *num.*1191.
ער Ara nomen ciuitatis, *num.*132.

פ

פורים Sortes. Sortium dies celeber apud Hebræos, *num.*1193.
פורען Præfectus, Gubernator, *num.*115.
פירוע (vnde Gallis *Perruque*) Coma, cæsaries, *num.*155.
פלא Mirificare, *num.*149.
פלא | פלי Separari, *num.*137.
פנים Pan, veterum Deus, *num.*127.
פסח Pascha, Transitus, *num.*1184.
פרסות Sectiones libri; Capitula, *n.*1147.
פרע Cæsaries & libertas: vnde & coma libertatis symbolum, *num.*155.

צ

צבא Militari, *num.*311.
צדק Iustitia, *num.*219.

ק

קינים Cinæi, veteris legis religiosi, *numer.*111.127.139.
קינן Cainan, *num.*139.
קנים Cannæ, calami, *num.*112.
קנם Radix obsoleta, *num.*112.
קנמון Cinnamomum, *num.*112.
קרבן Gazophylacium, in quo res sacræ condebantur, *num.*1156.
קרבנא Chaldaica vox, idem significat quod קרבן, *num.*1156.
קרבן—אל Oblatio Dei, 149.

ר

ראש—השנה Ros-asana, Caput anni; Hebræorum solemnitas, *num.*1187.
רזק Nutrire, alere, *num.*1064.
רכבים Recabitæ, *n.*127.140.171.
רפא Mederi, *num.*134.
רפאים Raphaimi, erant religiosi in testamento veteri, *num.*127.134.
רק ῥᾳχὶ, disciplina, *num* 204.

ש

שבועות Festum hebdomadarum, *n.*1186.
שכם Ante auroram surgere, manicare, *Hisp.* Madrugar. *metaph.* Animari, *num.* 1222. *nominaliter* Cor, *num.*1222.
שכם—אחר vnanimiter, *num.*1222.
שם Nomen, Numen, 126.

ת

תרזק θρησκεία, Religio, alimentum, *num.* 1064.
תשרי Thisri Hebræorum mensis Septembri nostro correspondens, *num.*1181. 1187.

NOTA.

Multæ linguæ nonnullas litteras aliter in principio, aliter in medio, & aliter in fine figurant; vt videre est in Orientalibus; & in Arabicâ, Turcicâ & Persicâ præcipuè. Sed neque ab hac parallaxi est libera lingua Latina, nam stando Orthographiæ Italorum sanguis viuus Assyrij. *scribimus, non* sangvjs ujuvs Assyrij. *& tamen sunt eædem literæ. Hæc dixero, quoniam in linguâ Hebræâ* Caf, Mem, Nun, Fe, *&* Tsade *sunt biformes; aliter enim in principio vel medio, & aliter in fine formantur. videlicet*

	Ts.	P.	N.	M.	K.
extra finem sic ———	צ	פ	נ	מ	כ
in ipso fine sic ———	ץ	ף	ן	ם	ך

Initiales pro finalibus, aut contrà ponere, est maculare chartam. In editione Brugensi imitatus est manuscriptum Typographus, & nullum errorem commisit in hoc genere: at in Francofurtensi vix est littera Hebraica bene posita: similes pro similibus; initiales pro finalibus, &c. sumuntur. Typographus Venetus errores Francofurtensis Editionis reposuit, & nouos addidit; tanta enim Hebraicorum characterum laborauit penuria, vt in eadem dictione interdum literæ magnitudinum diuersarum misceantur. Ideò in hac Editione debuimus omnes voces Hebræas magna diligentia corrigere, ne eiusmodi sphalmatibus oculi Lectoris eruditi fallantur.

VOCES GRÆCÆ,
HEBRÆARVM PARALLELÆ,
Quarum vim, energiam, & etymon altiùs inueſtigaui.

A.

Ἀγάπη, *Charitas, dilectio, beneuolentia:* vnde ἀγάπας ποιεῖσθαι, *conuiuia pauperibus dare*; num. 323.
ἀγάπη ἀνυπόκριτος, *Charitas verax, non-hypocritica*, num. 323.
ἀιμὸς, *Æmæorum ſylua*, 131.
ἀίμων, *Æmæa Theologiæ peritus*, 131.
ἀκόλαστος, *Prodigus*, 151.
ἀκόλαστος γλῶσσα, *Lingua effrænis, verborum prodiga*. 151.
ἀλκιβιάδης *Platonis liber*. 1261. c.
ἁλεία, עולה, *Captura*. 204.
ἀλληλοῦ-Ια, *meliùs* ἀλληλεῦ-Ια *Allelu-Ia*; Iubilationis vox. *æquiualet huic*, LAVDATE DEVM. 1255.
ἁμαρτία, *Peccatum*. 1238.
ἄμεμπτος, *Decorus, irreprehenſibilis: fortè quia corporis venuſtas animi & morum elegantiam arguit*. 131.
ἀμεμφὴς, *inculpatus*. 131.
ἀμεμφία, *factum irreprehenſibile*. 131.
ἀμιωδικὸς, *Occurſu difficilis*. Hanc vocem aliqui Hebræam putant, & eſſe eandem cum אמים; alij Latinam exiſtimant, MENDICVMque à Græcis μιωδικὸν dici putant, & NON-MENDICANTEM ἀμιωδικὸν. Fortè ἀμιωδικὸς *occurſu difficilis* exponitur, quòd pauci ſint diuites: fortè idcirco Æmæi ἀμιωδικοὶ dicti, quia non erant mendicantes. 131.
ἀμμηστόβιος, *Agens Æmæam vitam*. 131.
ἀμύμων, *inculpatus*. 131.
ἀνὰ *ſuper*. 1144.
ἀναβαθμοὶ apud Dionem Coc. *Gemoniæ* ſunt: ſic vocabantur ſcalæ illæ Romanæ, ex quibus ſontes præcipitabantur. 1281. d.
ἀναβαθμὸς, *Aſcenſus ſeu deſcenſus*. 1281. d.
ἀναβασμὸς, *Aſcenſus ſeu deſcenſus*. 1281. d.
ἀναλόγιον *Pulpitum libri*, Hiſp. *el Faciſtol*. 1144.
ἀναλογίζομαι, *Diſputo*. 1144.
ἀναλόγιον *ſuggeſtum ex quo loquimur*. aliquando, *ſuggeſtum vbi ponitur liber qui legitur. ſed tunc debet ſcribi* ἀναλογεῖον. 1144.
ἀναχωρήτης *Anachorita*. 312.
ἀνεκχωρητὰ βιβλία, *Libri non euulgati*. 312.
ἀναχωρέω. *ſecedo*. 312.
ἀσιὰς, *Cithara antiquæ forma*. 139.
ἀσιάτις, *Cithara*. 139.
ἄσιδης, *Aſidæus, inermis*. 139.
ἀσύνδικος, *Aſidæus, incognitus*. 139.
ἀσωλίας, *Aſidæus, Cœlebs*. 139.
ἀσωλία *Paulo eſt intemperantia*. 150.

B.

Βιβλία ἀνεκχωρητὰ, *Libri nondum impreſſi*. 312.
Βίος, *vita*. 307. 319.

Γ.

Γλῶσσα ἀκόλαστος, *Lingua intemperans, effrænis, prodiga*. 151.
Γνήσιον, *verum*. 323.

E.

Ἔξοδον, *Exitus, exodus*. 1191.
ἐπαγγελία, *fidelitas*. 247.
ἐρημιτὴς, *Eremita*. 313.
ἑσία, *Heſta, Veſta, Ignis*. 172. 182.
ἐυλογία *vocabatur panis benedictus & non conſecratus in primitiua Eccleſia*. 1156.
εὐχὴ, ἑῆ, τὸ. *Promiſſio, votum*. 136.

Z.

Ζωσαὰσια, *Domus ramoſa*, 136.
Ζώσιμος, *vitalis*, 136.
Ζῶσις, *veſtis præcincta*. 136.
Ζῶσμα *Cingulum*. Omnia ſic dicta à זוזים Zuzæis, quibus erant in vſu. 136.

H.

Ἡμίνα. *Eſt quædam rerum liquidarum menſura. Illa vtitur S. Benedictus* cap 40. *quod de menſura potûs eſt. Vocem explico* num. 1617. *& iterum in Nomenclatore Benedictino: vbi de eius quantitate & accentu.*

Θ.

Θεὸς *pro* θεῖος. Locus Cyrilli reſtitutus, 125.
Θεραπεία, *Cultus, obſeruantia*. 134.
Θεράπευμα, *Medicina, cultus, religio*. 134.
Θεραπευσία, *Cultus, medicina*. 134.
Θεραπευτὴς, *Cultor, religioſus*. 134.
Θεραπευτὴς, *Therapeuta, monachus*. 134.
Θρησκεία, *Religio*, Hebraicè תרזק. 1064. 1065.
Θρησκεύω, *Colo, video, celebro*. 1064.

K.

Κατασρωιάζω, *Luxuriari*. 247.
Κατασρωιάω, *Immodeſtè agere*. 247.
Κοινοβίτης, *Cœnobita, Monaſterialis, Monachus*;

chus; melius Κοινόβιον. 307.
Κοινὸς, Communis. 307.
Κούρατες Curatores, Hisp. Curas. 134.
Κύριος, Dominus. 1234.

Λ.

Λέγω, Lego. 1144.
Λόγος, Verbum. 1650.

M.

Μὴν, Mensis. 1182.
Μήνη, Luna, defectus seu lunatio. 1182.
Μοναδικὸς, Monachus, solitarius. 110.
Μοναζων, seu Μονόζωνος, simpliciter cinctus, vnâ veste contentus, religiosus. 110.
Μονὰς, Vnitas: est & nomen Dei. 110.
Μοναστὴς, vnde Μοναστήριον. 110.
Μοναχὸς, qui μοναχὸς, solus. 100. dicitur aut à voce μονὰς, 110. aut à יחיד. 112.
Μονήρης, solitarius. 110.

N.

Νεομηνία, Nouilunium, Kalendæ. 1182.
Νέος, Nouus. 1182.
Νεφέλη, Rete tam auium quam piscium. 137. item, nubes. 137.
Νεφελησὸν, Nubis in modum. 137.
Νεφέλιον, Nubecula. 137.
Νέφος, Nubes. 137.
Νεωφύλαξ, Sacerdos, aedituus. 137.

O.

Οἶνος, Vinum 151.
Ὅσιος חסיד Sanctus. 161, 273.
ὁσιότης, sanctitas. 273.
ὀφείλημα, Debitum. 1238.

Π.

Πεπληροφορημένως, melius verò πεπληροφορημένως, Plenissimè, abundè; Hebraicè אמן Amen, verè, profectò. 1170.
Περιφορὰ, Circumlatio. 1261. c.

P.

Ῥαπικὸν, vide ξωπικὸν. 134.
ῥαχὴ, רק, Disciplina. 204.
ῥαφαΐσειν, Raphaïmari, fieri Raphaïmum. 134.
ῥιπίζω, Accendo. 134.
ῥυφὸν, incuruum Æolicè 134.
ῥῶπες, syluestres plantæ. 134.
ῥωπικὸν, idem quod ῥαπικὸν, res magni precij. 134.

Σ.

Σαραϊτὴς, Sarabaita. 319.
Σάτυρος, ὁ. Libidinosus. 319.
Σεμνεῖα. Monasteria. 307.
Στρωμνάω, immodestè ago. 247.
Στύλος, Columna. 118.

Φ.

Φίλιππε, ἄνθρωπος εἶ. Philippe, homo es. 328.
φιλόξενος, Hospitalis, pauperum amator, 1478. 1664. 1667.

FINIS.

INDEX

Rerum omnium & Verborum notabilium quæ hoc Volumine continentur.

Prior littera p. Paginam ; posterior n. Numerum marginalem designat.

A

Abaylardus.

PETRVS Abaylardus qualis, p.40

Abbas.

Abbas vnde dicatur, p.76. n.69

An indoctus possit promoueri in Abbatem, p.76. n.69

Abbatis duplex auctoritas, p.235.n.691

Abbatis excessus an possint & debeant corrigere Monachi, p.234.n.691

An Abbas possit iubere contra Regulam, p.78.n.80

Abbatem triennalem esse an perpetuum vtrum præstet, p.482.n.1591. & seqq.

Abbas potest mutare ordinem Psalmorum, Canticorum, &c. p. 402. n.1302. & hæc auctoritas limitari non potest, n.1305

Abbate defuncto penes quem remaneat auctoritas, p.513.& seqq.

Abbas an teneatur seruare sua præcepta, p.251.n.754. quæ præcepta obligent Abbatem, ibid.

An possit secum dispensare, ibid.

An aliquando etiam sub mortali, p.252.n.7547

Dispensare an secum possit Abbas, p.251.n.754

Abbates Abbatum Patres quinam, p.255.n.763

Actus internos an Abbas possit præcipere ; p.244. n.726

Abbas an eligatur à pluribus, p.188.n.492

Abbas in approbatione Nouitij habet potiorem partem, p.188.n. 496. quid hoc casu possit & debeat, n.492.491. & seqq.

Abbas an Regulam obseruare teneatur: p. 252. n.754

An Abbas-Pater possit præcipere Monachis Filiationis, p.255.n.763

Abbatis potestas duplex. p.255.n.1569.

Abbas an dominus bonorum Monasterij, p. 272. n.830

Abbatum mores an reformandi. p.2.n.5

Abbatum scientia debet esse practica; p.2.n.8

Abbatis mensa; p.556.& 557

Abbas Superior quid præcipere possit, p. 255. n.766

An Abbas præcipere possit summè ardua, p.248. n.745. & hoc casu quid agere debeat Religiosus, ibid.n.747

Abbates an possint benedicere & consecrare, p.505. n.1567. & seqq.

An concedere indulgentias, p.506. & vnde. ibid. n.1568

Quis in Abbatem debeat eligi, p.474. n. 1429. & seqq.

Qualis esse debeat Abbas, p.476

Origo auctoritatis Abbatialis, p.254.n.761

Abbas delirus an possit subditos obstringere moraliter, ibid.

Abbatiam emere an simonia, p.481

Abbatissa.

Abbatissa quomodo possit iubere in virtute sanctæ obedientiæ, p.170.n.436

Abbatissa potest vestire in suo Monasterio Moniales, Conuersos, & Fratres Laicos, pag.169. n.433

In quibusnam rebus debeant obedire Abbatissæ Moniales, p.170.n.437

Vota in manibus solius Abbatissæ emissa sunt tantum simplicia, p.169.n.435

Ex vi solennis voti nullus Religiosus aut Religiosa tenetur obedire Abbatissæ, p.170.n.435

Abbatissa nullius Religiosi aut Religiosæ Professionem solennem potest admittere, p.169.n.434

Ablutio.

Ablutiones Ethnicorum, p.103.n.185

Abnegatio.

Abnegatio quid & quotuplex. p.124.n.258. & 259

Abnegatio propriæ voluntatis, p.230.n.678

Abstinentia.

Abstinentiæ quando bonæ, p.535

Abusus.

An Abbas possit contra Abusus præcipere, p.248. n.744

Acceptatio.

Acceptatio legum quæ esse debeat; pag. 69. n.48

An subditi possint non acceptare legem iustam; p.69.n.49

Acceptatione an egeant leges Pontificis & Principum sæcularium, p.271.n.828

Vnde cognosci possit an acceptatæ, ibid.

Acceptatione an egeant Præcepta Abbatis, p.248. n.741

Acceptatio dubia. p.69.n.42

Acceptio.

Acceptio personarum damnata, p.16.n.78

Index Rerum omnium

Acroasis.

Acroases mirabiles Philosophiam suam Aristoteles nuncupauit. p.36

Actus.

Actus idem numero an meritorius & demeritorius esse possit. p.226.n.668

Actus idem potest esse mortale & veniale peccatum in diuersis generibus. p.66.n.43

An idem Actus numero possit esse grauiter & leuiter peccaminosus, p.80.n.88

Actuum humanorum diuisio, p.65.n.38

Discrimen inter Actum & habitum, p.36

Per vnicum actum peccare quis potest & gratiam mereri, p.234

An dentur Actus intrinsecè mali, p.58.n.19

Actus præceptus non intensio eiusdem, p.43

Actus externi secreti an Ecclesiæ iudicio subsint, p.65.n.39

Adamus.

Adamus an Monachus, p.88.n.121

Administer.

Administri Monasterij an mensas habere possint proprias, p.278.n.873

Adulterium.

Adulterium quid sit, p.21.n.107

An duplex an simplex in confessione exponendum, p.22.n.110

Adultus.

Adulti pœnâ sensus & damni plectuntur. p.46

Albericus.

B. Alberico Deipara cucullam candidam concessit, p.156.n.377

Æger.

Ager an peccet qui se exponit periculo, p.67.n.44

AEgrotis inseruiendo nemo dedecus accipit, p.163. n.400

Ægyptus, Ægyptius,

AEgypti eremi Monasteriis plenæ, p.136.n.300

AEgyptiæ columnæ, p.89.n.123

Obseruationes syderum AEgyptiorum, ibid.

Æmæi.

AEmæi, Religiosi, p.90.n.128. Vnde dicti, ibid. Conuentuales dicuntur, ibid. Et n.129. Vbi resederint, p.91.n.132

Æmulatio.

AEmulatio quid & an licita, p.644.n.1878

Æqualitas.

AEqualitas interdum summa iniquitas, pag.536. n.1619

Æstas.

AEstate horæ quomodo diuidendæ. p.342.n.1125

Æternitas.

AEternitas causa gaudij & mœroris, p.42

Affectio.

Affectio pia quid, p.663.n.1894

Agamemnon.

Agamemnon quis, p.107.n.204

Agapæ.

Agapæ quid sint, p.335.n.1155

Alaricus.

Alaricus Arianus Catholicos veneratur, p.612.n.1821

Alexandrinus.

Alexandrina Ecclesia à D.Marco instituta, pag.128. n.270

Alleluia.

Alleluia cur tribuatur Psalmo L. p.371.n.1218

Huius vocis significatio, p.381. n.12555.& seqq.

Ieiunij tempore cur non cantetur Alleluia, p.382. n.1257

A Septuagesima cur non dicatur Alleluia, pag.383 n.1259

Alienare.

Alienare bona Deo data an possit Pontifex, p.270 n.827

Amare, Amor,

An Amare Deum supra omnia in primo rationis instanti teneamur, p.663.& 664

An actus Amoris Dei possit esse ob finem leuiter malum, p.226.n.668

Amans amenti similis, p.42

Amen.

Amen quid significet, p.358.n.1170

Amortizatio.

In Amortizatione an locum habeat præscriptio, p.271.n.828. An obliget. p.272

Amortizatio quid, p.267.n.823

Anachoreta.

Anachoreta vnde dictus, p.141.n.312

Anachoretæ à Monachis differunt, p.134.n.194

Analogium.

Analogium quid, p.333.n.1103

Analogium quid, p.359.n.1144

Ananias.

Ananias & Sapphira in votum paupertatis peccauerunt, p.125.n.262.& 263

An per actum contritionis ad gratiam redierint, p.126.n.267

An S. Petrus in Ananiam & Sapphiram crudelis, p.126.n.264

Anathema,

Anathema quid sit, p.376.n.1233

Angelus

Angeli an adorandi, p.325.n.1072

Angeli milites cur, p.141.n.309

Angeli an capaces dominij, p.267.n.821

An Angeli dent auxilia, p.54

Quasnam gratias ab Angelis accipiamus, p.55

Angeli an specie distincti omnes, p.232.n.690

Angeli an pro nobis orent. p.365.n.1200

Angelorum locutio, p.45

Anicius.

Aniciæ domus antiquitas, p.488.n.5011

Anima.

SYntheses hæ respondent Theologiæ Fundamentalis Editioni Romanæ, in quâ paucula nonnihil strictiùs ponuntur; quia sic iudicarunt Viri doctissimi quibus Sanctissimus Dominus noster illius Libri reuisionem commisit. Ergo illorum etiam præclaris nominibus has ipsas Syntheses certiores & probabiliores reddamus. Fuerunt igitur.

Eminentissimus & Reuerendissim. Princeps Franciſus Maria, S.R.E. Cardinalis Brancaccius, Epiſ. Viterbienſis, &c. qui in examine, quod ex more fit coram ſummo Pontifice, me honorauit argumento doctiſſimo; & conſecrauit in Epiſcopum poſteà, vt fauores fauoribus accumularet. In hoc ſummo Principe nobiliſſimas Charites Natura & Gratia liberaliſſimâ manu profundunt: eius Pietatem & doctrinam veneratur Europa: nec eſt, cur vlteriùs diffundar, quia Oracula non egent Patrono.

Reuerendiſſimus D. Hilarion Rancati, Ordinis Ciſtercienſis, S. Crucis Abbas, Theologorum Salmanticenſium gloria, Orientalium linguarum peritiſſimus.

Reuerendiſſimus P. Hyacinthus Libelli, Prædicatorij Ordinis Prouincialis, & Congregationis Indicis ſecretarius. Theologiam Romæ cum magno applauſu docuit: & ſuis ſubtiliſſimis ſpeculationibus aliquos dilucidat locos noſtræ Theologiæ Fundamentalis.

Reuerendiſſimus P. Michael Alcantara, Ordinis B. Mariæ de Mercede Commiſſarius Generalis, &c. fuit ſanctiſſimus & doctiſſimus Vir: at neque in Fundamentis, nec in Opinionibus conueniebamus. Scripſit Tractatum ſatis magnum contra noſtram Theologiam Fundamentalem, in quo vix relinquit paucas concluſiones intactas. Fuit optimus amicus meus, nam Amicitia non cõſiſtit in vniformitate intellectuum, ſed in voluntatum concordiâ. Rogatus à me, cur inter paucas meas Reſolutiones, hanc *Peccata contra naturam ſunt eiuſdem infimæ ſpeciei*, non impugnaſſet? ſe illam ſemper iudicauiſſe ita manifeſtam & claram, vt contra obloqui aliqui ſoleant, at nullus doctè argumentari, reſpondit.

Illuſtriſſimus D. Epiſcopus Auguſtinus de Bellis, Clericus Regularis. Habebat hic ingenium meo ſimillimum, & antequam me cognoſceret, Theologiam Fundamentalem propugnandam aſſumpſit: & multa ſcripſit Alcantaræ Tractatum refutando. [Præcipuas Obiectiones & Reſponſiones habet Theologia Fundamentalis propriis locis.] Amaui piiſſimum & doctiſſimum virum, dum viueret: & eius memoriam cum ſolamine recolo. Scripſit duos Tractatus, dum eſſem Romæ, ALTERVM, *de Donationibus*, in quo eſſe abſolutas contendit, cùm tamen alij iudicent eſſe conditionatas. ALTERVM, *de intentione Miniſtri*, in quo contra communem conatur oſtendere Miniſtrum quà talem ſemper habere intentionem Eccleſiæ, nec referre, ſi quà Petrus aut Paulus eſt, habeat contrariam: quæ ſententia fundatur verbis Concilij Tridentini *ſeſſ. 7. can.* 11. & *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. dicentis, *ſiquis dixerit in Miniſtris dum Sacramenta conficiunt, aut conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit.* cui conſonat Florentinum *in Decreto Fidei.* Et ratio erat, quia ad valorem Sacramentum requiritur & ſufficit intentio proferendi verba legitima ſuper materiam legitimam provt iubet Eccleſia, quod etiam aſſeruit Catherinus,

therinus,& videbatur esse communis illo æuo; cui fauet Paludanus *in 4. dist. 6. quæst. 2. art. 3.* & Syluester *verb. Baptismus 3. quæst. 12.* Illam obliteratam restituit Ioannes Marius, Doctor Gallus, *in summ. Theol. disp. 1. de sacram. quæst. 6. & 7.* qui ait, ad Sacramentorum valorem sufficere intentionem faciendi actum externum, hoc est proferendi verba legitima eo modo, quo Ecclesia iubet, & eius Ministri solent facere, quantumuis Minister hic interiùs habeat intentionem illudendi, & non conficiendi sacramenta. Si hæc Opinio esset vera, multi tollerentur scrupuli: at illam Leander *tom. 1. disp. 4. quæst. 12.* improbabilem iudicare videtur, nam oppositam dicit esse certissimam. Desiderarem igitur, vt qui hos Tractatus haberet; videri & examinari permitteret, si fortè rationes præseferunt, quæ sufficiant ad securitatem.

Hi sunt Theologi, qui Syntheses approbarunt: sed quia toto est mundo celeber Reuerendiss. D. Antonius Diana, intimus meus Dominus & Amicus, proderit legere eiusdem Iudicium Epistolâ sequenti expressum.

Ruerendißimo D.D. Ioanni Caramuel Lobkovvitz Abbati Melrosensi Cistercienſis Ordinis per Angliam Hiberniam, & Scotiam Progenerali.

Louanium.

REuerendissime Pater. Peruenit his diebus ad manus meas Commentarius tuus in Regulã D. Benedicti, & laudes quibus in illo nomẽ meũ cõdecorasti, tãquam effectus benignitatis tuæ cognosco, ideóq; tibi nunc debitas persoluo gratias. Existimo tamen Opera nostra à te perlecta fuisse Cõspicillo Galilæi, quod res paruas magnas efficit, & ostendit. Fateor ingenuè, labores meos Pygmæos esse, Gigantes tuos. Deus bone, in hoc tuo Cõmentario quam omnia viuida, quàm acuta, & quod magis est, quàm solida: Verè in ipso, non solũ Moralis, & Scholasticæ Theologiæ, sed etiam recõditæ eruditionis, & Politioris literaturæ peritissimũ posteritati te præbes. Perge, perge incœptũ iter, & cũ nobis, vt ait Plinius, denegetur diu viuere, relinquamus aliquid, quod nos vixisse testetur. Hoc tu vsq; adhuc egregiè effecisti, fac etiam, me impellente, & in posterum, atq; ex Ærario tuæ doctrinæ ditissimo, aliquid noui semper refera, vndè dites Ingenia opulentiora. Quid agit lumen Hispaniæ, & ornamentum Ordinis tui, sapientissimus Manrique? Eius Annales, opus absolutissimũ ingenti cum voluptate euolui nouissimè, stimula illum per Epistolã vt Theologica sua Æternitati cõmendet. Viuitne Puteanus? & si viuit viuat Nestorios Annos, vt pariat felices ingenij sui fœtus. Saluto & alios viros conspicuos, qui in his partibus florent, & nominatim Professores Regios Louanienses, & Patres Societatis Iesu in tuo indice Synthesium subscriptos. Meditor copiosam tractationẽ, an Principes possint statuere impedimenta matrimonij dirimẽtia. Rubadeus Gallus, notat Doctores Louanienses aduersus Parlamentum Parisiense pro simili controuersia scripsisse; vsque adhuc libellum inuenire non potui; si tu Louanij, vt spero, inuenias, precor vt quantocius mihi mittas, impositumque grauamen condona. Tu interim, vale vir doctissime, & tui obsequentissimum redama. Romæ in Ædibus S. Siluestri montis Quirinalis die primo Nouembris 1642.

Reuerendißimæ D. T.

Addictißimus seruus

D. ANTONIVS DIANA Clericus Regularis.

Reuerendißimo & doctißimo Viro, Antonio Diana S. Inquisitionis Consultori, &c. S. P. D.

Romam.

EXimie & sapiẽtissime Vir. Quotiescumque honorifica tui nominis in Operibus meis mentio facta, processum non ex affectu, sed ex mente. Virum non cognoscebã, sed admirabar; Te vnũ legendum consulebam discipulis, Te vnum spiritualibus filiis, Te vnum amicis, vtpotè formãdis cõsciẽtiis generosis aptum. Locutus sum de te, scripsi, edidi plurima ab adulationis & passionis suspicione alienus; sed iã quid faciam? quem legebã, diligo; quem venerabar, peramo. Honoratus tuis literis subornatũ me fateor, aucto tamen amore, tui nominis

autho

De Telescopio Galilæi.

authoritas apud me nõ creuit, peruenerat enim ad terminũ supremũ, vltra quẽ ascẽdi non potest. Galilæi Cõspicillo legendis cælis tabulis vtor, in quibus multa noua reperi, multa interlegi, & nõnulla descripsi; fractũ enim sublimiori cõtemplatione spiritũ hæc etiam floridiora studia nonnunquã recreant, vacillantem firmant, & periclitantem restaurant. Sed esto libros tuos Galilæi telescopio perlegerim; quid inde? nil quidem aliud, quam tui nominis sublimior exaltatio. Oculo artificiali Galilæi non nisi cœlestia leguntur; ergo si tali vtor, cùm tuas lucubrationes lego, vel obscurè profiteor, tuos libros cœlestes, literas sydera, & te intelligentiam, tot cœlorũ præsidem, quot voluminum moderatricem. Ingeniũ tuũ tametsi longè diffitum magnũ apparet oculis armatis perspicillo; nõ quod illud res paruas magnas efficiat, vt modestia tua asserit, sed quod rebus magnis, quã distãtia suffuratur magnitudinẽ vel ex parte restituat, minorẽ tamẽ. Vera. Solis diameter multas pedum myriades complectitur, & pedalis apparet, cùm illũ decem pedes transpicilli ministerio extẽdimus, nõ videmus maiorem, quàm est, sed millenis vicibus minorem. Non aliter de te moraliũ literarũ Sole philosophabor. Distãtia in causa, vt licèt maximus, vulgo hominũ æqualis esse Doctoribus aliis appareas; Te incepi contemplari armatus telescopio, quod sinceræ literæ subministrarũt: maior mihi videris quàm vulgo, maior doctis quàm imperitis, maior hodie quàm sub initium; sed licèt plus in te cognoscamus, detegamus & suspiciamus, quò vberiùs resolutionibus tuis fruimur, ex vngue tamẽ leonem, ex decempedali radio immensam Solis magnitudinem, & veteris Romæ pulchritudinẽ ex paucis marmoribus ad nos translatis ingeniosè rimamur.

Representat obiecta maiora, quàm nudis oculis videri solẽt, at multò minora, quàm sunt.

2097 Quantus Reuerendissimus D. Angelus Manrique fuerit?

Manriquũ nostrũ tibi esse Hispaniæ lumen, & mei ordinis ornamẽtum gaudeo; cõmunem enim sentẽtiã sequeris. Sic ad vnũ amici & inimici. Re & nomine Angelus; quãtus in scholasticis sit demõstrat academica dignitas. Cathedræ primariæ emeritus professor est; ad hanc, & alias prius promotus, non Principum fauore, sed sapientum iudicio. Quantus in scriptura, libri editi concionatorij. Alij conciones publicant, quibus plausibiliter vtuntur oratores neologi: at inter alios Manriqui libros Laurea Euangelica magnâ cum laude authoris, inutilis iudicabatur. Nemo auderet vel vnam inde lineam excerpere: nemo vel vnam periodum declamare: nam impunè non faceret; placuerat liber ille omnibus, sciebatur memoriter ab vniuersis; ideoque vix possibile vel vnam declamari lineam, quin furtum ab auditoribus incusaretur. Artes curiosæ, si viros illustres non constituunt, exornant. Poëseos & Rhetorices notitia sublimiore præditus; ligatâ oratione animos miseriis illigatos soluit; solutâ, dissolutos alligat rationis regulis. Vt posteritas quantus in Architectonicis fuerit, cognosceret; erexit crucem Architectis. Gradus Salmanticensis Collegij subintelligo, pulchrè diuites, & securissimè periculosos. Cochlea optimè elaborata saxa intorquet; aëre vacuo immensam molem appendere conspicimus; sed si miraculum perpendimus, reperimus illam, quanta est, Manriqui artificis ingenio subcollari. Sed, quia huius Angeli authoritas nota est omnibus, nec verbum addam.

Laurea Euãgelica, ideò inutilis, quia fuit optimus liber. Ille in omnium Artiũ genere excelluit.

Fuit tandem Episcopus Pacis-Iuliæ: vulgo de *Badaxos*.

2098 Michaël Ferro Manrique in Dianam audet.

Sed quoniã de Mãriquo agimus, de alio neoterico ipsi cognomine vel verbulũ subiungendũ est. Manriquum contra Dianã scripsisse, librũ in Galliis imprimi, ab omnibus desiderari, vulgus vociferabatur imperitũ. Mirabãtur doctiores, & mirabar: illi propter cõmunes, ego propter rationes peculiares. Cõtra homines de Ecclesia benè meritos impunè inuectiuas scribere solis hęreticis cõcessũ est: ideò vix nullus suadere sibi poterat Virũ Eximiũ, cathedræ primariæ in Academiâ principe moderatorẽ, talẽ errorẽ cõmisisse: quorum sententiã ego à dotibus, quas in Mãriquo suspicio, confirmabam. Pientissimus, vrbanissimus, & studiosissimus virtutis est: illosq; tyrannicos iuniorum laqueos, quibus imperitorum cõscientias implicãt, vt insolentiùs dominentur, mordicus detestatur. Hærebamus, inquã, distracti parturientium mẽtium strepitu: & abortus paruiculus mus. Michaël Ferro Mãrique, nõ solùm tui, sed & Prisciani infensissimus hostis. Indiguit Dianæ inimicitia, vt nomen haberet, qui aliter cognosci non poterat; sed non est idẽ habere bonum nomen, quod magnum. Pro Prisciano, ab eo singulis ferè lineis transfosso, scribant syntaxiani; nemo, me consule, pro Diana scripserit; discat Ferrus Grãmaticam, & si natura ingenio faueat, & studium non desit, post decẽ vel duodecim annos scribet, quæ sint digna adsensu vel dissẽsu.

Ita ignorat Grãmaticã, vt omnes nominum declinationes, & verborum coniugationes, totãque syntaxim inuertat.

An

An Puteanus noster viuat, inquiris, sed cur? mori non potest, qui æternus; & æternitatem ille dudum adeptus. Orbem libris, academiam nostram suâ præsentiâ nobilitat vir verè magnus; sexagesimum-septimum agit annum, adhuc robustus & vegetus; omnium suorum Operum exornat editionem, vt quæ seorsim leguntur, possint simul in paucis voluminibus haberi; hortamur vt festinet, sed indigent suo quoque tempore res magnæ. Quos valere iubes Professores Regij Eximij sunt, & omnes Vniuersitati necessarij: tantî, qui sine discipulorum iacturâ ad altiora promoueri, & sine meritorum iniuriâ intermitti non possint.

Erycius Puteanus laudatur.

Professores societatis laudati.

Reuerendi Patres Adrianus Crommius, Ioannes & Ionghe, Ignatius der-kennis, quos saluere desideras, moribus & ingenio potentes, vitâ & doctrinâ hanc prouinciam illustrant, à paucis mensibus illis adnumerati Ludouicus de Scildere & Franciscus de Cleyn, præditi acri ingenio & florido, digni qui à Te etiam amentur, colantur, suspiciantur.

Bernardus Campmans, Abbas.

Sed quia magnas mentes internoscere ambis, te Dunensium meorum nomine saluere iubeo. Antistat D. Bernardus Campmans Vir verè multis titulis magnus & illustris. Summis laboribus pro Republicâ & Ordine fractus agit felicem senectam inter filios, delicium singulorum. Eius vices gerit D. Bernardus Bottynus Cœnobij Prior, summi ingenij Vir, olim Philosophiæ Professor. Theologiam profitetur. D. Leander vender Bandt, cuius ingenio linguæ & calamo summam authoritatem debes, Ioannem Bargantinum à me Hispanè editum, in idioma Latinum ita transtulit, vt cùm meos ipsos conceptus tanto donatos splendore conspicio, memetipsum admirer, & vix credam me potuisse tantæ eloquentiæ, vel leuem occasionem dare. Prodibunt post aliquot menses ipsius *Epistolæ morales*, in quibus multa acutè proposita, & solidè resoluta reperies.

Bernardus Bottyn Prior, qui posteà in Abbatiâ successit.

Leander van der Bandt, Lector.

2099 Hodie 22. Innij ann. 1663. ætatis meæ 57. surrexi horâ tertiâ post mediam noctem; & obseruato naturali ieiunio, post 18. horas studij, (Missam legere & horas recitare, etiâ est studere) surgo ad cœnam; nõ quia sum lassus, sed quia vocor. Ago immortales gratias Deo, qui tam robustam valetudinem mihi concedere dignatus fuit.

Vt aliquid faciam, quod me vixisse testetur, hortaris. Affectui & promouendarum litterarum amori gratias ago. Sed quid te impellente facturus sim, sincerè loquor, non reperio. Non sum ex eorum numero, qui nati docti, libris non indigent, nec lectione proficiunt. Libris diu noctuque insisto & posteà multa ignoro. Gratiasque ago Omnipotenti Deo, quòd meis æmulis tam acre induserit ingenium, vt conuiuiis & floridiori relaxationi studentes sciant euidenter Caramuelum declinasse ab omni probabilitate. Hæc est miseria nostri æui. Iudicaturiunt studiosos otiosi, academicis laboribus exercitos tyrones, & modestos homines Sardanapali. Interim, quia sic iubes, adhuc diligentiùs in posterum Theologicis rebus vacabo.

Posse Ecclesiam ponere impedimenta matrimonij extra dubiũ est. Posse & Principes supremos in suis terris, nisi oppositũ Ecclesia illis præcipiat, docẽt Victoria, vterque Sotus, omnes tres Ledesmæ, Bellarminus, Angles, Henriq. Sanchez, Ægidius, Valẽtiâ, Rebellus, Cornejus, Ochagauia, Moure, Luysius, quorum sententiam probabilem iudicãt Leander, & alij qui oppositã tenent.

Moralem Theologiam scripsi, nunc relego & exorno, cuius intentum omnes difficultates reducere ad prima eaque naturalia principia; coalescit ex quæstionibus curiosis, iudicio veterum & iuniorum firmatis,

Commentarium Francofurtenses reducere desiderant, auctiorem & locupletiorem illis dabimus.

Liber de præcepto & dispensatione à D. Bernardo compositus, & à me dilucidatus impræsentiarum hic Louanij apud Euerardum de VVitte imprimitur, quem vt spero, non contemnes ratione Authoris.

Resolutionum præcipuarum librum apparo, in quo variæ, eæque difficiles controuersiæ deciduntur, casibus propositis extraordinariis & variis pro opportunitate temporum & consultorum.

Sed quia Scholasticam Theologiam profiteor; insudo Cursui Theologico iuxta Bernardi mentem claram & facilem; qui multa volumina complectitur, & debet prodire per partes.

De impedimentis Matrimonij aliqua scripsi, dictaui, & publicè defendi; nihil edidi. In similibus materiis à tuâ sententiâ abeo; cùm igitur de immunitate Ecclesiasticâ totus pro clero, & Pontifice multa pulcherrima edidisti, quæ sæcularibus non placent. Ego meis insisto principiis, nec facilis sum in concedendo Pontifici, quæ iudico Regi deberi. Impedimenta varia sunt, & possunt diuersimodè considerari; quæ occurrerunt tumultuario calamo scripta, & potiùs congesta quam digesta transmitto. In variis occasionibus Doctores nostri de hac materia consulti, sibi semper similes creduntur prudenter respondisse: sed quia celebrior de matrimonio Gastonis, Francisci Delphini consultatio, videntur illam Galli impugnare, illam tu quærere. Habeo quidem inter alias chartas; sed quia librorum in albis

& MSS. chaos examinare debeo, vt inueniam, eam per alium veredarium transmitam. Vale Vir doctissime, in sacrificiis memor Tui

IOANNIS CARAMVEL

Louanij 4. Eid. Decemb. M.DC.XLII.

D. FRANCISCO PENNEMAM SVO.

S. P. *Brugas*

2100 INTER Multos Discipulos, quorum olim mihi formatio, & promotio hodie magnis curis stat, pauci respondent debito; sed Te inter paucos video ingratitudinis notam diligenter effugere, & cùm possis Magistrum, velle apud Me non nisi discipulum agere. Sed & hoc ipsum laudo; oportet enim colere, per quos profecimus; & Ego in hac materia amicorum sententia nimius sum, multum enim illis defero, à quibus habeo quòd nihil eis deferre possim.

Erat hic Titius, vt vidimus posteà, Cornelij Iãsenij discipulus, hæresi Iansenianâ tinctus, quæ omnem probabilitatem exsecratur: nam cùm dicant Iansenistæ Deum impossibilia de facto iubere, consequenter affirmant, iubere, vt homo supra intellectûs vires intelligat, & supra voluntatis vires diligat: adeoque neminẽ apud Deum ignorantiâ, inuincibili, aut auxilij sufficientis carentiâ excusari: ergo nec opinione probabili, cuius honestas in ignorantiâ inuincibili fundadari debet. De Eminentissimorum DD. Cardinalium Declarationibus in hac Epistolâ non egi: quoniam illæ præcisæ à Pontificis authoritate pendent ab illorum doctrinâ: at quando confirmantur à Papâ, iam sũt Apostolicæ, & habendæ in illo certitudinis gradu, quo Papa iusserit.

Titio, viro apud Benedictinos Gallos authoritatis eminentis, ita displicuisse istas Syntheses, tametsi viginti aut plures Magni subscripserint, vt in illas sæuierit censuram crudelem euulgando: non miror, semper enim ignorantia est imprudens & audax. Noctua etiam, non infimæ magnitudinis inter aues, conquesta olim in volucrum comitiis fuit, quòd Sol esset nimis caliginosus, nec tamen lego Solem euulgasse pro lucis thesauris apologiam, sed irrisisse cæcutientis calumniam, communi omnium suffragio & applausu contentum. Sol, mi Franciscе, est veritas, nec minùs clarus ille quod in eum blasphemias noctua euomat; nec minùs certa ista, quòd in ipsam ignorantia præsumat. Hæc cum omni moderatione sint dicta; sed quoniam Veritati, & eximiis hominibus pro ea stantibus quibus hæ stupidæ insidiæ parantur, est fauendum, vrbanè, fortiter tamen vrgenda. Sic discurro.

Has omnes & singulas Syntheses esse probabiles dixi, & dico; negat ille, improbabiles, laxas, pernitiosas, scandalosas, (cur non etiam hæreticas?) affirmat. Furit, an docet? læuit an censet? Ipse loquitur, & in hoc nec à psittaco differt; at ego Soles reipublicæ litterariæ propugno, & meum Assumptum sic demonstro *Quæcumque opinio habet viginti Authores pro se, est omninò probabilis. Nulla est in Syntheſibus, quæ plures non habeat. Ergo nulla, quæ verè probabilis non sit.* Quid tuus ad istum syllogismum Titius? Si neget formam, ostendet se ignorare Dialecticam. Si maiorem, se moralem Theologiam ne quidem à longè salutasse; ad probabilitatem enim non iam viginti; sed etiam multò pauciores in omnium opinione sufficiunt. Si minorem, se non scire legere, ibi enim prostant Subscriptiones superstitum Virorum, quibus maiores hodie in Orbe Christiano non dabit. Ergo quidquid ad syllogismum illum dicat, erit Noctua Solem incusans, quòd audiat lucidus, cùm tamen tenebrosus sit. Sed hæc de illo sufficiant, cuius nomini parcere volui, tametsi non pepercerit meo; quia demonstrationes dedignantur cum stupida ignorantia confligere. Nos igitur, qui nolumus ita loqui, vt non possimus apud doctos non vocari ignorantes, Theses illas relegimus, & illis istas etiam subiicimus.

Prima. *Quicumque opinionem, quam specialiter consulti, viginti illustriores illustriorum Vniuersitatum Theologi probabilem iudicant, iis non obstantibus improbabilem dicit, ostendit se quid probabilitas sit, ignorare.* Patet, quia nemo doctus est, qui neget opinionem octo aut decem Authorum debere vocari probabilem.

Secunda. *Repugnat opinionem probabilem, in materia quæ de necessitate medij ad salutem æternam non est,* (quidquid de necessitate medij sit, illam enim huiusmodi Theses non tangunt) *esse periculosam, temerariam, audacem, malè sonantem, aut aures pias offendentem.* Constat ex probabilitatis definitione. Sanè Probabilis opinio periculosa non est; nulli enim se exponit periculo, qui non se exponit periculo peccandi, & eum, qui minùs probabili sententiæ subscribit, non peccare probabilior sententia (adeoque communis)

munis) affirmat. Nec est temeraria; nam motiuis grauibus subsistit, quibus cum temeritas componi non potest. Si non sit temeraria, nec erit audax; quoniam coincidere videntur, audacia & temeritas, aut saltem separari non posse. Cùm igitur probabilis sententia bona sit nec pernicioſa, nec scandaloſa ipſa est Laxa dici non debet, ſed benigna. Et per conſequens, malè ſonare nequit, nec pias aures offendere, quòd ſi aliquas offendat, non ſunt piæ. Corollarium. *Repugnat aliquem esse vel mediocriter doctum, & tamen cum probabilitate has durissimas notas componere.*

Tertia. *Nulla ex prædictis Syntheſibus aliter poteſt ſua probabilitate priuari, quàm ſi contradictoria tranſeat in Articulum fidei.* Patet; quia opinio probabilis eſt, quæ à magnis & multis defenditur; & tamen humanitus non poterit fieri, quòd illi Doctores, qui ſubſcribunt, multi aut magni non ſint. Vel finge quemcumque caſum poſſibilem præter definitionem Eccleſiæ. Congregentur vniuerſi Europæi, docti indocti, magni parui, non tamen poterunt facere, aut verè definire, viginti non eſſe viginti, aut Viros eximios, & ſummarum Academiarum lumina, non eſſe magnos.

Videas igitur quàm ſtupidè Titius, contra tot Academiarum illuſtriſſimarum Soles fuerit auſus, & Inuidiæ ignoranti condoleas, in poſterúmque Syntheſes illas tanquam ſecuriſſimam baſin tuarum omnium Reſolutionum ſtatue, & diligere perge.

IOANNEM CARAMVEL LODKOVVITZ.

Moguntiæ 4. Maij M. DC. XLV.

NOMENCLATOR
REGVLÆ BENEDICTINÆ.

TERMINORVM notitia, vocum acceptio, dictionum ſuppoſitio, phraſium ſignificatio ſemper exponenda eſt, præſertim TEXTVS à communi declinat. Tulit Benedictinam REGVLAM noſter Lycurgus alia rerum contemplatione præoccupatus, hinc vt conceptus ſæpè nouos exprimeret, ſæpè etiam vti debuit ſyntaxi noua. Hanc NOMENCLATOR explicat, vt in offenſo pede poſſis progredi, & adſequi LEGISLATORIS ſpiritum & mentem.

A

Abbatis nomen Chriſto primariò conuenit; Regulæ c.2. *Chriſti enim agere vices in Monaſterio creditur quando ipſius vocatur prænomine, dicente Apoſtolo, Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus ABBA, Pater.* De Abbatis nomine tracto curiosè *n.*678.679.

Abbas ſubiectus eſt Regulæ. C.3. *Ipſe tamen Abbas cum timore Dei & obſeruatione S. Regulæ omnia faciat.* & C.63. *Præcipuè vt præſentem Regulam in omnibus conſeruet,* & c.3. *In omnibus igitur omnes magiſtrã ſequãtur Regulam: neque ab ea temerè deuietur à quoquã,* & infert meus, Bernardus, *ergo nec ab ipſo Abbate,* ita lib. de præcep. & diſpẽſ.

Abbas dicitur *Pater Monaſterij.* C.33. *Omnia verò neceſſaria* (debent) *à Patre Monaſterij ſperare, nec quidquam liceat habere quod Abbas non dederit, aut permiſerit.* De authoritate paterna Abbatis diſputo *numero* 753. *&. numero* 1676. Abſente Abbate *Monaſterij Pater eſt,* quicumque Monaſterium gubernat. *num.*739. *&* 1577.

Abſtineri. Mira hæc vocum ſyntaxis, *Carnium verò quadrupedum omninò ab omnibus abſtineatur comeſtio.* C.10. hoc eſt, *Omnes omninò abſtineant à quadrupedum carnibus.*

Ad nomen Sanctorum petitionem facere, eſt inſtrumentum ſolemne & publicum condere Sanctorum nominibus corroboratum. Capite 58. *De qua promiſſione ſua faciat petitionem ad nomen Sanctorum quorum reliquiæ ibi ſunt, & Abbatis præſentis.*

Agnoſcere pro certo, Hiſp. *Tener por cierto.* C.2. *Agnoſcat pro certo, quia in die iudicij ipſarũ omniũ animarũ redditurus eſt Domino rationem, ſine dubio addita & animæ ſuæ.* Et c.4. *In omni loco Deum ſe reſpicere pro certo ſcire.*

Allelu-Ia Hebraica vox eſt, adſumitur à D. Benedicto tum alibi tum c.15. exponitur à me. *n.*1257.

Ambroſianum. Cap.9.12.13. eſt Hymnus, cui id nomen inditum, quia præcipui ab Ambroſio ſunt conditi.

Ἀναλογεῖον el faciſtol, el artil, ſuggeſtum libri. Cap.9. *Legantur viciſſim à fratribus in*

codice ſuper analogium tres lectiones.

Ananian & vxorem eius *Sapphiram* pœna corporali fuiſſe punitos conſtat ex ſacra pagina, an & ſpirituali non vult Benedictus reſoluere. Cap. 57.

Anguſta ſunt in limine vitæ viæ, in prolog. *Non illico pauore perterritus refugias viam ſalutis, quæ non eſt niſi anguſto initio incipienda.* Capite verò 5. etiam ipſamet via anguſta dicitur.

Annona ab anno dicitur, ſed à noſtro Legiſlatore pro Diæta ſeu diei congrua vſurpatur. Cap. 31. *Fratribus conſtitutam annonam ſine aliquo typo, vel mora offerat*, & C. 35. *Septimanarij autem ante vnam horam refectionis accipiant ſuper ſtatutam annonam ſingulos biberes & panem.*

Aſcendere in cor hominis. Hiſp. *Paſar por la imaginacion.* Cap. 4.

Aſpectus poſiti pro *Oculis.* Cap. 7. *Inclinato ſit ſemper capite, defixis in terram aſpectibus.* Idem quod paulo poſt *Publicanus ille euangelicus fixis in terram oculis dixit, Domine, &c.*

Aſſiſtere ad opus pro *aſſiſtere operi.*

B

Breue, liber in quo ſuppellectilia ſcribuntur. Hiſp. *Vn Inuentario.* Cap. 32. *Ex quibus Abbas Breue teneat*, hoc eſt, *quorum Inuentarium habeat Abbas.*

Bonitas tranſcendentalis à morali apud multos Hæreticos non diſtinguitur, qui aſſerunt ea quæ volumus, quia volumus, bona & ſancta eſſe, Hunc errorem adſcribit Sarabaitis Benedictus. Capite. 1. *Quicquid, vel elegerint, hoc ducunt ſanctum, & quod noluerint; putant non licere.*

C

Caput Quadrageſima. Cap. 48. ſumitur pro die Cinerum, qui aliàs *Caput ieiunij* dicitur.

Cauere cum accuſatiuo vſus eſt Cato de Re ruſtica. cap. 5. *Scabiem pecori & iumentis caueto.* Benedictus videtur hac conſtructione delectari. Capite 7. *Oſtendit nobis* (ſacra Scriptura) *omnem exaltationem genus eſſe ſuperbiæ; quod ſe cauere Propheta indicat.* Et poſteà, *Cum item cauemus illud quod de negligentibus dictum eſt, Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in voluptatibus ſuis*, & iterum, *Cauendum ergo ideo malum deſiderium*, & Cap. 11. *Quod tamen omninò caueatur ne proueniat*, & Cap. 62. *Ordinatus autem caueat elationem & ſuperbiam.*

Clauſura pro *Interdictione.* Cap. 6. *Scurrilitates verò, vel verba otioſa & riſum mouentia aterna clauſura in omnibus locis damnamus.* Clauſtra imperij nouit Cicero, pro Flac. enim ait, *Omnes ſinus, promontoria, litora, inſulas, vrbes maritimas clauſtris imperij noſtri contineri.*

Cogitationes à conceptione debent ſacrificari Deo. In Prolog. *Qui malignum diabolum aliqua ſuadentem ſibi cum ipſa ſuaſione ſua à conſpectibus cordis ſui reſpuens deduxit ad nihilum, & paruulos cogitatus eius tenuit, & adliſit ad Chriſtum*, & Cap. 2. *Neque* (Abbas) *diſſimulet peccata delinquentium: ſed mox vt cœperint oriri radicitùs ea, vt præualet amputet.* & Cap. 4. *Cogitationes malas cordi ſuo aduenientes mox ad Chriſtum adlidere. Cogitatio* vox frequens & communis eſt; *Cogitata* ſubſtantiuè dixit Cicero 1. de leg. Agr. ſed *Cogitatus* non memini me legiſſe alibi, niſi ſæpè apud Eccleſiaſticum, & præſertim capite 30. verſ. 11. *Et ne deſpicias cogitatus illius.*

Color. Quæſtio celebris eſt, quæ examinat quid coloris nomine intelligatur cùm dicitur, *De colore non cauſentur Monachi.* Reſoluo pag. 767. & nomine coloris non nitorem, ſed ipſammet coloris ſpeciem intelligi debere exiſtimo. Hinc lux Capiti 55. *Vide n.* 1620.

Commiſſum adſignatum. Hiſpanicè *Comiſion ſeñalada.* Capite 42. *Si quis fortè in adſignato ſibi commiſſo fuerit occupatus, occurrat.*

Conſignare eſt *tradere, deponere.* Cap. 32. *Eis* (Abbas) *ſingula, vt vtile iudicauerit, conſignet cuſtodienda.* Hinc *Reconſignare* idem quod *reſtituere.* Cap. 35. *Vaſa miniſterij ſui munda, & ſana Cellerario reconſignent.*

Contriſtari metaphoricè dicitur de Deo. In Prolog. *Inſtantiſſima oratione depoſcas, vt qui nos iam in filiorum dignatus eſt numero computare, non debeat aliquando de malis actibus noſtris contriſtari.*

Cordis oculi. In Prolog. *A conſpectibus cordis ſui reſpuens.*

Cordis voluntas. Cap. 3. *Nullus in Monaſterio ſequatur cordis voluntatem.*

Crapula crimen indignum ingenuo viro eſt; neſcio an omnibus aliis vitiis maior, nam Capite 10. *Nihil contrarium eſt omni Chriſtiano quomodo crapula.* Verba valde notanda.

Cum ponitur loco *Pro.* Cap. 59. *Qui verò ex toto nihil habent, ſimpliciter petitionem* (hoc eſt ſcripturam) *faciant, cum oblatione* (hoc eſt, pro oblatione) *offerant filium ſuum.* Et ſic debere textum exponi clarum eſt, quia quam oblationem poſſent Deo dare qui ſupponuntur non modò eſſe pauperes, ſed & nihil omninò habere.

D

De pro *Ex.* Cap. 10. *Pro ipſis tribus lectionibus vna de veteri teſtamento memoriter dicatur.*

De pro *Poſt*, vel *Vltra.* Cap. 8. *Amplius de media nocte pauſetur*, hoc eſt, *Parum adhuc poſt mediam noctem.*

De loco *Pro.* Capite 17. *Iam de Nocturnis, vel Matutinis digeſſimus ordinem Pſalmodiæ.*

Degradare, ab ordine & gradu deponere. Apud DD. Benedictinos degradari dicitur, qui ex altiori gradu ad ignobiliorem detruditur. Cap. 63. *Quos, vt diximus, altiori*

tiori consilio Abbas prætulerit aut degradauerit, &c.

Deificum Lumen. Verbum Diuinum Lumen est de Lumine, verè Deificum, quia seruis suis pignus Diuinitatis communicat. In Prolog. *Apertis oculis nostris Deificum Lumen* (hoc est verbum Dei) *attonitis auribus audiamus.*

Deus est vbique essentia, potentia & præsentia. Vbique essentialiter, quia vniuersa cognoscit & esse Dei est intelligere, vbique potentialiter, quia omnia condidit. An & vbique præsentialiter? Affirmo cum meo Authore, qui Cap. 19. ait: *Vbique credimus Diuinam esse præsentiam.*

Decani ab Ecclesiasticis vocantur, qui *Decuriones* dicerentur, de illis agit D. Pater Capite 21. Decaniæ constare debent senibus & iuuenibus, liquet ex 22. capite. Indicitur vt dormiant deni aut viceni in eadem aula, & additur, *Adolescentiores Fratres iuxta se non habeant lectos, sed permixti cum senioribus.*

Digestus à Benedicto dicitur, qui iam cibos digessit. Capite 8. *Digesti surgant*, hoc est, surgant hora qua possint cibos digessisse.

Dignus quis debeat dici; exposui *pag.* 694. Creandus in Abbatem debet esse dignus, non dignior. Probo ibidem ex Regula. ¶ Abbas non tenetur eligere digniorem in Præpositum, aut Decanum, sed satisfacit cùm eligit dignum. Cap. 65. *Quod si* (Decanus) *nec sic correxerit, tunc deijciatur de ordine Præposituræ, & alius qui dignus est in loco eius subrogetur: & de Præposito eadem constituimus.* ¶ Sufficit etiam præficere dignum Oeconomum Capite 31. indicitur vt eligatur in Cellerarium sapiens, maturus, humilis, &c. non sapientior, maturior, humilior. Et idem obseruauit S. Pater cùm exponeret Ostiarij Monastici prærogatiuas Cap. 46. imò nec peccat Abbas, qui omissis dignioribus ad ordines promouet dignum. Cap. 62. *Si quis Abbas sibi Presbyterum, vel Diaconum ordinari petierit, de suis eligat qui dignus sit sacerdotio fungi.*

Dirigi in via, est *iter agere* sed cur hac phrasi vtitur D. Pater Capite 67. satisfacio *pag.* 790. c.

Disciplina pro *Iustitia* aut *distributiua æquitate.* Cap. 2. *Ergo æqualis sit ab eo omnibus* (erga omnes) *charitas: vna præbeatur in omnibus secundum merita disciplina.*

Districtio est *rigor.* Cap. 37. *Nullatenus eis districtio Regulæ teneatur.*

E

EXcommunicatio monastica animum respicit non animam: hominem priuat conuersatione & communicatione, sed conscientias non ligat. De ea agit Diuus Benedictus per multa capita, & ego *à pag.* 827.

Expletio, finis. Capite 17. *Post expletionem vero trium Psalmorum recitetur Lectio vna.*

Extollere, est *turbare, interpellare.* Cap. 48. *Qui vacat otio aut fabulis, & non est intentus lectioni, & non solum sibi inutilis est, sed etiam alios extollit.*

Extra pro *Contra.* Cap. 2. *Ideóque Abbas nihil extra præceptum Domini* (*quod absit*) *debet aut docere aut constituere.*

F

FOres vel *Foris pro Extra.* Cap. 43. *Si foras Oratorium remaneat, erit fortè aliquis, qui se aut recollocet & dormiat, aut certè sedeat foris.* [*Foris* pro *Extra:* vide *Intus.*

Fortior pro *Maior.* [*Ætas fortior* dicitur ab anno ætatis quintodecimo. Capite 70. [*Psalmi fortiores* dicuntur Cap. 18. qui prolixiores.

G

GLoriæ à D. Benedicto vocantur Psalmorum diuisiones, quòd Gloria claudantur. Capite 13. *Canticum Deuteronomij, quod diuidatur in duas Glorias*, id est, *in duas sectiones*, & Capite 17. *Prima hora dicantur tres singulatim, & non sub vna Gloria.*

Gratia, si stemus communi sententiæ, à Deo vno producitur & infunditur, non ab Angelis, non ab Hominibus: sed contrarium sensisse nonnullis videtur noster Author, cùm dixit in Prologo: *Rogemus Dominum vt gratia sui iubeat nobis adiutorium ministrari*, auxilia ergo gratuita ex eius opinione nobis infunduntur ab Angelis iubente Domino. Falluntur tamen, quia bonæ inspirationes & admonitiones, gratiæ adiutoria sunt: & hæc nobis ministrant Angeli, imo & Homines, quoties mores nostros inspiratione, correctione & instructione promouent. Hoc sensu D. Bernardus serm. de triplici genere bonor. mihi column. 382. *A sanctis Angelis*, ait, *auxilium quærendum est*, & explicans quale petendum sit subiungit, *vt illi supereminenti Majestati preces nostras offerant, & referant gratiam.*

H

HEmina mensura liquidorum. Vide comment. Cap. 40. pag. 764.

Porrò Hemina, tametsi non ita sit nota mensura, hoc tamen extra dubium est, fuisse valde paruam, & tres, vel quatuor scyphos communes non excessisse. Petrus Gassendus in illo eruditissimo volumine, quo Epicuri mores contra communem opinationem defendit, *lib. 6. cap. 3.* de eius sobrietate & frugalitate eximiâ disserit: & hoc Dioclis testimonium ex Laertij *lib.* 10. adducit. *Frugalissimis & vilissimis cibis* (Epicuræi) *victitabant: quare & contenti erant vinuli heminâ.* Et addit se exploratum habere heminam esse dimidium semisextarij Romani, vel duodecimam partem congij: & vix illam quidpiam excedere semisextarium Parisinum: nam, vt colligit, heminæ sex cum semisextariis septem exæquentur. Ergo Hemina. semisextarium & sextam semisextarij partem continet. Consonant fere Villapandus & Pradus *de templo.*

tom.3.part.2.lib.3.cap.7.pag.447. & quia Hiſpani ipſi ſunt, pagina 547. vnam Heminam & tres Heminæ quintas partes vni Quartillo Hiſpanico correſpondere affirmant. Ergo, quarum Hemina habet 5. partes, habet Quartillum 8. In noſtris Monaſteriis ibi (nam vinum eſt in abundantiâ) datur ſenioribus vnum Quartillum, Iunioribus dimidium Quartilli: in collatione autem omnibus dimidium Quartilli (vtor hac voce, vt clarè intelligar.) Ergo illis 8. iſtis verò partes quarum Hemina continet 5. Illis igitur paulò plus, his autem paulò minus, quàm Hemina.

Quo accentu vox hæc proferri debeat multi neſciunt: at illas iuuare poterit Ioannes Scapula, qui in Lexico voce ἥμισυ, inquit. *Ἡμίνα, ἡ. dimidium ſextarij. Athenæus lib.11. teſtatur τὴν κοτύλην vocari etiam ἡμίναν.* Secundam ſyllabam, non ſolùm acutam, ſed & longam eſſe (nam apud Græcos, non ſicut apud Latinos accentus à quantitate pendet) conſtat ex Fanij hoc Diſticho.

At Cotylas, quas, ſi placeàt, dixiſſe licebit
Heminas, recipit geminas ſextarius vnus.

Ecce obiter κοτύλην, Cotylam ſecundâ acutâ & breui præditam: videlicet in linguâ Græcâ: nam Latinè modum noſtræ prolationis ſequuti acuimus primam.

Horas temperari, diſponi. Cap.41. *Hora ſic temperetur, vt cum luce fiant omnia.*

Hiems Monaſticè eſt ſpatium temporis, quod intereſt primæ diei Nouembris & Paſchati. Cap.8. *Hyemis tempore, id eſt, à Kalendis Nouembris vſque ad Paſcha.* Sed aliter computant Aſtrologi.

I

IMponere Pſalmum, aut Antiphonam. Hiſpanicè *Leuantar*, eſt cantum incipere. Cap.24. *In Oratorio Pſalmum, aut Antiphonam non imponat.*

Impoſſibile dicitur id quod eſt valde difficile, vel ſecundum ſe, vel ſaltem reſpectu illius, qui debet obedire. Vide comment. ad C.4. & ad 68.

In ponitur pro *Ad* C.3. *Si qua minora agenda ſunt in Monaſterij vtilitatibus*, hoc eſt, *ad Monaſterij vtilitatem.*

Indeclinabilia ſæpè declinantur à D. Benedicto. *Gloria* nomen vltimi verſus in quocumque Pſalmo, per caſus & numeros inflectitur: ſed & infinitiuum declinauit Capite 35. *Accipiant*, ait, *ſingulos biberes, & panem.*

Indigeries idem quod *indigeſtio*. Cap.10. *Nunquam ſubrepat Monacho indigeries.*

Indigere ſæpè dicimus, non indigeri. Capite 55. *In frigidis regionibus amplius indigetur.*

Indirectum, vno tono, ſine melodia, Hiſpan. *En-tono.* Cap.12.

Iniuria non ſignificat quantum ſonat. Capite 58. *Si veniens perſeuerauerit pulſans. & illatas ſibi iniurias* (hoc eſt incommoditates, vel forte inciuilitates) *& difficultatem ingreſſus poſt quatuor, aut quinque dies viſus fuerit patienter portare, &c.*

Intenſio non fit actibus æquè perfectis, hi enim habitus perficiunt extenſiue. Cap.7. *Actibus noſtris aſcendentibus ſcala illa erigenda eſt*, non enim erigeretur per æquè ſublimes & perfectos actus.

Intus pro *intra.* Cap.3. *Neque præſumat quiſpiam cum Abbate pro ſuo proteruè intus, vel foris Monaſterium contendere*, hoc eſt, *intra vel extra.*

In vnum, idem quod *ſimul*, *vnà.* Cap.42. *Mox vt ſurrexerint à menſa, ſedeant omnes in vnum.* Et inferius. *Omnes ergo in vnum poſiti compleant.*

Iuramentum emiſſum ſine cauſa aſſeritur eſſe malum ratione periculi. Cap.4. *Non iurare ne fortè periuret.*

Iuſſio, vide *Præceptum.*

L

LAudes dicuntur Pſalmi 148. 149. 150. Aliqui Laudum nomine etiam Canticum trium Puerorum intelligunt, quod licet non contradicat. Cap.12. vbi hæc vox reperitur, contradicit tamen Cap.13. vbi agitur de ferialibus diebus, in quibus illud Canticum non legitur, & nihilominus Laudes dici iubentur.

Legere ſibi, Hiſp. *Leer paraſi.* C.48. *Sibi ſic legat vt alium non inquietet,*

Libra propenſa, genus ponderis, de quo num. 1616. in Com. ad cap.39.

Lutheranus qui legeret hæc verba Prologi, *Succinctis ergo fide, vel obſeruantia bonorum actuum lumbis noſtris, & calceatis pedibus per ducatum Euangelij pergamus*; inferret aut bona opera non eſſe neceſſaria, aut ſaltem illi qui habet fidem. Sed notandum eſt hic, ſicut & in aliis locis, particulam, *vel* ſumi copulatiuè, non enim Benedictus poſtulat fidem aut bona opera, ſed vtrumque, quia fides ſine operibus mortua eſt; conſtat ex contextu totius Prologi, & præcipuè ex immediatè ſubſequentibus.

M

MAgiſter primus Benedictinorum Chriſtus. In Prolog. *Ab ipſius nunquam magiſterio diſcedentes, in eius doctrina vſque ad mortem in Monaſterio perſeuerantes, paſſionibus Chriſti per patientiam participemus, vt & regni eius mereamur eſſe conſortes.* Magiſter alter Regula Cap.3. *In omnibus igitur omnes Magiſtram ſequantur Regulam.* Tertius Abbas. Vnde in Prolog. *Auſculta, ô Fili, præcepta Magiſtri*, hoc eſt, *tui Abbatis Ordinarij.*

Magis pro *Potius.* Capite 4. *Maledicentes ſe non remaledicere, ſed magis benedicere.*

Maior Congregatio, eius meminit D. Benedictus. Cap.21. *Si maior fuerit Congregatio, eligantur de ipſis, &c.* & cap.31. *Si congregatio maior fuerit, ſolatia ei dentur,* & c.35. *Si maior congregatio fuerit, Cellerarius excuſetur.* Eam explico. *n.*1600.a.

Maior dicitur Abbas. Cap.5. *Mox vt aliquid imperatum à Maiore* (id eſt, ab Antiſtite) *fuerit, ac ſi diuinitus imperetur, moram pati neſciant in faciendo,* & c.2. dictum fuerat,

rat, *Abbas, qui præesse dignus est Monasterio semper meminisse debet quod dicitur, & nomen Maioris factis implere*, & tandem c.7. *Vt quis pro Dei amore omni obedientia se subdat Maiori*, hoc est, *Abbati*, cui Monachus omni obedientia tenetur, nempe pœnali, morali, filiali, & solemni.

Maiores vocat seniores, paulò inferiùs, agens de octauo Humilitatis gradu. *Nihil agat Monachus*, ait, *nisi quod communis Monasterij Regula, vel Maiorum* (hoc est seniorum, saniorum, sanctiorum) *cohortantur exempla.*

Mandatum, Hisp. *Recado, ô besamanos.* C.26. *Si quis Fratres præsumpserit sine iussione Abbatis Fratri excommunicato quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, &c.*

Matutini vocantur à D. Benedicto, quæ iam *Laudes*, & qui nunc vocantur *Matutini*, apud eum *Nocturni*, necnon *Vigiliæ* nominantur. Cap. 8. 11. 12. 35.

Meliorari idem quod *Conualescere.* Cap. 36. *Vbi meliorati fuerint, à carnibus more solito omnes abstineant.*

Militandi verbo libenter vtitur noster Author cùm de Monachis agit, & optimè, quia *militia est vita hominis super terram*, militat enim omnis amans. Totus Regulæ Prologus fundatur hac metaphora, sub eodem c.1. Cœnobitas fortissimum genus appellat, & c.2. *Omnes in Christo vnum sumus*, ait, *& sub vno Domino æqualem seruitutis militiam baiulamus*, & tandem c.61. *In omni loco vni Domino seruitur, & vni Regi militatur.* Vide *n.*309.

Minus pro *Paucioribus.* C.10. *Nunquam minus à duodecim Psalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicatur*, & c.18. *& quia minus veniunt tres Psalmi.* Hisp. *Y porque echamos menos, y nos vienen à faltar tres Salmos*, & c.56. *Quoties tamen sunt minus hospites.* Vide *n.*1655.

Missa. Torquet hæc vox Expositores. Qui putant non nisi sacrum Eucharisticum significare, non legerunt Regulæ c.17. præcipiens Missas fieri post Vesperas, & post Completorium. Missæ igitur Orationes sunt illæ, seu Collectæ (fortè Commemorationes) quibus Horæ clauduntur. Videtur nihilominus *Missa* significare sacrum c.35. vbi lego culinæ Hebdomadarios ieiunos debere remanere vsque ad Missas; clarius cap.38. vbi Hebdomadarius Lector post Missas & Communionem petit ab omnibus pro se orari.

N

Nobilis ponitur pro *Diuite* cap.59. Constat ex epigraphe, opponit nobiles pauperibus, dum ait, *De filiis nobilium, vel pauperum.*

Necessitas duplex, naturalis & virtualis. Illa dicuntur necessaria naturaliter, quæ arbitrio carent: illa verò virtualiter necessaria dicuntur, quæ libera quidem sunt, sed liberè volunt sic esse, ac si essent necessaria. Talia sunt agentia intellectualia, quibus est virtualis necessitas, seu libertas ordinata ad aliquem finem necessario virtualiter, aut sanè infallibiliter vt alij loquuntur. Hinc intelligendus noster Author c.7. *Voluntas habet pœnam & necessitas parit coronam.* Hinc etiam intelligendus Mellifluus Doctor variis locis.

Negligentiam & vitium distinguit D. Benedictus, distinguo, & ego *n.*1612. c.ad c.43. *Negligentiam* etiam distinguit à *Contemptu* c.2. Vide quæ de contemptu dico *n.*97.

Nihil aliquid pro *Nullare.* Cap.5. *Hæc conuenit his, qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant.*

Non pro *Ne?* frequentissimè.

Nonus, quis? Subdecanus. Cap.63. *Iuniores autem Priores suos Nonos vocent.*

Numerus pro numero (puta singularis pro plurali, aut è contrà) occurrit aliquando in Regula. Cap.3. grad.1. *Ne Deus dicat nobis in futuro, Hæc fecisti & tacui:* & cap.32. *Vt dum Fratres vicissim succedunt, sciat quid dat, aut quid recipit.* [*Fecisti, sciat, dat recipit*, in singulari sunt, & nihilominus de multis prædicatur. ¶ Pluralem pro singulari reperio cap.3. *Si qua verò minora*, ait, *agenda sunt in Monasterij vtilitatibus*, hoc est, *ad Monasterij vtilitatem*, quò respiciens Bernardus serm.6. de Aduēt. post medium. *Primò, siquidem*, ait, *omnia sua, de hinc etiam semetipsum exposuit vtilitatibus meis:*

Nunciare horam, non est pulsare, sed designare horas, in quibus conuocandi sint Fratres ad Chorum. Sic expono cap.47. *Nunciare hospitem* idem est, ac annunciare alicuius hospitis Aduentum. Cap.53.

O

Obediens fuit Christus Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Dubitant Scholastici, An huiusmodi verba inferant præceptum verum & rigorosum. Resoluit negatiuè noster Petrus de Lorca, sed Patres omnes affirmatiuè, inter quos Benedictus c.7. *Tertius humilitatis gradus est, vt quis pro Dei amore omni obedientia se subdat Maiori* (seu Antistiti) *imitans Dominum; de quo dicit Apostolus; Factus est obediens vsque ad mortem.* Christus igitur omni obedientia, cuius fuit capax, se Patri subdit: habuit igitur verum & rigorosum præceptum moriendi. Benedicti verba fortia sunt, & omnem possibilem obedientiam probant, ideo ex hypothesi, quod actuum indiuiduatio à Christi libertate pendeat, non solùm passionis circumstantiæ, sed & actuum omnium singularitas fuit diuinitus ipsi præcepta.

Obedientia exterior semper est necessaria, & stante præcepto obligatorio sine culpa deficere non potest. Sola autem ad meritum sufficit, ni inficiatur malignis & demeritoriis circumstantiis. Cap.5. *Cum malo animo si obedit discipulus, & non solum ore, verùm etiam in corde si murmurauerit, etsi impleat iussionem, & tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, sed pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.*

Obedientia, quæ Maioribus (id est Prælatis) *præbetur, Deo exhibetur; ipse enim dicit, Qui vos audit me audit.* Sunt verba expressa cap. 5. Hinc patet omnes leges morales humanas, quæ obligant in conscientia, sumere vires à Diuina; sublato enim Decalogo nec filij tenerentur obedire parentibus, nec subditi Antistiti solemnibus votis dispensatione sublatis. Consonat sibi Pater sanctus, quia sub capitis initium dixerat: *Mox vt aliquid imperatum à Maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt.*

Octaua hora, quæ? Sexta incidit in meridiem & in mediam noctem, erat ergo secunda post noctis medium. Cap. 8.

Odire pro *Odisse*. Cap. 4. *Desideria carnis non perficere, voluntatem propriam odire*, & paulò post, *Castitatem amare, nullum odire.*

Ordinare est suo quoque ordine disponere, quia *Ordo* & *Ordinatio* recta rerum dispositio est. Hoc sensu Caput 63. inscribitur. *De ordine Congregationis.* ¶. *Ordenar.* Hispanicè est iubere, & *Orden* iussio. Hoc sensu locutus est noster Author Cap. 65. *Nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciens*, hoc est, *nihil contra iussionem, aut dispositionem.* ¶ *Ordinare* etiam est promouere ad dignitatem. Suetonius in Vespasiano. *Ipsum candidatum ad se vocauit, exactaq; pecunia, quãtam is cum suffragatore suo pepigerat, sine mora ordinauit.* Hinc *Ordinatio* Prouinciæ Administratio est. Idem in Nerone c. 40. *Spoponderunt tamen quidam destituto ei Ordinationem Orientis, nonnulli nominatim regnum Hierosolymorum. Ordinatio* autem apud nostrũ Authorem *Administratio* etiam est, & *Creatio*. Administratio quidem, c. 65. *Ideóque nos præuidemus propter pacis charitatisque custodiam in Abbatis pendere arbitrio Ordinationem* (ideſt Administrationem & regimen) *Monasterij sui.* Creatio autem c. 64. cui titulus, *De Ordinando Abbate*, hoc est, *de eligendo, creando, promouendo, declarando.* Et mox incipit textus his verbis: *In Abbatis Ordinatione illa semper consideretur ratio, vt hic constituatur, &c.* hoc est, *In Abbatis creatione, electione, denominatione.* ¶ Ecclesiasticè *Ordinare* est ad ordines sacros promouere, & in hoc sensu vsus est eodem verbo c. 62. *Si quis Abbas sibi Presbyterum, vel Diaconum ordinari petierit.*

P

PAr consilium, idem quod *concors, vnanime.* Cap. 64. *Quod si etiam omnis congregatio vitiis suis* (quod quidem absit) *consentientem personam pari consilio elegerit.*

Pascha, Hebræa vox est, plerumque indeclinabilis. Cap. 8. *A Kalendis Nouembris vsq; ad Pascha.* & c. 10. *A Pascha vsque ad Kalendas Nouembris.* Clariùs c. 15. *A sancto Pascha vsque ad Pentecosten sine intermissione dicatur Allelu-Ia*, & c. 41. *A sancto Pascha vsque ad Pentecosten ad sextam reficiant.* Si velis declinare *Pascha, æ.* lege in c. 10. *A Pascha vsque ad Kalendas*; vt declines *Pascha, atis* verba capitis octaui fauent; vt dicas *Pascha* per omnes casus, omnia testimonia conspirant.

Pater Monasterij, Vide *Abbas.*

Pelagius diuersos habuit discipulos, alij seueriùs negabant gratiam, alij eam humanæ libertati submittebant, hominem inchoare dicebant, sed Deum perficere. In Prologo Regulæ D. Benedictus sugillat hunc errorem, dicens, *Quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas*, ne autem putes te saltem à te habuisse, quod inceperis, immediatè subiungit, *vt qui nos in filiorum dignus est numero computare.* Ecce boni meritorij inchoationi gratiam adoptantem & iustificantem præmittit, cuius virtute adiuta anima inchoat contritionis actum, quo se disponit vt ab ipsamet gratia formaliter & à Deo efficienter perficiatur. Et paulò post admittit gratiam excitantem, dum ait; *Exsurgamus ergo tãdem aliquãdo excitante nos Scriptura, ac dicente, Hora est iam nos de somno surgere.* Et clariùs; *Antequam me inuocetis, dicam: Ecce adsum.* Ecce Deũ inuocamus, quia ipse præsens per gratiam nobis fuit antequã inuocaretur, ipse etenim præmouit nos ad inuocandũ, & inuocantibus adquieuit. Ideo subiungit noster Author, *Timentes Dominũ de bona obseruãtia sua non se reddũt elatos, sed ipsa in se bona, non à se posse, sed à Domino fieri existimantes, operantem in se Dominum magnificant, illud cum Propheta dicentes: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Ex quibus verbis hæ nascuntur Conclusiones. *Prima*, Datur moralis & meritoria bonitas non solùm orta ab homine, sed remanẽs in homine. *Secunda*, Has actiones bonas & meritorias à seipso homo non solùm non facit, sed nec potest facere. *Tertia*, Dei est auxilium quo fiunt huiusmodi actiones. *Vltima*, Homo à seipso nec habet perficere, nec facere, nec inchoare, nec posse, sed hæc omnia recipit à gratia Dei. Hanc vltimam Conclusionem roborant immediata nostri Authoris verba: *Sicut nec Paulus*, ait, *de prædicatione sua sibi aliquid imputauit, dicens: Gratia DEI sum id quod sum: & iterum ipse dicit; Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Igitur qui nihil sibi imputauit, ne ipsum quidem posse imputauit sibi, aliàs enim aliquid sibi imputasset. Fauent insuper verba, quæ paulò post sequuntur: *Ergo præparanda sunt corda & corpora nostra sancta præceptorum obedientiæ militatura, & quod minus habet in nobis natura possibile, rogemus Dominum vt gratia sua iubeat nobis adiutorium ministrari.* Ecce meritoria illa obedientia, de qua sermo, nec in nobis, nec à nobis habet, quod sit proximè possibilis, sed à gratia DEI. Idcirco c. 4. statuitur Conclusionum Conclusio. *Bonum aliquod in se cùm viderit, Deo adplicet, non sibi.*

Pendere ex vel *ab aliquo*, Latinè dicitur, præcipuè cùm sonat. *Dependere.* Noster Author legit, *Pendere in.* C. 3. *In Abbatis pendeat arbitrio*, & Cap. 24. *Culparum modus in Abbatis pendeat iudicio*, & Cap. 65. *Prouidemus expedire propter pacis charitatisque concordiam*

cordiam in Abbati : pendere arbitrio ordinationem monasterij.

Per varias constructiones habet in Regula Benedictina; poni loco *Pro* notaui in c. 11. *Infirmorum contuentes imbecillitatem credimus heminam vini per singulos sufficere per diem.* ¶ *Per se.* Hisp. *De por si*, idem est, quod *seorsim.* Cap. 53. *Coquina Abbatis & Hospitium per se sit*, hoc est, *si separata & peculiaris.*

Petitio, instrumentum publicum, autographum. Cap. 58. *De qua promissione faciat Petitionem*, hoc est, *scripturam*, & sub finem, *Illam tamen Petitionem* (seu autographum) *quam de super altare Abbas tulit, non recipiat.* & Cap. 59. *Parentes faciãt Petitionem, quam suprà diximus, & cum oblatione ipsam petitionem & manum pueri inuoluant in palla Altaris, & sic eum offerant.* & in fine, *Qui vero ex toto nihil habent, simpliciter Petitionem faciant, cum oblatione offerant filium suum coram testibus,*

Præceptum strictè sumptum sonat moralem, aut pœnalem sanctionem. Capit. 4. *Memor illius Dominici præcipit. Quæ dicunt facite : quæ autem faciunt, facere nolite.* & Cap. 7. *Semper sit memor omnium, quæ præcipit Deus*, & Cap. 23. *Hic secundum Domini nostri præceptum admoneatur semel & secundo.* In Prologo videtur agi de rigorosis legibus cum dicitur : *Ausculta, ô Fili, præcepta Magistri; hoc est Abbatis Ordinarij.* & paulò post, *Cùm ergo interrogauissemus Dominum, Fratres, de habitatore tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum.*

Præceptum pro *Consilio* ponunt nonnulli authores, & variis in locis Benedictus, Cap. 7. *Præceptum Domini in aduersis, & in iniuriis per patientiam adimplentes, percussi in maxillam, præbent & aliam, auferenti tunicam, dimittunt & pallium, angariati milliario, vadunt & duo,* & cap. 23. *Si quis præcepti seniorum suorum contemptor repertus fuerit* : seniores enim non præcipiunt moraliter, & rigorosè, sed consulunt & suadent obseruanda iunioribus.

Præceptum ponitur non raro pro licentia, sicut & *præcipere* pro *permittere, indulgere, adquiescere, facultatem concedere.* Cap. 51. *Non præsumant foris manducare, etiam si à quouis rogentur, nisi fortè eis ab Abbate suo præcipiatur.* Cap. 53. *Hospitibus autẽ, cui non præcipitur, nullatenus societur, neq; colloquatur,* & Cap. 54. *Nullatenus liceat monacho —munuscula recipere, aut dare sine præcepto Abbatis sui,* & Cap. 62. *Ordinatus autem caueat elationem, aut superbiam non quidquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur.*

Præceptum & *Iussio* sunt synonimæ voces, ideo hæc vltima & verbum *Iubere*, à quo deducitur, significant minus quam sonant. Capitis 26. titulus, *De iis, qui sine iussione Abbatis iunguntur excommunicatis*, textus, *Si quis Frater præsumpserit sine iussione Abbatis Fratri excõmunicato quolibet modo se iungere—similẽ sortiatur excõmunicationis vindictã.* Cap. 31. *Curam gerat de omnibus, sine iussione Abbatis nihil faciat,* & Cap. 33. *Ne quis præsumat aliquid dare, aut recipere sine iussione Abbatis.* & Cap. 67. *Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subiaceat. Similiter & qui præsũpserit claustra monasterij egredi, vel quocumque ire vel quidpiam quamuis parum sine Abbatis iussione facere.* In quibus omnibus locis *Iussio* significat *licentiam*, quia ex licentia Antistitis Cellerarius potest œconomicam rem gubernare, & quicumque Confrater loqui ligato excommunicatione regulari, egredi ex monasterio, aut similia facere. ¶ Cap. 31. in corpore, *Iussio* legitur pro *Dispositione.* Cellerarius *omnia mensura faciat, & secundum iussionẽ Abbatis.* ¶ *Iubere* sæpè significat *dicere*, aut saltẽ *indicere*, aut *permittere*, Cap. 42. *Si inuentus fuerit quisquam præuaricari hanc taciturnitatis Regulam, grauiori vindictæ subiaceat, excepto si necessitas hospitum superuenerit aut forte Abbas aliquid iusserit*, hoc est *dixerit* & Cap. 44. *Qui dũ iussus ab Abbate venerit*, id est *vocatus ab Abbate* Cap. 47. *Psalmos autem vel Antiphonas post Abbatẽ ordine suo, quibus iussum* (id est dictum) *fuerit imponant. Cantare autem, aut legere non præsumat nisi qui potest ipsum officiũ implere, aut ædificentur audientes; quod cum humilitate & grauitate & tremore faciat* (nempè ille) *cui iusserit* (hoc est dixerit) *Abbas.* & Cap. 53. *Suscepti autem hospites ducantur ad orationem, & postea sedeat cũ Prior, aut cui iusserit* (id est dixerit) *ipse,* & Cap. 54. *Non præsumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Abbati, quod si iusserit* (hoc est permiserit) *susceipi. in Abbatis sit potestate,* & Cap. 57. *Artifices, si sunt in monasterio, cum omni humilitate & reuerentia faciant ipsas artes: si tamen iusserit* (id est permiserit) *Abbas. Quod si aliquis extollitur pro scientia artis suæ —euellatur ab ipsa arte, & denuò per eam non transeat, nisi forte humiliato ei iterum Abbas iubeat* (hoc est permittat) & Cap. 60. *Concedatur ei tamen post Abbatem stare & benedicere, aut Missas canere, si tamen iusserit* (siue quod idem est, permiserit) *ei Abbas sin aliàs, nullatenus aliqua præsumat.*

Portare in sensu morali est *tolerare & sufferre.* Cap. 36. *Qui tamen patienter portandi sunt,* & Cap. 58. *Si veniẽs perseuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias, & difficultatem ingressus post quatuor, aut quinque dies visus fuerit patiẽter portare, &c.* Hoc sensu locutus est optimus Benedicti discipulus Bernardus ser. 2. in vigil. Natal. Domini. *Nõ solũ sine querela*, ait, *sed & cũ gratia inter fratres maneas portãs omnes, orãs pro omnibus.*

Presens alicui rei dicitur, quam constructionẽ obseruauit noster Author. Cap. *Nobis Deũ credamus semper esse præsentem,* & inferiùs, *se tremendo iudicio Dei præsentari existimet.* Sed paulò antea præpositionem *In* admiserat expressè dicens, *Demonstrat nobis hoc Propheta, cùm in cogitationibus ita Deum semper præsentem ostendit.*

Præuidere sumitur pro *disponere, prouidere, iudicare.* Cap. 25. *Cibi autem refectionem solius percipiat; mensura vel hora qua præuiderit*

(hoc est censuerit) *Abbas ei competere.* & Cap.65. *Nos præuidemus* (id est iudicamus) *expedire propter pacis charitatisq; custodiã.*

Prior sumitur comparatiuè & absolutè. absolutè loquendo, Prior à meo Authore ille dicitur, qui præsidet aliquo actu monastico, siue is sit Abbas. siue Præpositus, siue alius. Cap.6. *Si quæ requirenda sunt à Priore* (nempe ab eo qui monasterio præest) *cũ omni humilitate & subiectione reuerẽtiæ requirantur.* Cap.7. *Vt ostendat sub Priore* (hoc est Superiore) *debere nos esse, subsequitur dicens; Imposuisti homines super capita nostra.* Cap.13. *Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore* (nempe ab eo qui Choro præsidet) *propter scandalorum spinas.* & Cap.20. *In Conuentu tamen omnino breuietur oratio, & facto signo à Priore* (hoc est, abillo, qui Conuentui præsidet) *omnes pariter surgant.* & Cap.38 *Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliunde quidquã requirere, ne detur occasio maligno, nisi fortè Prior voluerit pro ædificatione aliquid breuiter dicere.* & Cap.43. *Sicut offertur aliquid à Priore, & accipere renuerit, &c.* his duobus locis Priorẽ eum nominat, qui præsederit in Refectorio. & Cap.40. *Si aut loci necessitas, vel labor, aut ardor æstatis amplius proposuerit, in arbitrio Prioris* (nempe illius, qui domum gubernat) *consistat.* & Cap.53. *Suscepti autẽ hospites ducantur ad orationem, & postea sedeat cum eis Prior* (nempe qui monasterio præest) *aut cui iusserit ipse.* & mox; Ieiunium *à Priore frangatur propter hospitem; nisi fortè præcipuus dies ieiunij, qui non possit violari.* & Cap.68. *Quod si post suggestionem* (excusationem) *suam in sua sententia Prioris imperium perduraverit, — confidens de adiutorio Dei obediat.* Consulto *Prioris* nomine vsus fuit in hoc capite potiùs quam *Abbatis* S.Pater, vt doceremur obediendum esse etiam impossibilia (hoc est valdè difficilia) iubenti, non modò Antistiti, sed & Priori, hoc est illi, qui in monasterio agit Patrem-familias, siue Abbas fuerit, siue non. Cæterum soli Abbati tenemur ex vi voti, quia ipso absente obedimus Priori ex vi quartæ legis Decalogi, quod expendo, num.1612. a.

Prior comparatiuè sumptus respicit posteriores, & in hoc sensu Prior poterit dici, qui senior. Cap.63. *Iuniores igitur Priores* (hoc est, seniores) *suos honorent: Priores, iuniores suos diligant.* & mox; *Priores, iunioribus suos fratres nominẽt; iuniores autem, Priores suos Nonos* (hoc est Subdecanos) & sub finem; *Vbicumque autẽ sibi obuiant Fratres, iunior à Patre benedictionem petat.* & Cap.71. *Iuniores Prioribus suis omni charitate, & solicitudine obediant.* & post. *Si quis autem Frater, pro quauis minima culpa ab Abbate, vel à quocumque Priore* (hoc est seniore) *suo corripiatur quolibet modo, vel si leuiter senserit animum Prioris cuiuscumque contra se iratum, &c.*

Prior hodie non significat quẽcumque communitatis Benedictinæ Præsidem, sed ipsũmet Præpositum, & hoc communiori acceptione; sunt enim aliqui, qui post Præpositum voluerunt habere Priorem & Superiorem, sed non expedit multiplicare Præsides in monasteriis.

Pro hospite. Hisp. *Pro huesped.* Latinè. *Tanquam hospes.* Cap.61. *Si quis monachus peregrinus — pro hospite voluerit habitare in monasterio.* Hispanè, *Si algun Religioso peregrino se quisiere quedar por huesped en otro monasterio, &c.*

Proprietas rerum deuota est Deo solemniter in professione: an DD.Benedictini sunt domini sui corporis, & voluntatis? Difficilia sunt verba S.Patris. Cap.33. *Quibus nec corpora sua, nec voluntates, licet habere in propria potestate.* & Cap,58. *Ex illo die* (nempe professionis) *nec proprij corporis potestatem se habiturum sciat.* Respondeo potestatem negari à D.Benedicto, non verò proprietatem. Corpus, voluntas & omnes actiones Religiosi non sunt alius veri domini, subsunt tamen alius imperio & potestati. Vide ea quæ expendo n.820.

Protrahere est tarda, morosa grauique voce psallere. Cap.43. *Si quis ad nocturnas vigilias post Gloriam Psalmi nonagesimiquarti (quem propter hoc omnino protrahendo & morosè volumus dici) occurrerit, non stet in ordine suo in Choro.*

Q.

Quanti pro *Quot* Italismus, aut Hispanismus est. reperitur tamen Cap.17. cui epigraphe, *Quanti Psalmi per easdem horas canendi sunt.*

R.

Regula inscribitur totum opus D.Benedicti, duos nihilominus peculiares Articulos Regulas nominauit, nempe clausuræ & silentij sanctiones. Cap.66. *Non sit necessitas monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam sæpiùs volumus in congregatione legi, &c.* Capite autem 42. *Si inuentus fuerit quisquam*, ait, *præuaricari hanc taciturnitatis Regulam, grauiori vindictæ subiaceat.* Fortè hos duos Articulos specialiter Regulas nominat, eò quòd sine illis Regula non possit obseruari.

S.

Sanctus in hac vita mortali ille est, qui obligationibus suis satisfacit, inter quas ex præcipuis est nemini esse scandalo, aut malo exemplo: teneris igitur non solùm cauere ne legem Dei non violes, sed etiam ne violare videaris. Debes & velle sanctus esse, & talis videri. Carpo illos, qui volunt sancti potiùs videri quàm esse, cùm deberent è contra velle sancti esse, & ideò tantum velle tales videri, quia si incautè procedentes scelerati iudicarentur, scandalizarent proximos, & hoc ipso sancti nõ essent. Hac mente perstringebat Benedictus, cùm dixit Cap.4. Debere Religiosum *non velle dici sanctum antequam sit: sed priùs esse, quo verius dicatur.*

Secreti iure non cedunt DD.Benedictini, ideò omissa fraterna correptione denunciari non possunt. Putant multi Religiosos sub nostra Regula militantes obligari ad

omnia

omnia mentis arcana Antistiti manifestanda ex præscripto eiusdem Regulæ dicentis. Cap.7. gradu 5. *Omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, vel mala à se absconsè commissa, per humilem confessionem Abbati non celauerit suo.* Falluntur tamen, quia Legislator noster non præcipit vt secretà communicentur Antistiti, sed asserit confessionem huiusmodi esse actum profundæ humilitatis, quod nemo negat, maximè si Abbas talis sit vt de eius prudentia & fidelitate non possit cordate dubitari. Cap. 49. indicit vt extraordinariæ abstinentiæ ieiunia, mortificationes, pœnitentiæ, quæ secretè solent fieri, exponantur Abbati. *Hoc ipsum tamen*, ait, *quod vnusquisque offert, Abbati suo suggerat, & cum eius fiat oratione & voluntate.* Peccata illa quæ legi pœnali contrariantur, qualia sunt ea omnia quæ Regulæ soli opponuntur, licet secretò commissa, Abbati aut toti Conuentui humiliter sunt manifestanda. Cap.46. *Si quis —— aliquid deliquerit aut fregerit quidpiam aut perdiderit, vel aliud quid excesserit vbiubi, & non veniens continuò ante Abbatem vel Congregationem ipse vltrò satisfecerit & prodiderit delictum suum, dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi.* Peccata autem moralia, & quidquid ad conscientiam spectat nemo tenetur reuelare Prælato, ipsi tamen aut alteri ea potest confiteri. Cap.46. *Si animæ verò peccati causa latens fuerit, tantùm Abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciant curare sua, & aliena vulnera non detegere aut publicare.*

Senior sæpè sine comparatione ponitur, & nihil aliud significat quàm *senex*. Ouidius libro 2. Transformationum:

Tum senior quamuis obstet mihi longa vetustas.

Eodem prorsus sensu vsurpauit hanc vocem noster Author Cap.3. *Si qua verò minora agenda sunt in monasterij vtilitatibus, seniorum tantum vtatur consilio*, hoc est, *consilio aliquot prudentium senum*: contingit enim illos qui prouectioris sunt ætatis, aliquando non satis percallere œconomicas & politicas difficultates.

Senior comparatiuè ad *Iuniorem* refertur, & sonat *Antiquiorem*. Cap.4. *Seniores* (id est, antiquiores confratres) *venerari.*

Seniores in plurali sumuntur pro Magistratu, pro Senatu, quoniam is ex prouectioris ætatis hominibus legi solet. Liuius 4. Bell. Maced. *Scriptum erat Aristonem priuatim ad neminem, publicè ad Senatum mandata habuisse.* Hoc sensu B. Pater cap.23. *Squis —— præceptis Seniorum suorum contemptor repertus fuerit, hic secundum Domini nostri præceptum admoneatur semel & secundo secretè à senioribus suis: si non emendauerit, &c.* Seniorum nomine aptè intelligimus Decanos, Præsides, & Prælati administros. Bernardus Homil. infra octauam Epiph. sic ait: *Vt humilitatis & obedientiæ simulque propriæ voluntatis deserendæ seniorum præceptis, etiam vtilibus prætermissis obtemperandi expressiùs & excellentiùs commendaret exemplum, cum his tam sublimibus, tam vtilibus, tam denique necessarijs prætermissis seniorum se subdit voluntati, vt ait Euangelista, Et descendit cum eis, & erat subditus illis.* Ecce *Seniorum* nomine priùs intelligit Templi sacerdotes, quos *Senes* etiam vocat serm.2. in Purific. sub initium. Posteriùs verò *Seniorum* nomine intelligit Mariam & Ioseph.

Senipeta, qui senium petit, qui ad senectam adpropiat. Hac voce vsus est Benedictus cap.27. imo eam exposuit dicens: *Vt sapiens Medicus* (debet Abbas) *immittere quasi occultos consolatores* (nempè) *senipetas, id est, seniores-sapientes.* Non collimauit noster Author in vocis etymon, sed in sanctionis scopum; consolari enim oportet afflictum monachum, & hoc præstare nec iuuenes nec stolidi possunt; mittantur ergo viri graues prudentia eximij, ætate venerabiles, qui fluctuantem confratrem consolentur.

Septenario Diuinitatem ethnici scriptores adtribuunt, sed Author noster sanctitatem. Cap. 16. *Septenarius sacratus numerus à nobis sic implebitur.*

Significare horam operis Dei. Cap.47. non est pulsare cymbala, nec campanas torquere, sed præscribere tempora Diuino officio. Vide *Nunciare.*

Silere à bonis dixit Propheta Rex; eum imitatus Benedictus non *sileri* modò, sed & *taceri à bonis* dixit, Cap.6. *Ait Propheta, Humiliatus sum & silui à bonis. Hic ostendit Propheta, si à bonis eloquiis interdum propter Taciturnitatem debet aceri, quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati debet cessari.*

Solatia vocat S. Pater subministros; hoc est, ministrorum socios & coadiutores, quos ministris concedit quotiescumque Communitas est tanta, vt oneri suo non possint sine adiutorio satisfacere. Cap.31. de Cellerario: *Si Congregatio maior fuerit, solatia ei dentur.* hoc est, permittatur illi vt vtatur vnius aut alterius ministerio. Capite 53. de Coquis ait, *In quam coquinam ad annum ingrediantur duo Fratres, qui ipsum officium bene adimpleant, quibus, vt indigent, solatia administrentur.* Et paulò post de Coadiutoribus instituit legem vniuersalem: *In omnibus officiis ista sit consideratio, vt quando indigent, solatia* (hoc est socij) *ministrentur eis, & iterum quando vacant obediant imperanti.*

Spondere verbum est, quo vtitur D. Benedictus cap.29. *Si reuerti voluerit*, ait, *spondeat priùs omnem emendationem.* sed quid est, emendationem spondere? expono num.1750. b.

Subtrahere vox musica est, & significat *intonare morosè & grauiter.* Hispan. *Entonar de spacio.* Cap.13. *Sexagesimus sextus Psalmus dicatur sine Antiphona, subtrahendo modicè sicut in Dominica, vt omnes occurrant.*

Super se. Hisp. *De por si.* Lat. *Seorsum.* Cap.36. *Fratribus infirmis sit cella super se deputata.*

T

Temerè discedere à Regula interdicitur; ergo si exceptio firmat regulam in contrarium, discedere prudenter, conceditur. Quis igitur temerè discedit? qui sine sufficienti causa. Cap.3. *In omnibus igitur omnes Magistram sequantur Regulam; nec ab ea temerè deuietur à quoquam.*

Temperiùs, restituo *Temporiùs*, hoc est, *citiùs*. Cap.11. *Dominico die temporiùs surgatur ad Vigilias.*

Typus varias significationes habet, nulla tamen congruit Cap.30. vbi Cellerario imponitur hæc lex: *Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo vel mora offerat.* In qua *Typus* nihil aliud quam *excusationem* potest significare.

V

VEl particula disiunctiua sæpissimè extrema connectit & æquiualet coniunctioni *Et*; dabo periodos in quibus vt coniunctio debeat exponi necessario. In Prolog. *Succincti ergo fide vel obseruantia bonorum actuum lumbis nostris, & calceatis pedibus per ducatum Euangelij pergamus.* Verè cursus noster non esset iuxta Euangelij legem, si haberemus fidem sine operibus, aut hæc sine illa; instructi igitur & fide & bonis actibus debemus pergere. Capite 1. de primo Monachorum genere, *Primum*, ait, *Cœnobitarum, hoc est, Monasteriale, militãs sub Regula vel Abbate.* vbi prudentes coniunctiuè intelligunt *sub Regula & Abbate*; non tamen incongruè disiunctiuè potest intelligi, si periodus illustretur commentario adhibito *num.*308. Vix aut ne vix quidem poterit sumi disiunctiuè in his locis; Cap.2. *Memor sit Abbas, quia doctrinæ suæ vel discipulorum obedientiæ, vtrarumque rerum in tremendo iudicio Dei facienda erit discussio.* Et inferiùs: *Inobedientes, verborum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coërceat.* Capite 6. *Scurrilitates verò vel verba otiosa & risum mouentia aterna clausura, in omnibus locis damnamus.* Et cap.7. grad.8. *Nihil agat Monachus nisi quod communis monasterij Regula, vel Maiorum cohortantur exempla.* & grad.11. *Monachus leniter & sine risu humiliter cum grauitate vel pauca verba* (id est perpauca, valde pauca) *& rationabilia loquatur.* Cap.17. *Iam de Nocturnis vel Matutinis digessimus ordinem Psalmodiæ*, hoc est, *Iam disposuimus Psalmodiam pro Nocturnis & Laudibus.* Capit.27. *Si ad vltimum vstionem excommunicationis vel plagas virgarum.* Cap.60. *Si promittit de obseruatione Regulæ, vel propria stabilitate.* Et cap. 67. *Dirigendi Fratres in via, omnium Fratrum vel Abbatis orationi se commendent.* Similiter *Aut* nonnunquam copulatiuè sumitur. Cap.11. *Psalmus nonagesimus quartus cum Antiphona, aut certè decantandus,* & capit.60. *Concedatur ei tamen post Abbatem stare, & benedicere, aut Missas canere.*

Veracitas virtus est nobilissima, quæ mendacio opponitur, Sæpè violatur ore hæc purissima virtus, sæpè corde. Ore quidem cùm ex ignorantia erramus, & falsa dicimus cùm dicere putamus vera. Corde autem, cùm aliquem volumus fallere. Est ergo Benedictinum dogma Capit.4. *Veritatem ex corde & ore proferre.*

Vestiarium aula illa dicitur in qua vestes seruantur. Græcè ἱματοφυλάκιον. Vestes, quas noster Legislator cap. 55. concedit Religiosis, sunt; Cuculla, Tunica, Scapulare, Pedules, Caligæ, & Femoralia, si iter agant. ¶ *Cucullæ* nomine quid intelligi debeat, notum est. ¶ *Tunica* videtur *Toga* esse. Qui thoracis & indusij non meminit, fortè neutrum indulsit. ¶ *Scapulare* tunicæ superpositum, ne illa macularetur. ¶ *Pedules* apud Vlpianum *l.25. D. de aur. & arg.* Fasciæ sunt quibus pedes vinciuntur: sumuntur pro calceis & tibialibus. ¶ A *Caliga* Hispanus habet *Calçones*, his autẽ non tibias, sed & femora tegit. Fortè aptiùs intelligitur textus hoc modo. ¶ *Femoralia* quæ? femorum etiam tegmina differebant à caligis non vsu sed figura.

Stramenta lecti, sunt *Matta*, Hispanè *jergon*, & straminibus aut iuncis facilibus præparabatur. *Sagum*, Hisp. *Vna manta de sayal, jerga ò otra materia gruesa*, Hispano-arabicè *Vna alhonbra.* Sagi nomine non intelligitur id, quod Hispanus *Plomon* aut *Colchon* nominat, ex testimonio Suetonij in Othone. *Ferebatur & vagari noctibus solitus, atque in validum quemque obuiorum vel petulantium corripere, ac distento sago impositum in sublime iactare.* Hispanicè; *Deciase tambien, que solia salirse à tomar el fresco, y entretenerse la mayor parte de la noche y que diuertia manteando alos que ò por violencia del vino, ò por pusilanimidad y cobardia venian a sus manos.* Cæterùm si *Sagum* esset (Hispan. *Colchon*) nec plicari, nec ferri, nec excuti sine magna difficultate posset. ¶ *Læna* vestis est quæ cæteris superimponitur, Belgicè *Nachttabbaert*, vnde Hispan. *Vn tabbardo*, togæ est similis, quæ chlamydis & Coopertorij (Hisp. *Vn Cobertor*) iuxta rerum temporumque exigentiam vices gerit. ¶ Tandem *Capitale*, Hispan. *Vn cabeçal*, Hispano-arabicè, *Vna almohada.*

Præter vestes & lectum stratum, vt vidimus, concedit noster Legislator hæc suppellectilia. Cultellum; Graphium seu calamum; Tabulas scriptorias, iam chartam; Tabulam seu mensam, cur non & sedem? acum & necessaria ad reficiendas vestes, & mapulam, fortè ad tergendas manus: tandem & bracile, quod & Hispanus nominat *Mangillo.*

Vindicta ponitur pro supplicio. Cap.42. *Si inuentus fuerit quisquam præuaricari hanc Taciturnitatis Regulam, grauiori vindictæ subiaceat.* & Capit.67. *Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subiaceat.*

Vsufructuarius, alias *Fructuarius* dicitur qui vsum habet. Hinc deducit noster Author *Vsufructuarium, rij*, substantiuum, quod *Vsumfructũ* adsignificat. Cap.59. *Faciant ex rebus, quas dare volunt monasterio donationẽ, reseruato sibi, si ita voluerint, vsufructuario.*

VOCES

VOCES HEBRÆÆ,

Quarum ſignificatio in hoc Opere radicitùs examinatur.

HEBRÆA Linguarum vniuerſarum Parens, artificioſiſſimo etymo imponit nomina rebus ſignificatis: naturâ aut arte duce habet voces rerum eſſentiam deſcribentes; idcirco debui nonnunquam Hebraica vocabula expendere, vt adſequerer proprietates & prærogatiuas rei ſignificatæ.

א

אב | אבא ABBAS: Chriſti eſt prænomen ſignificat PATREM, AMANTEM, MAGNATEM, EMINENTEM, MAGISTRVM, DVCEM, Antiſtes dicitur אב *voluntas*, quia ſubditi non debent velle, quod non velit Prælatus, Φιλόξενος *Amator pauperum & peregrinorum*, ibidem.

אבה Amare, concupiſcere; *pag.*679, b. & *pag.*798, a.

אבוי Pauper, paupertas, *num.*1667.

אבון Mendicus, *num.*234.

אדני Adonai: *eſt nomei Dei. num.*1129.

אדר Adar, nomen menſis, qui correſpondet Februario. *num.*1193.

אזן Auris. *num.*219.

אזנים Bilances, ſtateræ, *num.*219.

איש Vir, *num.*172.

אם Mater, cœtus, conuentus, familia, poſtis, *num.*128.

אמה Cubitus, menſura, *num.*128.

אמים Æmæi; erant religioſi antiquæ legis: *num.*127. 128. 131. 133.

אמן Amen: *Aduerbium affirmantis.* Verè, profectò. *Hiſp.* Si, En verdad. *num.*1170.

אנוש Enos, qui aliàs Enius: *num.*118. 124. 161.

אנשי—דשם Enoſæi nomine, *num.* 126. Eſeni, Enoſeni: *num.*124.126.

ארץ Aretſia. Tellus. *num.*182.

אנוש—אש Vir-Enoſis; Eſenus. *num.*124. 161. 274.

אשה Fœmina. *num.*172. ἑστία Veſta. *n.*172. & 182.

את—יהוה ipſum-Deum. Locus curioſè expoſitus *num.*118.

ב

ב eſt nota Ablatiui, ſed aliquando Accuſatiui; *num.*1107.

בוא Venire, *num.*1063.

ברך Benedicere, *num.*1073.

ברכת Benedictiones; Eſt nomen libri. *numero* 1129.

בתולה (Vetula) Virgo apta connubio. *numero* 205.

בתולים Virginitates, *num.*205.

ד

דיאנין Diana, *num.*204.

ה

הביא Adducere, *num.*1063.

הזק Roborare, *num.*1282.

הלולים Laudes, fructus commendabiles; *num.*1258.

הלל Laudare, *num.*1255. inſanire, *n.*1258.

וללחה ALLELU-IA. Laudate Deum; *num.*1255.

המעלות Adſcenſiones, Gradus. *n.*1281 d.

הנכה Dedicationis Templi Hieroſolymitani ſolemnitas, *num.*1192.

ז

זוז Radix inuſitata, *num.*136.

זוזים ZVZITÆ, *num.*127. 136.

זמזומים ZAMZVMÆI, Viri contemplatiui in veteri lege, *num.*127. & 133.

זמם verbum frequentatiuum à radice זמם contemplari, ſpeculari, meditari, *n.*133.

ח

חסד Eſſe miſericordem, *num.*138.

חסיא ὅσιος, Sanctus, *num.*161.273.

חסידה Ciconia; eſt miſericordiæ ſymbolum; inde nomini occaſio. *num.*138.

חסירים ASIDÆI, Miſericordes, clementes; *num.*127.138.

י

יה Vnum ex decem Dei nominibus, verbum abbreuiatum. *num.*1256.

יהוה Nomen tetragrammaton, vnde Gentiles duxerunt ſuum IOVEM, *num.*115. Reuelatio facta Euæ parienti Cainum, donata particulari illuſtratione, *num.*118

יום כפרים Dies expiationum; Hebræis valde ſolemnis, *num.*1188.
יבך Gyrare, circumdare, *num.*1261. c.

כ

כסלו Kislev, nomen menſis noſtro Nouembri reſpondentis, *num.*1192.
כפרים Expiationes, quæ ſolemniter fiebant apud Hebræos, *num.*118.
כרה Perfodere, *num.*219.

ל

לבן Lauari, dealbari, candeſcere: inde לבן Libanus, *num.*1168.
לך Vade, *item* Tibi. *num.*225.
לץ Deriſor, *num.*150.

מ

מאזנים Bilances, *num.*219.
מזוזה Poſtis, Columna, *num.*136.
מן Ab: *eſt etiam nota comparationis*, Præ. *num.*1128.

נ

נזר Secernere, *num.*149.
נזרים Nazaræi, *num.*127.146.
נישן Nisan, Hebræorum menſis reſpondens primo veri, *num.*1181.
נפילים Inclinati, Cadentes; Nephilimi, veteres religioſi, *num.*127.137.
נפל Cadere, *num.*137.

ס

סיון Sivan, menſis Hebræorum, qui correſpondebat noſtro Majo, *num.*1186.
סכות Tabernacula, Solemnitas tabernaculorum fuit valde celebris, in lege veteri, *num.*1190.

ע

עולת ἁλώσα, Captura, *num.*264.
על Circum, circa, iuxta, *num.*1106.
עלה Aſcenſus, *num.*1281. d.
עצרת Cœtus, congregatio. Nomen Hebrææ feſtiuitatis, *num.*1191.
ער Ara nomen ciuitatis, *num.*132.

פ

פורים Sortes. Sortium dies celeber apud Hebræos, *num.*1193.
פורען Præfectus, Gubernator, *num.*115.
פירוע (vnde Gallis *Perruque*) Coma, cæſaries, *num.*155.
פלא Mirificare, *num.*149.
פלי | פלא Separari, *num.*137.
פנים Pan, veterum Deus, *num.*127.
פסח Pascha, Tranſitus, *num.*1184.
פרסוח Sectiones libri; Capitula, *n.*1147.
פרע Cæſaries & libertas: vnde & coma libertatis ſymbolum, *num.*155.

צ

צבא Militari, *num.*311.
צדק Iuſtitia, *num.*219.

ק

קינים Cinæi, veteris legis religioſi, *numer.*111.127.139.
קינן Cainan, *num.*139.
קנים Cannæ, calami, *num.*112.
קנם Radix obſoleta, *num.*112.
קנמון Cinnamomum, *num.*112.
קרבן Gazophylacium, in quo res ſacræ condebantur, *num.*1156.
קרבנא Chaldaica vox, idem ſignificat quod קרבן, *num.*1156.
קרבן—אל Oblatio Dei, 149.

ר

ראש—השנה Ros-asana, Caput anni; Hebræorum ſolemnitas, *num.*1187.
רזק Nutrire, alere, *num.*1064.
רכבים Recabitæ, *n.*127.140.171.
רפא Mederi, *num.*134.
רפאים Raphaimi, erant religioſi in teſtamento veteri, *num.*127.134.
רק ῥᾳχὶ, diſciplina, *num.*204.

ש

שבועות Feſtum hebdomadarum, *n.*1186.
שכם Ante auroram ſurgere, manicare; *Hiſp.* Madrugar. *metaph.* Animari, *num.*1222. *nominaliter* Cor, *num.*1222.
שכם—אחד vnanimiter, *num.*1222.
שם Nomen, Numen, 126.

ת

תרזק θρησκεία, Religio, alimentum, *num.*1064.
תשרי Thisri Hebræorum menſis Septembri noſtro correſpondens, *num.*1181. 1187.

NOTA.

Multæ linguæ nonnullas litteras aliter in principio, aliter in medio, & aliter in fine figurant; vt videre eſt in Orientalibus; & in Arabicâ, Turcicâ & Perſicâ præcipuè. Sed neque ab hac parallaxi eſt libera lingua Latina, nam ſtando Orthographiæ Italorum ſanguis viuus Aſsyrij. *ſcribimus, non* ſangvſ ujuvſ Aſsyrij. *& tamen ſunt eadem literæ. Hæc dixero, quoniam in linguâ Hebræâ* Caf, Mem, Nun, Fe, *&* Tſade *ſunt biformes; aliter enim in principio vel medio, & aliter in fine formantur. videlicet*

	Ts.	P.	N.	M.	K.
extra finem ſic	צ	פ	נ	מ	כ
in ipſo fine ſic	ץ	ף	ן	ם	ך

Initiales pro finalibus, aut contrà ponere, eſt maculare chartam. In editione Brugenſi imitatus eſt manuſcriptum Typographus, & nullum errorem commiſit in hoc genere: at in Francofurtenſi vix eſt littera Hebraica bene poſita: ſimiles pro ſimilibus; initiales pro finalibus, &c. ſumuntur. Typographus Venetus errores Francofurtenſis Editionis repoſuit, & nouos addidit; tanta enim Hebraicorum characterum laborauit penuria, vt in eadem dictione interdum literæ magnitudinum diuerſarum miſceantur. Ideò in hac Editione debuimus omnes voces Hebræas magna diligentia corrigere, ne eiuſmodi ſphalmatibus oculi Lectoris eruditi fallantur.

VOCES GRÆCÆ,

HEBRÆARVM PARALLELÆ,

Quarum vim, energiam, & etymon altiùs inueſtigaui.

A.

Ἀγάπη, *Charitas, dilectio, beneuolentia*: vnde ἀγάπας ποιεῖσθαι, *conuiuia pauperibus dare*; num. 323.

ἀγάπη ἀνυπόκριτος, *Charitas verax, non-hypocritica*, num. 323.

ἄιμος, *Æmæorum ſylua*, 131.

αἴμων, *Æmæa Theologiæ peritus*, 131.

ἀκόλαστος, *Prodigus*, 151.

ἀκόλαστος γλῶσσα, *Lingua effrænis, verborum prodiga*. 151.

ἀλκιβιάδης *Platonis liber*. 1261. c.

ἁλεία, עולה, *Captura*. 204.

ἀλληλοῦ-Ια, *melius* ἀλληλεῦ-Ια *Allelu-Ia*; Iubilationis vox. *æquiualet huic*, LAVDATE DEVM. 1255.

ἁμαρτία, *Peccatum*. 1238.

ἄμεμπτος, *Decorus, irreprehenſibilis: fortè quia corporis venuſtas animi & morum elegantiam arguit*. 131.

ἀμεμφὴς, *inculpatus*. 131.

ἀμεμφία, *factum irreprehenſibile*. 131.

ἀμιλλητικὸς, *Occurſu difficilis*. Hanc vocem aliqui Hebræam putant, & eſſe eandem cum אמים; alij Latinam exiſtimant, MENDICVMque à Græcis μιλλητικὸν dici putant, & NON-MENDICANTEM ἀμιλλητικὸν. Fortè ἀμιλλητικὸς *occurſu difficilis* exponitur, quòd pauci ſint diuites: fortè ideirco Æmæi ἀμιλλητικοὶ dicti, quia non erant mendicantes. 131.

ἀμμιτόβιος, *Agens Æmæam vitam*. 131.

ἀμύμων, *inculpatus*. 131.

ἀνὰ *ſuper*. 1144.

ἀναβαθμοὶ apud Dionem Coc. *Gemoniæ* ſunt: ſic vocabantur ſcalæ illæ Romanæ, ex quibus ſontes præcipitabantur. 1281. d.

ἀναβαθμὸς, *Aſcenſus ſeu deſcenſus*. 1281. d.

ἀναβατμὸς, *Aſcenſus ſeu deſcenſus*. 1281. d.

ἀναλόγιον *Pulpitum libri*, Hiſp. *el Faciſtol*. 1144.

ἀναλογίζομαι, *Diſputo*. 1144.

ἀνάλογιον *ſuggeſtum ex quo loquimur*. aliquando, *ſuggeſtum vbi ponitur liber qui legitur. ſed tunc debet ſcribi* ἀναλογεῖον. 1144.

ἀναχωρήτης *Anachorita*. 312.

ἀνακεχωρηκότα βιβλία, *Libri non euulgati*. 312.

ἀναχωρέω, *ſecedo*. 312.

ἄσπας, *Cithara antiquæ forma*. 139.

ἀσπάτις, *Cithara*. 139.

ἀσίδης, *Aſidæus, inermis*. 139.

ἀσύνδητος, *Aſidæus, incognitus*. 139.

ἀσωλίας, *Aſidæus, Cœlebs*. 139.

ἀσωλία *Paulo eſt intemperantia*. 150.

B.

Βιβλία ἀνακεχωρηκότα, *Libri nondum impreſſi*. 312.

Βίος, *vita*. 307. 319.

Γ.

Γλῶσσα ἀκόλαστος, *Lingua intemperans, effrænis, prodiga*. 151.

Γνήσιον, *verum*. 323.

E.

Ἔξοδον, *Exitus, exodus*. 1191.

ἐπαγγελία, *fidelitas*. 247.

ἐρημιτὴς, *Eremita*. 313.

ἑστία, *Heſta, Veſta, Ignis*. 172. 182.

εὐλογία *vocabatur panis benedictus & non conſecratus in primitiua Eccleſia*. 1156.

εὐχος, ος, τὸ. *Promiſſio, votum*. 136.

Z.

Ζωσάσια, *Domus ramoſa*, 136.

Ζώσιμος, *vitalis*, 136.

Ζῶσις, *veſtis præcincta*. 136.

Ζῶσμα *Cingulum*. Omnia ſic dicta à זוזים Zuzæis, quibus erant in vſu. 136.

H.

Ἡμίνα. *Eſt quædam rerum liquidarum menſura. Illa vtitur S. Benedictus* cap. 40. *quod de menſura potiùs eſt. Vocem explico* num. 1617. *& iterum in Nomenclatore Benedictino: vbi de eius quantitate & accentu.*

Θ.

Θεὸς *pro* θεῖος. Locus Cyrilli reſtitutus. 125.

Θεραπεία, *Cultus, obſeruantia*. 134.

Θεράπευμα, *Medicina, cultus, religio*. 134.

Θεραπευσία, *Cultus, medicina*. 134.

Θεραπευτὴς, *Cultor, religioſus*. 134.

Θεραπευτὴν, *Therapeuta, monachus*. 134.

Θρησκεία, *Religio*, Hebraicè תרזק. 1064. 1065.

Θρησκεύω, *Colo, video, celebro*. 1064.

K.

Κατασρωιάζω, *Luxuriari*. 247.

Κατασρωιάω, *Immodeſtè agere*. 247.

Κοινοβίτης, *Cœnobita, Monaſterialis, Monachus*;

chus; *melius* Κοινόβιον. 307.
Κοινὸς, *Communis*. 307.
Κούρωτες *Curatores*, Hisp. *Curas*. 134.
Κύριος, *Dominus*. 1234.

Λ.

Λέγω, *Lego*. 1144.
Λόγος, *Verbum*. 1650.

M.

Μὴν, *Mensis*. 1182.
Μήνη, *Luna, defectus seu lunatio*. 1182.
Μοναδικὸς, *Monachus, solitarius*. 110.
Μονάζων ὁ, *seu* Μονόζων ὁ, *simpliciter cinctus, vnâ veste contentus, religiosus*. 110.
Μονὰς, *Vnitas: est & nomen Dei*. 110.
Μοναστὴς, *vnde* Μοναστήριον. 110.
Μοναχὸς, *qui* μοναχὸς, *solus*. 100. *dicitur aut à voce* μονὰς, 110. *aut à* קינום. 112.
Μονήρης, *solitarius*. 110.

N.

Νεομηνία, *Nouilunium, Kalendæ*. 1182.
Νέος, *Nouus*. 1182.
Νεφέλη, *Rete tam auium quam piscium*. 137. item, *nubes*. 137.
Νεφεληδὸν, *Nubis in modum*. 137.
Νεφέλιον, *Nubecula*. 137.
Νέφος, *Nubes*. 137.
Νεωφύλαξ, *Sacerdos, aedituus*. 137.

O.

Οἶνος, *Vinum* 151.
Ὅσιος חסיד *Sanctus*. 161, 273.
ὁσιότης, *sanctitas*. 273.
ὀφείλημα, *Debitum*. 1238.

Π.

Πεπληρωμένως, *melius vero* πεπληροφορημένως, *Plenissimè, abundè*; Hebraicè אמן Amen, *verè, profectò*. 1170.
Περιφορὰ, *Circumlatio*. 1261. c.

P.

Ῥαπικὸν, *vide* ῥωπικὸν. 134.
ῥαχὴ, רק, *Disciplina*. 204.
ῥαφαΐσειν, Raphaïmari, *fieri Raphaïmum*. 134.
ῥιπίζω, *Accendo*. 134.
ῥυφὸν, *incuruum* Æolicè 134.
ῥῶπες, *syluestres plantæ*. 134.
ῥωπικὸν, idem quod ῥαπικὸν, *res magni precij*. 134.

Σ.

Σαραϊτὴς, *Sarabaita*. 319.
Σάτυρων, ὁ. *Libidinosus*. 319.
Σεμνεῖα. *Monasteria*. 307.
Στρηνιάω, *immodestè ago*. 247.
Στύλος, *Columna*. 118.

Φ.

Φίλιππε, ἄνθρωπος εἶ. *Philippe, homo es*. 328.
Φιλόξενος, *Hospitalis, pauperum amator*, 1478. 1664. 1667.

FINIS.

INDEX

Rerum omnium & Verborum notabilium quæ hoc Volumine continentur.

Prior littera p. Paginam; posterior n. Numerum marginalem designat.

A

Abaylardus.

PEtrvs Abaylardus qualis, p.40

Abbas.

Abbas vnde dicatur, p.76. n.69

An indoctus possit promoueri in Abbatem, p.76. n.69

Abbatis duplex auctoritas, p.235.n.691

Abbatis excessus an possint & debeant corrigere Monachi, p.234.n.691

An Abbas possit iubere contra Regulam, p.78.n.80

Abbatem triennalem esse an perpetuum vtrum præstet, p.482.n.1591. & seqq.

Abbas potest mutare ordinem Psalmorum, Canticorum, &c. p. 402. n.1302. & hæc auctoritas limitari non potest, n.1305

Abbate defuncto penes quem remaneat auctoritas, p.513.& seqq.

Abbas an teneatur seruare sua præcepta, p.251.n.754. quæ præcepta obligent Abbatem, ibid.

An possit secum dispensare, ibid.

An aliquando etiam sub mortali, p.252.n.7547

Dispensare an secum possit Abbas, p.251.n.754

Abbates Abbatum Patres quinam, p.255.n.763

Actus internos an Abbas possit præcipere, p.244. n.726

Abbas an eligatur à pluribus, p.188.n.492

Abbas in approbatione Nouitij habet potiorem partem, p.188.n. 496. quid hoc casu possit & debeat, n.492.491. & seqq.

Abbas an Regulam obseruare teneatur. p.252. n.754

An Abbas-Pater possit præcipere Monachis Filiationis, p.255.n.763

Abbatis potestas duplex. p.255.n.1569.

Abbas an dominus bonorum Monasterij, p.272. n.830

Abbatum mores an reformandi. p.2.n.5

Abbatum scientia debet esse practica, p.2.n.8

Abbatis mensa, p.556.& 557

Abbas Superior quid præcipere possit, p.255. n.766

An Abbas præcipere possit summè ardua, p.248. n.745. & hoc casu quid agere debeat Religiosus, ibid.n.747

Abbates an possint benedicere & consecrare, p.505. n.1567. & seqq.

An concedere indulgentias, p.506. & vnde. ibid. n.1568

Quis in Abbatem debeat eligi, p.474. n. 1429. & seqq.

Qualis esse debeat Abbas, p.476

Origo auctoritatis Abbatialis, p.254.n.761

Abbas delirus an possit subditos obstringere moraliter, ibid.

Abbatiam emere an simonia, p.481

Abbatissa.

Abbatissa quomodo possit iubere in virtute sanctæ obedientiæ, p.170.n.436

Abbatissa potest vestire in suo Monasterio Moniales, Conuersos, & Fratres Laicos, pag.169. n.433

In quibusnam rebus debeant obedire Abbatissæ Moniales, p.170.n.437

Vota in manibus solius Abbatissæ emissa sunt tantum simplicia, p.169.n.435

Ex vi solennis voti nullus Religiosus aut Religiosa tenetur obedire Abbatissæ, p.170.n.435

Abbatissa nullius Religiosi aut Religiosæ Professionem solennem potest admittere, p.169.n.434

Ablutio.

Ablutiones Ethnicorum, p.103.n.185

Abnegatio.

Abnegatio quid & quotuplex. p.124.n.258. & 259

Abnegatio propriæ voluntatis, p.230.n.678

Abstinentia.

Abstinentiæ quando bonæ, p.535

Abusus.

An Abbas possit contra Abusus præcipere, p.248. n.744

Acceptatio.

Acceptatio legum quæ esse debeat; pag. 69. n.48

An subditi possint non acceptare legem iustam; p.69.n.49

Acceptatione an egeant leges Pontificis & Principum sæcularium, p.271.n.828

Vnde cognosci possit an acceptatæ, ibid.

Acceptatione an egeant Præcepta Abbatis, p.248. n.741

Acceptatio dubia. p.69.n.49

Acceptio.

Acceptio personarum damnata; p.16.n.78

Index Rerum omnium

Acroasis.

Acroases mirabiles Philosophiam suam Aristoteles nuncupauit. p.36

Actus.

Actus idem numero an meritorius & demeritorius esse possit. p.226.n.668

Actus idem potest esse mortale & veniale peccatum in diuersis generibus. p.66.n.43

An idem Actus numero possit esse grauiter & leuiter peccaminosus, p.80.n.88

Actuum humanorum diuisio, p.65.n.38

Discrimen inter Actum & habitum, p.36

Per vnicum actum peccare quis potest & gratiam mereri, p.234

An dentur Actus intrinsecè mali, p.58.n.19

Actus præceptus non intensio eiusdem, p.43

Actus externi secreti an Ecclesiæ iudicio subsint, p.65.n.39

Adamus.

Adamus an Monachus, p.88.n.121

Administer.

Administri Monasterij an mensas habere possint proprias, p.278.n.873

Adulterium.

Adulterium quid sit, p.21.n.107

An duplex an simplex in confessione exponendum, p.22.n.110

Adultus.

Adulti pœnâ sensus & damni plectuntur. p.46

Albericus.

B. Alberico Deipara cucullam candidam concessit, p.156.n.377

Æger.

Ager an peccet qui se exponit periculo, p.67.n.44

AEgrotis inseruiendo nemo dedecus accipit, p.163. n.400

Ægyptus, Ægyptius,

AEgypti eremi Monasteriis plenæ, p.136.n.300

AEgyptiæ columnæ, p.89.n.123

Obseruationes syderum AEgyptiorum, ibid.

Æmæi.

AEmæi, Religiosi, p.90.n.128. Vnde dicti, ibid. Conuentuales dicuntur, ibid. Et n.129. Vbi resederint, p.91.n.132

Æmulatio.

AEmulatio quid & an licita, p.644.n.1878

Æqualitas.

AEqualitas interdum summa iniquitas, pag.536. n.1619

Æstas.

AEstate horæ quomodo diuidendæ. p.342.n.1125

Æternitas.

AEternitas causa gaudij & mœroris, p.42

Affectio.

Affectio pia quid, p.663.n.1894

Agamemnon.

Agamemnon quis, p.107.n.204

Agapæ.

Agapæ quid sint, p.335.n.1155

Alaricus.

Alaricus Arianus Catholicos veneratur, p.612.n.1821

Alexandrinus.

Alexandrina Ecclesia à D.Marco instituta, pag.128. n.270

Alleluia.

Alleluia cur tribuatur Psalmo L. p.371.n.1218

Huius vocis significatio, p.381. n.12555.& seqq.

Ieiunij tempore cur non cantetur Alleluia, p.382. n.1257

A Septuagesima cur non dicatur Alleluia, pag.383 n.1259

Alienare.

Alienare bona Deo data an possit Pontifex, p.270 n.827

Amare, Amor,

An Amare Deum supra omnia in primo rationis instanti teneamur, p.663.& 664

An actus Amoris Dei possit esse ob finem leuiter malum, p.226.n.668

Amans amenti similis, p.42

Amen.

Amen quid significet, p.358.n.1170

Amortizatio.

In Amortizatione an locum habeat præscriptio, p.271.n.828. An obliget. p.272

Amortizatio quid, p.267.n.823

Anachoreta.

Anachoreta vnde dictus, p.141.n.312

Anachoretæ à Monachis differunt, p.134.n.194

Analogium.

Analogium quid, p.333.n.1103

Analogium quid, p.359.n.1144

Ananias.

Ananias & Sapphira in votum paupertatis peccauerunt, p.125.n.262.& 263

An per actum contritionis ad gratiam redierint, p.126.n.267

An S. Petrus in Ananiam & Sapphiram crudelis, p.126.n.264

Anathema,

Anathema quid sit, p.376.n.1233

Angelus

Angeli an adorandi, p.325.n.1072

Angeli milites cur, p.141.n.309

Angeli an capaces dominij, p.267.n.821

An Angeli dent auxilia, p.54

Quasnam gratias ab Angelis accipiamus, p.55

Angeli an specie distincti omnes, p.232.n.690

Angeli an pro nobis orent. p.365.n.1200

Angelorum locutio, p.45

Anicius.

Aniciæ domus antiquitas, p.488.n.5011

Anima.

Vt Anima ad corpus ita Christus ad animam, p.37

Vbinam Anima verius sit vbi amat, an vbi animat. p.37

Qualis Anima quæ Christo caret, p.37

An Anima carere Deo possit, ibid.

Anima à Christo omnia participat. p.37

A Christo subsistit & in eo consistit, ibid.

Anima sicca quid, p.341.n.1123

Anna.

Annæ Bruxellensis & Antuerpiensis miraculum p.613. n.1827

Anna Prophetis Monialis erat, p.106.199

Annus.

Annus Ecclesiasticus quid, p.181.n.467

Anni principium festum Iudæorum, p.362.n.1187

Annihilare.

Annihilat Dæmonem homo iustus, p.52

Ante.

Ante quid significet, p.587

Antiphona.

Antiphona quid sit, & cur psalmis iungatur p.346 n.1135

Quomodo vox hæc pronuncianda, p.359.n.1143

Antonius

Antonius an primus Monachus, p.134.n.292

Dispersos Monachos congregat, p.136.n.300

S. Antonij Religiosi possunt facere Testamentum, p.273.n.838

Apostata.

Apostata differt à fugitiuo. p.589.n.1751

Apostoli.

Apostoli fuerunt Religiosi, p.124.n.260

Vouerunt tria vota religiosa. ibid. & pag. 125. n.261.

& Verborum notabilium.

Appellatio, Appellare.

Appellationum efficacia, p.652.n.1890
Appellationes apud Ciſtercienſes quomodo fiant, p.166.n.416
Appellare an liceat Monachis, p.577.n.1739

Appetitus.

Appetitus materialis an liber, p.307.n.1028

Aqua.

Aqua luſtralis apud Ethnicos. p.103.n.185

Arbitrium.

Summa doctrinæ de libero arbitrio, p.48

Argus.

Argus imago hominis iuſti. p.52

Ariani.

Arianorum errores circa Trinitatem, p.345.n.1130

Ariſtoteles.

Ariſtoteles quomodo obiiſſe dicitur, p.43

Ars.

Ars amandi an tolerabilis. p.36
